


Lh 4.77
1650 : SIGILL : COLL : HARVARD : CANTAB : NOV : ANGL :
CHRISTO ET ECCLESIAE
The Gift
of
Mr Joshua Bates,
of
London.
Recd 17 Aug.
1835
N. Hurd Sc.
BOSTON.

AURELII PRUDENTII
CLEMENTIS V. C.
OPERA OMNIA

EX EDITIONE PARMENSI

CUM NOTIS ET INTERPRETATIONE

IN USUM DELPHINI

VARIIS LECTIONIBUS

NOTIS VARIORUM

RECENSU EDITIONUM ET CODICUM

ET

INDICE LOCUPLETISSIMO

ACCURATE RECENSITA.

VOLUMEN SECUNDUM.

LONDINI:

CURANTE ET IMPRIMENTE A. J. VALPY, A. M.

1824.

AURELII PRUDENTII

CLEMENTIS

PSYCHOMACHIA.

PRÆFATIO.

Ψυχομαχία, Græca vox Latine reddita, Animæ certamen significat, quem titulum ideo huic Libro præfixit Poëta, quod pugnam vitiorum atque virtutum, quæ in animo geritur, in ipso exhibeat. Procemium more suo præmittit, in quo dicit, eum, qui per virtutes sit cum vitiis decertaturus, debere in fide fundamenta jacere, exemplo Abrahami, de quo Gen. c. xv. 'Credidit Abraham Deo, et reputatum est illi ad justitiam.' Id enim si fiat, sicut ille de quatuor Regibus, de quibus Gen. xiv. præclaram retulit victoriam, ita et nos fide, quæ aliarum virtutum est fundamentum, muniti, cum vitiis prospero exitu confligemus. Carmen hoc eximium inter omnia antiquitatis monumenta vocat Barthius Adversar. xxi. 2. et ejusdem illustre ex B. Avito Viennensi elogium retulimus Præfatione nostra c. 3.

Senex fidelis prima credendi via
Abram, beati seminis serus pater:
Adjecta cujus nomen auxit syllaba,
Abram parenti dictus, Abraham Deo.

Abram senex fide clarus, qui senex procreavit patrem beatæ sobolis, cui auctu syllabæ Deus in Abraham mutavit nomen Abram datum a patre, est primus exemplo

1 *via est* Weitz.—4 *parente* A.—7 *cordi est* Vulg.—12 *Deo parente* Weitz.

NOTÆ

Psychomachia] Ψυχομαχία pugna animi, a ψυχὴ animus, et μάχομαι pugno. Ita inscripsit hunc librum Prudentius, quia in eo describit animæ Christianæ pugnam contra vitia.

2 *Abram*] Tharæ filius. Nonaginta et novem annis natus, a Deo vocatus est Abraham, quod multarum gentium pater futurus esset. Adi cap. xvii. Genes.

Senile pignus qui dicavit victimæ,
Docens ad aram cum litare quis velit,
Quod dulce cordi, quod pium, quod unicum,
Deo libenter offerendum credito.
Pugnare nosmet cum profanis gentibus
Suasit, suumque suasor exemplum dedit:
Nec ante prolem conjugalem gignere
Deo placentem, matre virtute editam,
Quam strage multa bellicosus spiritus
Portenta cordis servientis vicerit.
Victum feroces forte reges ceperant
Loth, immorantem criminosis urbibus
Sodomæ et Gomorræ: quas fovebat advena
Pollens honore patruelis gloriæ.

credentibus. Qui devovens morti, ut victimam, filium a se jam sene procreatum, nos docet, si aliquis velit sacrificare ad aras, debere offerre carissima quæque, maxime dilecta, atque unica. Nos expugnare perditas vitiorum gentes hortatur acriter, suisque factis viam demonstrat: atque admonet cor hominis nunquam procreare liberos legitimos, nempe bona opera, grata Deo, et quorum virtus est mater, quin prius mens fortis deleverit multa strage vitia cordis illis mancipati. Barbari Reges forte ducebant Loth constrictum catenis, qui manebat Sodomæ et Gomorrhæ sat notis ob crimina: easque urbes peregrinus incolebat, plurimum valens apud populum ob gratiam sui patrui Abrahæ. Abram commotus hoc tristi nuntio acci-

F. E. W. B. *placente* Fuld.—14 *sævientis* Vat. quidam, B. E.—17 *Gomorre*

NOTÆ

8 *Deo libenter offerendum*] Lactant. ' Hoc sacrificium verum est, quod ex corde profertur: non quod manu, sed quod mente libatur. Hæc acceptabilis victima est, quam de se ipso animus immolat.'

9 *Profanis gentibus*] Alludit ad pugnam Abrahæ adversus Thadal regem gentium, nempe perditorum hominum, atque ex variis gentibus profugorum, quibus asylum in suo regno dederat Thadal; vel regem Galilææ, quæ gentium dicta est. Adi cap. XIV. Genes.

12 *Deo placentem*] Vetustiora exemplaria habent *Deo parente, matre virtute editam.* Ita Cicero laborem suæ nobilitatis parentem agnoscit multis in locis.

15 *Feroces reges*] Nempe Amraphel Rex Sennaar, Arioch Rex Ponti, Chodorlahomor Rex Elamitarum, Thadal Rex Gentium, qui in valle sylvestri Reges Sodomorum et Gomorrhæ armis deleverunt.

16 *Loth*] Filius Aran, ac Tharæ nepos.

17 *Sodomæ*] Urbs quondam Palestinæ ad lacum Asphaltitem, qui nunc mare Mortuum nuncupatur, de cœlo tacta, et a lacu absorpta.

Gomorrhæ] Oppidum Sodomis propinquum in ora lacus Asphaltitis.

Abram, sinistris excitatus nuntiis,
Audit propinquum sorte captum bellica
Servire duris barbarorum vinculis:
Armat trecentos terque senos vernulas,
Pergant ut hostis terga euntis cædere,
Quem gaza dives, ac triumphus nobilis,
Captis tenebant impeditum copiis.
Quin ipse ferrum stringit, et plenus Deo
Reges superbos, mole prædarum graves,
Pellit fugatos, sauciatos proterit,
Frangit catenas, et rapinam liberat:
Aurum, puellas, parvulos, monilia,
Greges equarum, vasa, vestem, buculas,
Loth ipse ruptis expeditus nexibus
Attrita bacis colla liber erigit.
Abram triumphi dissipator hostici
Redit, recepta prole fratris inclytus,
Ne quam fidelis sanguinis prosapiam
Vis pessimorum possideret principum.
Adhuc recentem cæde de tanta virum
Donat Sacerdos ferculis cœlestibus;
Dei Sacerdos, rex et idem præpotens,
Origo cujus fonte inenarrabili

pit Loth esse captum adverso in prælio, ipsique barbaros imposuisse duram servitutem. Jubet 318. *servos sumere arma, atque adoriri a tergo hostem abeuntem, qui parta victoria erat occupatus opimis spoliis colligendis. Ipsemet cingit se gladio, et Deo incitante concitatus hos reges superbos, prædaque maxima onustos aggreditur, fugat, cædit, ac prosternit. Tum captivis levat vincula, res amissas recipit, pecuniam, virgines, adolescentulos, colli ornamenta, vasa, vestitus, equarum armenta et juvencarum. Loth, suis ruptis catenis, liber effert caput lividum vinculis. Abraham profligator hostium repetit domum ovans, quod retraxisset ab hoste filium fratris, ne in infidelium principum potestate esset aliquis a fidelibus parentibus procreatus. Melchisedech sacerdos Dei, atque etiam Rex potens multis*

W.—25 *tenebat* Weitz.—26 *strinxit* E. superscr.—33 *Artrita* Weitz. Gruter. *bojis* Weitz. *bagis* E. *bajis* F. *boigis* T.—36 *Nequa* A. E. Gif. Ind. Lucr. p. 299. Bodl. *prosapiem* Weitz.—41 H. vs. et seq. desunt Put.—46 *magalia*

NOTÆ

33 *Attrita bacis* [*boiis*] Ita Mss. Thuaneus veterrimus. Quicquid censeant aliqui, et *baccis* et *bagis* ab auctoris sententia aliena sunt. Boiæ, teste Plauto in Asinaria, vincula sunt ferrea aut lignea.

Secreta, nullum prodit auctorem sui;
Melchisedech, qua stirpe, quis majoribus,
Ignotus, uni cognitus tantum Deo.
Mox et triformis Angelorum trinitas
Senis revisit hospitis mapalia.
Et jam vietam Sarra in alvum fertilis
Munus juventæ mater exsanguis stupet,
Hærede gaudens, et cachinni pœnitens.
Hæc ad figuram prænotata est linea,
Quam nostra recto vita resculpat pede:
Vigilandum in armis pectorum fidelium,
Omnemque nostri portionem corporis,
Quæ capta fœdæ serviat libidini,
Domi coactis liberandam viribus.

opibus, cujus generatio abscondita inenarrabili origine nullum ostendit, qui caput sit suæ familiæ; cujus genus, atque atavi sunt omnibus ignoti, noti uni tantum Deo, offert, quia est sacerdos, cibos ad sacrificium destinatos Abrahæ adhuc cruentato sanguine tot hostium. Mox tres Angeli humana specie adeunt domum Abrahæ provecti ætate; et Sarra miratur quod mater effœta concipiat sero filium in utero sterili. Hæres conceptus affert gaudium, sed risus mœrorem. Hæc historia est data per allegoriam, quam recte viventes debemus exprimere nostris moribus. Est necesse ut simus vigiles in armis propriis cordi integro; ut, omnibus viribus domesticis una collectis, asseramus in libertatem omnem partem corporis nostri, quæ victa obtemperat turpiter appetitui. Atque intelligemus fi-

Weitz. *mappalia* B.—47 *quietam* Weitz. W. B. T. *fetam* Fuld. *victa* A. F. G. P. Bi. Bodl. *alvo* A. F. G.—51 *resculpit* F.—53 *fœde* Weitz.—58 *Possit* B.

NOTÆ

44 *Melchisedech*] Rex fuit Salem, quæ postea dicta est Jerusalem. Hebræi volunt non distingui a Sem filio Noë. Alii Chananæum fuisse autumant. Paulus vero ad Hebr. VII. sine patre, sine matre, sine genealogia eum vocat, quem secutus est Prudentius.

46 *Mapalia*] Sallustius: 'Ædificia Numidarum, quæ mapalia illi vocant, oblonga, incurvis lateribus tecta, quasi navium carinæ sunt.'

47 *Sarra*] Uxor Abrahæ, atque Aran, fratris Abrahæ, filia. Sarai erat illi nomen, quod Deus mutavit in Sarra.

49 *Cachinni*] Mox hæredem cum gaudio parit Isaacum, doletque quod emisso risu visa fuerit non adhibuisse Angelorum verbis eam, quam debebat, fidem. Ut refert Scriptura cap. XVIII. Genes. 'Quo audito Sarra risit post ostium tabernaculi.'

51 *Resculpat*] Ducta est metaphora a statuariis. Nam sculpere hanc artem spectat.

52 *Vigilandum in armis*] Teste enim Prospero: 'Nunquam bella piis, nunquam certamina desunt: Et, quocum certet, mens pia semper habet.'

Nos esse large vernularum divites,
Si quid trecenti, bis novenis additis,
Possint, figura noverimus mystica.
Mox ipse Christus, qui Sacerdos verus est,
Parente natus alto et ineffabili,
Cibum beatis offerens victoribus,
Parvam pudici cordis intrabit casam,
Monstrans honorem Trinitatis hospitæ.
Animam deinde spiritus complexibus
Pie maritam, prolis expertem diu,
Faciet perenni fertilem de semine.
Tunc sera dotem possidens puerpera,
Hærede digno Patris implebit domum.

gura sacra quid valeant trecenti et octodecim milites. Tum Christus ipse verus sacerdos, ex patre æterno atque incomprehensibili genitus, deferet dapes sanctis victoribus, subibit humile tectum cordis casti, atque ostendet quam sit honorificum excipere hospitio Trinitatem. Deinde Sanctus Spiritus dat gratia cœlesti fœcunditatem animæ suæ conjugi conjunctæ piis amplexibus, diu steriti bonorum operum. Jam facta sero fertilis implebit domum Dei digno hærede.

—60 *inenarabili* F. *Parente inenarrabili atque alto satus* Fuld. *Parente inenarabili atque uno satus* P. in marg. G.—64 *connexibus* A.—65 *maritans* C.—67 *Tum Sarra* A.—68 *implevit* P.

NOTÆ

55 *Domi viribus*] Cic. 'In morbis corporis medico exteriori opus habemus, at in animi vitiis remedia ipsa intra nos sunt.' Quare vires domesticas vocat prudentiam, solertiam, et ejusmodi virtutes. Qui locus nitide explicat mentem Prudentii.

57 *Si quid trecenti*] Duo hæc carmina nihil aliud quam Concilium Nicenum explicant, in quo auctoritate episcoporum 318. fides firmata fuit, omnesque hæreses destructæ. Ibi namque symbolum Nicenum conflatum est. Weitzius tamen et Drusius hæc referunt ad literam T, quæ species est crucis.

60 *Ineffabili*] Mallem ego: *Parente inenarrabili, atque uno satus*, ut Mss. Reg. Non enim pyrrichium admittunt iambi. Giphanius tamen et Heinsius alteram scripturam amplexi sunt: ita ut pes quartus sit dactylicus elisione exclusa.

65 *Prolis*] Bonorum operum scilicet, quæ anima virtute Spiritus Sancti gignit: unde merito proles animæ dicuntur.

67 *Dotem*] Quia ex historia superius enarrata infert sensum allegoricum. Omnia verba nobis sunt exponenda. Per dotem igitur intelligit innocentiam, quam doti dixerat Deus, cum ipsam creavit, Domum, cor scilicet, templum Dei. Denique digno hærede, bonis operibus, ut mox dicebam.

CHRISTE, graves hominum semper miserate labores,
Qui patria virtute cluis propriaque, sed una,
(Unum namque Deum colimus de nomine utroque,
Non tamen et solum, quia tu Deus ex Patre, Christe,)
Dissere, Rex noster, quo milite pellere culpas
Mens armata queat nostri de pectoris antro:
Exoritur quoties turbatis sensibus intus
Seditio, atque animam morborum rixa fatigat,
Quod tunc præsidium pro libertate tuenda,
Quæve acies furiis inter præcordia mixtis,
Obsistat meliore manu: nec enim, bone ductor,
Magnarum virtutum inopes, nervisque carentes
Christicolas vitiis populantibus exposuisti.
Ipse salutiferas obsesso in corpore turmas

O Jesu, qui semper misertus es acerborum laborum generis humani, qui splendes et tua et virtute Patris, quæ est eadem, (siquidem confitemur unum Deum in tribus Personis: non tamen est una persona, nam, o Jesu, es Deus procedens a Patre,) jam memora, o Rex noster, quibus armis anima instructa evellat libidines ex imo nostri cordis. Quoties intus concitatur tumultus motibus commotis, et repugnantia appetituum vexat animam. Quæ tunc adhibenda sint præsidia, ut retineat libertatem, aut quis exercitus militum fortiorum opponendus sit motibus existentibus e corpore. Neque enim, rector sapientissime, objecisti vitiis evertentibus omnia Christianos destitutos validis viribus, et imparatos a robore. Jubes ipse catervas salutares opitulari cordi oppresso undique. Instruis

3 *nomine trino* Weitz. Delph. Vat. quidam.—8 *animum* E. B.—13 *spolianti-*

NOTÆ

1 *Christe, graves hominum semper miserate labores*] Æmulatus est illud Maronianum Æn. VI. 56. 'Phœbe, graves Trojæ semper miserate labores.'

2 *Cluis*] Splendes. Cic. de Claris Orat. 'Tum duo Cæpiones multum cluentes consilio et lingua, plus auctoritate tamen et gratia sublevabant.' Sed et alios præterea significatus habet, de quibus Lexica consulenda.

3 *De nomine utroque* [*trino*] Non, *de nomine utroque*. Licet de Deo Patre et Filio tantum agat hic loci.

8 *Morborum*] Animi motuum. Ægrescit enim animus, ac debilitatur appetitu.

11 *Nec enim, bone ductor*] Ibi agit adversus Simonidem, qui Deum, quod homines tot tantisque libidinibus subjecisset, nobis invidisse asserebat.

12 *Nervis*] Viribus. Cic. pro Pomp. 17. 'Vectigalia nervos reipub. semper duximus.'

14 *Salutiferas turmas*] Virtutes, quarum actibus evellimus habitus vitiorum.

Depugnare jubes: ipse excellentibus armas
Artibus ingenium, quibus ad ludibria cordis
Oppugnanda potens tibi dimicet, et tibi vincat.
Vincendi præsens ratio est, si cominus ipsas
Virtutum facies, et colluctantia contra
Viribus infestis liceat portenta notare.

FIDEI ET IDOLOLATRIÆ PUGNA.

Prima petit campum dubia sub sorte duelli
Pugnatura Fides, agresti turbida cultu,
Nuda humeros, intonsa comas, exerta lacertos;
Namque repentinus laudis calor ad nova fervens
Prælia, nec telis meminit, nec tegmine cingi:
Pectore sed fidens valido, membrisque retectis,
Provocat insani frangenda pericula belli.

ipse animam optimis facultatibus, queis sat valida ad vincendas inanes cogitationes cordis pugnet pro te, et superet. Modus vincendi erit manifestus, modo mihi sit fas ponere ob oculos ipsam formam virtutum, et deformitatem vitiorum.

Fides prima descendit in certamen, tentatura sortem ancipitem belli, inculta, ornatu simplici, habens humeros nudos, capillos promissos, brachia denudata. Nam agitur cupiditate tam subita gloriæ, et desiderio novi certaminis, ut sit oblita arripere ensem et clypeum. Verum fidens forti animo aggreditur membris nudatis pericula belli gravissimi ipsi superanda. Tum Idololatria prima non dubi-

bus E.—15 *armis* Eg. P.—19 *acies* E.—22 *vultu* Fuld.—24 *labor* Put.—

NOTÆ

16 *Ludibria cordis*] Inanes animi cogitationes, quæ nos illudunt.

17 *Tibi vincat*] Id Christi laudi non parum conducit, quod homo, nixus ipsius gratia, perversos refrænet appetitus.

Idololatriæ] Εἰδωλολατρεία simulacrorum cultus; ab εἴδωλον simulacrum, et λατρεία cultus.

21 *Prima*] In certamen committit Christianam Religionem, atque Gentilium impietatem, culturamque Deorum.

Dubia] Non quod victoria dubia sit fortiter pro fide pugnanti, sed ad naturam respexit, in qua fortuna plerumque dominari solet. Unde Cicero pro Milone: 'Incerti exitus pugnarum, et Mars communis: qui sæpe spoliantem jam et exultantem evertit, et perculit ab abjecto.'

22 *Turbida*] Non quidem per aliquam perturbationem animi in pugnam descendit, sed exarmata et nuda, utcumque illam sors offendit, sola sui fiducia ad primum instantis pugnæ clamorem concurrit. Unde addit, 'cultu agresti,' nempe simplici atque inornato.

27 *Insani belli*] Ita Virg. Æn. VII. 461. 'Sævit amor ferri, et scelerata insania belli.'

Ecce lacessentem collatis viribus audet
Prima ferire Fidem veterum cultura Deorum.
Illa hostile caput, phalerataque tempora vittis
Altior insurgens labefactat, et ora, cruore
De pecudum satiata, solo applicat, et pede calcat
Elisos in mortem oculos, animamque malignam
Fracta intercepti commercia gutturis arctant,
Difficilemque obitum suspiria longa fatigant.
Exultat victrix legio, quam mille coactam
Martyribus regina Fides animarat in hostem:
Tunc fortes socios parta pro laude coronat
Floribus, ardentique jubet vestirier ostro.

PUDICITIÆ ET LIBIDINIS PUGNA.

Exin gramineo in campo concurrere promta
Virgo Pudicitia speciosis fulget in armis:
Quam patrias succincta faces Sodomita libido

tat conferre vires in unum, et percutere fidem provocantem. Fides vero alte insurgens perfringit cervicem adversariæ, et tempora decorata fasciis, et prosternit humi ora cruenta sanguine victimarum, et conculcat pedibus oculos offusos tenebris mortis. Ductus interclusi gutturis fracti obstruunt animam scelestam, et ægra suspiria augent dolores mortis. Turmæ plurimorum martyrum collectæ, quas Fides Regina incitarat in idololatriam, gaudent triumphantes. At Fides vincit sertis floreis comites magnanimos pro gloria adepta, et jubet vestiri purpura splendenti.

Exinde Pudicitia virgo resplendens armis lucidis, et parata ad confligendum, petit campum gramineum. Libido civis Sodomæ tenens faces patrias illam op-

33 *morte* A. P.—37 *armabat* Fuld.—38 *Nunc* B.—40 *in* deest F.—52 *Sordibus*

NOTÆ

30 *Phalerataque*] Ornata. Nam phaleræ equorum sunt ornamenta, præsertim in capite. Nonnunquam tamen pro virorum nobilium ornamento sumuntur. Tit. Liv. lib. IX. ab urbe tradit comitia Ædilitia Cn. Flavii tantum habuisse indignitatis, 'ut plerique aureos annulos et phaleras deponerent.'

Vittis] Vitta fascia est, qua circum capita antiqui aliquid religabant.

31 *Altior insurgens*] Tale illud Virg. lib. XII. 'Ille manu raptum trepida torquebat in hostem Altior insurgens.'

37 *Martyribus*] Quorum sanguis semen fuit Christianorum.

39 *Ostro*] Purpura, quæ fit e sanie ostrei, sive conchylii, qui murex appellatur. Una rubra, alia violacea. Vide Perist. x. 910. not.

42 *Patrias faces*] Duo notanda sunt. 1. Poëta, quod veteres finxerint Furias armatas facibus, quibus agitant

Aggreditur, piceamque ardenti sulfure pinum
Ingerit in faciem, pudibundaque lumina flammis
Appetit, et tetro tentat suffundere fumo:
Sed dextram furiæ flagrantis, et ignea diræ
Tela lupæ saxo ferit imperterrita virgo,
Excussasque sacro tædas depellit ab ore.
Tunc exarmatæ jugulum meretricis adacto
Transfigit gladio: calidos vomit illa vapores,
Sanguine concretos cœnoso: spiritus inde
Sordidus exhalans vicinas polluit auras.
Hoc habet, exclamat victrix regina; supremus

pugnat, et ferit illius vultum tæda manante picem accensam, et invadit igne oculos pudicos, et conatur suffocare fumo fœdo. Ast intrepida pudicitia percutit saxo manum furiæ furentis, et tela inflammata infamis meretricis, necnon removet a sacro suo vultu faces repulsas. Tum transverberat ense immisso collum scorti destituti armis. Libido emittit halitus igneos et commixtos cruore fœdo. Halitus teter, emissus ex sordibus per vulnus, inficit aëra propinquum. Pudicitia victrix, Habet hoc vulnus, inquit; is erit ultimus dies tuæ vitæ; sem-

G.—53 *Hoc habe* E. P. Gif. Ind. Lucr. p. 377. *Hoc tibi habe* A. G.—60 *cer-*

NOTÆ

et insectantur impios, ut tradit Ovid. Metam. IV. 'Nec mora, Tisiphone madefactum sanguine sumit Importuna facem.' Libidini non secus ac Furiæ tribuit facem. 2. Patrias vocat: nam tinctæ erant bitumine sulfureo, quod exsudat Asphaltites lacus, ad quem erat sita Sodoma.

Sodomita libido] Libido incola Sodomæ; ob nefandæ libidinis crimina Sodoma igne consumta est, ac nullibi libido tam supremum habuit imperium. 2. Ut annotat Ant. Nebriss. Sodomita male dicitur pro fœminino; nam ut formatur a Græcis, licet ea vox sit Hebræa, ponendum est Sodomitis Sodomitidis.

43 *Piceam*] Picea pini species, resinam ferens, arbor funesta. Plin. XVI. 10. 'Picea montes amat, atque frigora, feralis arbor, ac rogis virens; hæc plurimam resinam fundit.'

47 *Lupæ*] Meretricis. Hac voce utebantur antiqui, unde lupanaria. Juven. 'Ite, quibus grata est picta lupa barbara mitra.'

Saxo ferit] Quasi diceret constantia. Aptissimaque ea est antithesis. Nam, ut sulfureas faces tribuit libidini, quibus mens hominum uritur, ita tribuit castitati constantiam, qua manet immota velut saxum, cum eam sensus alliciunt ad voluptatem.

51 *Sanguine concretos*] Commixtos. Virg. Æn. II. 'Squalentem barbam, concreto sanguine crines.'

53 *Hoc habet*] Recentiores, *hoc tibi habe*, sed assentior iis, qui *hoc habet* legunt. Et poëticum magis, et ab antiquis magis usurpatum. Virg. Æn. XII. 'Desuper altus equo graviter ferit, atque ita fatur: Hoc habet, hæc melior magnis data victima Divis.' Servius id explicat, 'habet vulnus le-

Hic tibi finis erit, semper prostrata jacebis:
Nec jam mortiferas audebis spargere flammas
In famulos famulasve Dei, quibus intima casti
Vena animi sola fervet de lampade Christi.
Tene, o vexatrix hominum, potuisse resumtis
Viribus extincti capitis recalescere flatu?
Assyrium postquam thalamum cervix Holofernis
Cæsa cupidineo madefactum sanguine lavit;
Gemmantemque thorum mœchi ducis aspera Judith
Sprevit, et incestos compescuit ense furores;
Famosum mulier referens ex hoste tropæum,
Non trepidante manu vindex mea cœlitus audax.
At fortasse parum fortis matrona sub umbra
Legis adhuc pugnans, dum tempora nostra figurat,
Vera quibus virtus terrena in corpora fluxit,

per manebis profligata humi; nec poteris imposterum inflammare igne noxio servas Dei et servos, quorum pectus intimum incenditur uno amore casti Jesu. Tune, o inimica hominum, potuisti reviviscere, et renasci ex halitu capitis mortui? obtruncato Holoferne, qui commaculavit cubile Assyrium aspersum sanguine; et casta Judith contemsit lectum rigentem gemmis principis adulteri, et inhibuit ejus furorem impudicum allata illi nece; vidua adjuta auxilio divino reportans manu intrepida hanc insignem victoriam ex hoste me asseruit in libertatem. Sed Judith dimicans tempore legis umbratilis, quæ adumbrabat hoc tempus veræ legis, ubi virtus solida, amputatura per imbelles ministros caput robustum

virque Weitz. E. B.—62 *Gemmatumque* Weitz. Vat. quidam.—68 *terreno* in

NOTÆ

tale.' Vox illa est e gladiatoriis ludis repetita, ubi victor vulnerato a se adversario sic insultabat. Senec. in Agamemn. et Hercule Œteo: 'Habet, peractum est.' Terent. in Andr. 'Certe captus est, habet;' quod Donatus per 'vulneratus est' reddidit.

57 *Lampade Christi*] Amore. Juven. 'Nec pharetris Veneris macer est, aut lampade fervet.'

60 *Holofernis*] Nomen est Persicum. Is erat princeps militiæ Nabuchodonosori.

62 *Mœchi ducis*] Qui volebat esse mœchus. Ut Virg. *Æn.* IV. 536. 'Quos ego sum toties jam dedignata maritos.'

Judith] I. e. laudans Deum, a Jadah laudare. Hanc fuisse nobilem viduam, opibus potentem, castam, Bethuliæ incolam quis nescit? Sat Biblia sacra c. XIII. lib. Judith, exponunt qua arte vino pleni Holofernis caput acinace præciderit, et patriam liberarit obsidione.

66 *Parum fortis*] Quia sub lege veteri pudicitia non tantopere commendabatur.

Sub umbra Legis] Secundum verba Pauli ad Corinth. 'Omnia in figura contingebant illis.'

Grande per infirmos caput excisura ministros.
Numquid et intactæ post partum Virginis ullum
Fas tibi jam superest? post partum Virginis, ex quo
Corporis humani naturam pristina origo
Deseruit, carnemque novam vis ardua sevit,
Atque innupta Deum concepit fœmina Christum,
Mortali de matre hominem, sed cum Patre numen.
Inde omnis jam diva caro est quæ concipit illum,
Naturamque Dei consorti fœdere sumit:
Verbum quippe caro factum non destitit esse,
Quod fuerat, Verbum, carnis dum glutinat usum,
Majestate quidem non degenerante per usum
Carnis, sed miseros ad nobiliora trahente.
Ille manet quod semper erat, quod non erat, esse

diaboli, fluxit in corda hominum, forte non satis habuit virium. Ast ullane tibi mansit potestas, post partum Mariæ integræ? Post partum, inquam, Mariæ, quo partu vetus origo corporis humani mutavit conditionem, et vis divina induit se carne humana; Mariaque expers thalami peperit Jesum Deum, qui est homo mortalis, quod sit natus ex fœmina, quique idem est cum Patre, Deus. Hinc caro omnium hominum, quæ peperit illum, est facta particeps divinitatis, et est evecta communi societate veluti ad naturam Dei. Nam secunda persona Trinitatis homo facta est; sed ea dum se conglutinat humanitati, non desinit esse Deum, ut erat ante. Usus carnis non mutavit in deterius divinitatem, sed evehit homines miseros ad sublimiora. Christus incipiens esse id quod non erat,

corpore A. T. Bodl. Ro.—72 *prisca propago* A. F. *pristinam* C.—73 *carnique novam* Ro.—75 *Mortalem* Weitz. E.—77 *consortis* Eg. P. Put.—79 *dum carnis*

NOTÆ

69 *Per infirmos*] Idem Paulus, 1 Cor. cap. I. 'Infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia.'

76 *Diva caro est*] Mihi hoc legenti venit in mentem D. Hieron. locus plane similis lib. II. contra Jovinian. 'Verbum caro factum est, ut nos transiremus in verbum de carne.'

Quæ concipit illum] Non ad solam Mariam, quæ vere Jesum concepit ea referuntur: sed ad omnem speciem, ut philosophice loquar; siquidem cum illa natura humana sit universalis, eadem, si in uno individuo ad divinitatem evehitur, evehitur et in aliis; non tamen eo modo, quo Monophysitæ explicabant, nam in Christo naturam humanam destructam esse existimabant, atque post incarnationem homines contendebant esse Deos.

77 *Naturam sumit*] Agit adversus Photinianos ac Samosatenos, qui Christum merum esse hominem asserebant. 2. Refutat Carpocratem, Ebionem, Cerinthum, qui Jesum ex Josephi et Mariæ conjugio ceterorum more progenitum docuere. 3. Oppugnat sententiam Tertulliani, atque

Incipiens. Nos, quod fuimus, jam non sumus, aucti
Nascendo in melius: mihi contulit, et sibi mansit.
Nec Deus ex nostris minuit sua, sed sua nostris
Dum tribuit, nosmet dona ad cœlestia vexit.
Dona hæc sunt, quod victa jaces, lutulenta Libido,
Nec mea post Mariam potis es perfringere jura.
Tu princeps ad mortis iter, tu janua leti
Corpora commaculans, animas in Tartara mergis.
Abde caput tristi jam, frigida pestis, abysso:
Occide, prostibulum: manes pete, claudere Averno,
Inque tenebrosum noctis detrudere fundum.

manet id quod erat ab æterno. Nos vero homines non sumus nunc id quod fuimus, sed accepimus nobiliorem conditionem; et nascendo nobis dedit, et servavit sua omnia. Nec sua divinitas passa est detrimentum nostra natura assumta; sed, dum sua divinitate ornat nostram naturam, nos evehit ad dona cælestia. Est munus Dei, quod sis debellata, o immunda Libido, nec queas post partum Mariæ violare mea jura. Tu dux ad viam peccati, tu janua mortis animarum mergis eas in Inferos implens corpora sordibus. Jam absconde caput, o pestis funesta, in barathrum tenebrosum. Morere, o meretrix, pete Tartara, claudere in Averno, et descende ad obscura loca noctis. Te Phlegethon flammeus ab-

glutinat Ro.—87 *quis victa* Vulg.—88 *perstringere* A. E.—90 *commaculas* Ro.

NOTÆ

Antidicomarianitarum, qui credebant Mariam non fuisse post partum virginem.

83 *Incipiens*] I. e. de novo factus homo, carnem accipiens, remanet Deus, ut erat ab æterno: nec sese divina essentia spoliavit, dum se conglutinavit naturæ humanæ. E contra nos jam non sumus peccatores, et servi dæmonis, sed cohæredes Christi.

84 *Mihi contulit, et sibi mansit*] Hinc August. serm. 5. de Tempore: 'Accedens ad nos per id quod assumsit ex nostro; et liberans nos per id quod mansit in suo.'

90 *Tartara*] Lacus profundissimus Inferorum, ubi sontes plectuntur. 'Libido' autem, inquit Cyprian. Epist. II. 'arridet ut sæviat; blanditur, ut fallat; illicit, ut occidat.'

91 *Frigida*] Alii *fervida*. Ut ut est, utrumque libidinis effectum spectat. Frigida vocatur, quod crudelius venenum ac magis præsentaneum frigidum est. Ita Lucan. 'gelidas pestes' appellat serpentes pestiferos.

92 *Manes*] Animi sunt soluti a corporibus. Aliquando autem pro loco ipso Inferorum, aut potius pœnis. Virg. Æn. VI. 743. 'Quisque suos patimur manes.'

Averno] Avernus, lacus Campaniæ inter Baias et Puteolos, quem locum Plutoni dicatum, et Inferorum limen esse rudis vetustas scripsit. Unde et pro sede Inferorum a poëtis usurpatur.

93 *In noctis fundum*] In imum Inferorum. Virgil. 'Pallentes umbras Erebi, noctemque profundam.' Quare quidam finxere noctem ex Erebo natam. 'Erebo creata fuscis crinibus, nox, te invoco.'

Te volvant subter vada flammea, te vada nigra;
Sulfureusque rotet per stagna sonantia vortex.
Nec jam Christicolas, furiarum maxima, tentes,
Ut purgata suo serventur corpora Regi.
Dixerat hæc, et læta Libidinis interfectæ
Morte Pudicitia gladium Jordanis in undis
Abluit infectum: sanies cui rore rubenti
Hæserat, et nitidum macularat vulnere ferrum.
Expiat ergo aciem fluviali docta lavacro
Victricem victrix, abolens baptismate labem
Hostilis juguli: nec jam contenta piatum
Condere vaginæ gladium, ne tecta rubigo

sorbeat, te amnis Erebi; et Avernus sulfureus ambiant te aquis sonantibus; nec jam, o pessima Eumenidum, solicites Christianos; ut servent suo Deo corpora munda. Ubi hæc dixit Pudicitia alacris ob mortem Libidinis peremtæ lavit aquis Jordanis gladium madefactum. Huic roranti sanguine adhæserat putridus humor, et decoloraverat cruore vulneris nitens ferrum. Quare virgo solers et victrix abstergit undis fluvii Jordanis mucronem, eluens hac immersione sordes juguli libidinis. Nec tum ipsi fuit satis recondere in vaginam ensem purgatum;

—91 *fervida* A.—95 *Solporeus* Put. *vortex* Put.—97 *corpora Christo* B. E. ut gloss.—105 *vagina* A. *ne sorde latenti Occupat a. rubigo scabra n.* G.—108 *sub*

NOTÆ

94 *Vada flammea*] Phlegethontis undas intelligit. Fluvius est infernalis flammis æstuantibus rapidus. Virg. Æn. vi. 'Quæ rapidus flammis ambit torrentibus amnis Tartareus Phlegethon, torquetque sonantia saxa.'

Vada nigra] Vada Erebi. Nam vulgo pro obscuriori inferni parte sumitur: 'Imas Erebi descendit ad umbras.'

96 *Furiarum*] Tres memorantur a poëtis: Alecto, Tisiphone, et Megæra. Furiæ etiam significant tres animi affectus, qui homines in omnia facinora præcipites agunt: quorum ira ultionem desiderat, cupiditas opes, libido voluptates.

99 *Jordanis*] Fluvius Palæstinæ maximus, in Cœlesyria, apud Cæsaream Philippi. Illius aquæ sunt Christi baptismate consecratæ. Adi sup. Hamart. vs. 483.

103 *Baptismate*] Ablutione, cum baptisma formetur a verbo *βάπτω* mergo. Alludit tamen ad baptismatis sacramentum, quo peccatum originale abluitur.

105 *Tecta rubigo*] Vulgata Scriptura hæc fuit: licet hoc carmen dictionis correptæ vitio, ut quidam putant, laboret. Rubigo enim tum apud ipsum Poëtam alibi, tum apud Virgilium, Propertium, Ovidium primam producit. 'Exesa inveniet sacra rubigine pila.' Martialis tamen, modo illud epigramma lib. ii. huic Poëtæ tribui possit, dixit: 'Uteris ore aliter, nimiaque rubigine captus.' Non er-

Occupet ablutum scabrosa sorde nitorem,
Catholico in templo divini fontis ad aram
Consecrat, æterna splendens ubi luce coruscet.

PATIENTIÆ ET IRÆ CONGRESSUS.

Ecce modesta gravi stabat Patientia vultu
Per medias immota acies, variosque tumultus,
Vulneraque et rigidis vitalia pervia pilis
Spectabat defixa oculos, et lenta manebat.
Hanc procul Ira tumens spumanti fervida rictu,
Sanguinea intorquens suffuso lumina felle,
Ut belli exsortem, teloque et voce lacessit,
Impatiensque moræ conto petit, increpat ore,
Hirsutas quatiens galeato in vertice cristas.

sed, ne ferrugo occulta obscuret sordida ærugine nitorem ensis politi, illum suspendit ad aram in templo consecrato Christo prope sacrum Jordanem, ubi resplendens fulgebit gloria perenni.

Patientia modesta stabat vultu constanti, et immobilis per medias turmas, et varios motus, cernebat oculis dejectis in terram saucios, et pectora perfossa sagittis duris, et perstabat immobilis. Ira impos et ardens ore emittente spumas volvit oculos sanguineos bile admixta, et provocat armis et verbis patientiam quasi immunem belli et otiosam; atque impatiens moræ ferit hanc hasta, et lacessit dictis, quassans cristas impositas galeæ, qua ipsius caput tegebatur. En ti-

luce E. W.—110 *tumultos* Weitz. W.—114 *sanguineaque* W.—119 *in pectore*

NOTÆ

go; *Condere vagina gladium, ne sorde latenti Occupet ablutum rubigo scabra nitorem*, ponendum esse censui.

107 *Catholico in templo*] More veterum, qui, sicubi res bene processisset foris, reversi incolumes, arma soliti sunt suspendere in fanis Deorum. Hor. Epist. I. 'Veianius, armis Herculis ad postem fixis, latet abditus agro.'

110 *Per medias immota acies*] Huc spectat Cyprian. locus Epist. I. 3. 'Manere debet apud nos Fidei robur immobile, et stabilis atque inconcussa virtus contra omnes incursus atque impetus oblatrantium fluctuum, velut petræ objacentis fortitudine et mole, debet obsistere.'

112 *Defixa oculos*] Quod ipsum constantiæ signum est. Virg. Æn. VI. 'Illa solo fixos oculos aversa tenebat.' De Ira sup.

115 *Exsortem*] Exsors illo loco idem significat ac immunis. Tit. Livius dixit 'exsortem amicitiæ,' 'culpæ exsortem.'

116 *Conto*] Contus sudes est, sive pertica longior duriorque, ad percutiendum apta. Virg. Æn. IX. 'Telorum effundere contra Omne genus Teucri, et duris detrudere contis.' Unde Contanos milites Vegetius appellat eos qui iis armis utuntur.

117 *Cristas*] Crista, ad similitudinem coni avium, sumitur pro cono galeæ. Virg. Æn. IX. 'Tum galeam

En tibi Martis, ait, spectatrix libera nostri,
Excipe mortiferum securo pectore ferrum:
Nec doleas quia turpe tibi gemuisse dolorem.
Sic ait, et stridens sequitur convicia pinus
Per teneros crispata Notos, et certa sub ipsum
Defertur stomachum, rectoque illiditur ictu:
Sed resilit duro loricæ excussa repulsu.
Provida nam Virtus conserto adamante trilicem
Induerat thoraca humeris, squamosaque ferri
Texta per intortos commiserat undique nervos.
Inde quieta manet Patientia, fortis ad omnes

bi, dixit, o quæ otiosum in morem bellum spectas, accipe corde intrepido vulnus letale: nec edas gemitum, nam tibi esset probrosum flevisse præ dolore. Fatur talia: et telum pineum vibratum per levem aërem volat cum stridore, nec frustratum percutit ipsum stomachum, et contundit ictu non deflexo in aliam partem. At resultat repulsum conflictu fortis armaturæ. Nam Patientia comparans se ante ad pugnam sumserat loricam triplicem adamante intexto, et conseruerat undique nervis intortis hamos ferreos contextos in modum squamarum. Quo thorace in-

E.—120 *tibi est* E. *dolore* Gif. T. a m. sec.—126 *thoracha* W. *humeros* B.

NOTÆ

Messapi habilem, cristisque decoram Induit.'

122 *Teneros* [*Tenues*] Vulgo *teneros*: sed *tenues* proprium est ventorum epitheton. Virg. Æn. v. 'Namque volans liquidis in nubibus arsit arundo, Signavitque viam flammis, tenuesque recessit Consumta in ventos.'

124 *Loricæ repulsu*] Lorica, tunica quædam est, ac munimentum pectoris in bello, quæ, quia primum e loris et coriis fiebat, lorica dicta est. Contexta deinceps ex laminis ferreis, tum annulis sibi invicem instar hamorum compactis; denique squamis etiam ferreis, aut laminæ, aut corio confertim insertis. Varro: 'Lorica, quod e loris de corio crudo pectoralia faciebant, postea succuderunt Galli e ferro sub id vocabulum ex annulis tunicam ferream.'

125 *Provida Virtus*] Nam, ut ait Tertull. 'Nihil impatientia susceptum sine impetu transigi novit: nihil impetu actum, non aut offendit, aut corruit, aut præceps abiit.'

Trilicem] Deducitur a licia liciorum, quæ fila sunt, quibus in telis textores implicant stamina. Ovid. 'Tunc cantata tenet cum fusco licia plumbo.' Atque idem est, ac quod constat ex tribus liciis, unde trilicem dicimus vestem. Interdum tamen accipitur trilix pro triplici. Virg. Æn. III. 'Loricam consertam hamis auroque trilicem.' Valer. Flacc. Argon. 2. 'Per clypei cedentis opus, partemque trilicem, Qua stomachi secreta ferit.'

127 *Intortos nervos*] Veteres ad majorem loricæ securitatem nervos hamis ferreis interponebant.

Telorum nimbos, et non penetrabile durans.
Nec mota est jaculo monstri sine more furentis,
Opperiens propriis perituram viribus Iram.
Scilicet indomitos postquam stomachando lacertos
Barbara bellatrix impenderat, et jaculorum
Nube supervacuam lassaverat irrita dextram,
Cum ventosa levi cecidissent tela volatu,
Jactibus et vacuis hastilia fracta jacerent,
Vertitur ad capulum manus improba, et ense corusco
Connisa in plagam, dextra sublimis ab aure
Erigitur, mediumque ferit librata cerebrum.
Ærea sed cassis, cocto formata metallo,
Tinnitum percussa refert, aciemque retundit
Dura resultantem: frangit quoque vena rebellis

duta Patientia stat tranquilla, fortis contra omnem copiam telorum, et manet invulnerata. Non fuit territa pilo Iræ nimium vecordis: sed expectavit donec illa periret sua manu. Nempe postquam hostis impia consumsit barbaro furore vires indomitas, ac frustra fatigavit manum inutilem tot telis, jaciendis frustra, cum sagittæ leves cecidissent volatu casso, et hastæ laceratæ conjectu irrito jacerent, accipit scelerata manu gladium, et attollens se sublimem a dextra parte, ut graviorem ictum imponeret nudo ense, et librans manum verberat medium caput. Verum galea Patientiæ ænea, et conflata metallo purgato flammis, insonat percussa, atque hebetat sua duritie laminam ensis dissilientis: itaque galea resis-

—136 *Ictibus* Vulg.—138 *Connixa* Vulg. *Conisa* Weitz. W. B. E. Lud. Carrio ad Val. Flac. 2. *in galeam* E.—139 *vibrata* Gif. Ind. Lucr. p. 484.—140

NOTÆ

129 *Non penetrabile durans*] Hic interpretes valde laborant, præcipueque Ant. Nebrissensis, qui fatetur ingenue genus pro genere posuisse Prudentium. Constat enim, 'non penetrabile durans,' referri ad patientiam. Ne tamen id, quod ipsi pueri callent a primis annis, ignorasse Poëtam velimus, mihi videtur hunc locum non unum pati sensum. Ac primo quidem, 'non penetrabile durans,' telum dicemus, i. e. tolerans, sustinens, excipiens ita telum in se contortum, ut eo non penetretur. Ut Hor. Od. I. 14. 'Vix durare carinæ Possunt imperiosius Æquor?' Quod sane non alienum est a mente Prudentii. Deinde Virg. aliique optimi Scriptores per ellipsim dixere, 'Varium et mutabile semper Fœmina,' 'Triste lupus stabulis;' scilicet negotium.

139 *Librata*] Virg. et Ovid. verbo 'librare' utuntur pro conjicere, jaculari. Virg. Æn. IX. 'Hoc acrior idem Ecce aliud summa telum librabat ab aure.' Ovid. Metam. II. 'Intonat, et dextra libratum fulmen ab aure Misit in aurigam.'

142 *Vena*] Quod ex venis terræ effoditur æs. Cic. II. de N. D. 'Nos æris, argenti, auri venas penitus abditas invenimus.'

Illisum chalybem, dum cedere nescia cassos
Excipit assultus, ferienti et tuta resistit.
Ira, ubi truncati mucronis fragmina vidit,
Et procul in partes ensem crepuisse minutas,
Jam capulum retinente manu sine pondere ferri,
Mentis inops, ebur infelix, decorisque pudendi
Perfida signa abicit, monumentaque tristia longe
Spernit, et ad proprium succenditur effera letum.
Missile de multis, quæ frustra sparserat, unum
Pulvere de campi perversos sumit in usus:
Rasile figit humi lignum, ac se cuspide versa
Perfodit, et calido pulmonem vulnere transit.
Quam super assistens Patientia: Vicimus, inquit,
Exultans vitium, solita virtute, sine ullo
Sanguinis ac vitæ discrimine: lex habet istud
Nostra genus belli, furias omnemque malorum
Militiam, et rabidas tolerando extinguere vires.
Ipsa sibi est hostis vesania, seque furendo
Interimit, moriturque suis ira ignea telis.

teso ictui frangit ensem impactum; nam ea nescia perforari repellit ictum, et tuta obsistit iræ assilienti. Ut ira aspexit frusta gladii mutilati, et ensem subsiliisse longe in partes perexiguas, inops mentis, dextra jam tenente capulum nudatum lamina ferri, deponit inutilem capulum eburneum, et insignia perfida decoris pudendi, et rejicit procul indicia acerba suæ stragis, et furibunda parat sibi necem consciscere. Colligit de arena campi in suam perniciem unum jaculum ex tot, quæ contorserat frustra in patientiam. Tum affigit ad terram illud lævigatum jaculum, et ferro inverso in semetipsam perforat se, et penetrat pulmonem vulnere, unde sanguis calidus erupit. Patientia, stans super Iræ cadaver, exclamat læta, Superavi hoc monstrum fortitudine solita, sine periculo mortis aut vulneris. Ita soleo bella gerere, ut hostes omnes, et vim immensam malorum superem ferendo et patiendo. Furor ipse sibi adversatur, et furendo se destruit:

cassis cæcto informata Put.—143 *cassis* Weitz. Vat. un.—165 *funere* Heins.

NOTÆ

143 *Cassos*] Utrum *cassis nescia* ponendum sit, an *cassos assultus*, dubitari potest: elige.

149 *Perfida signa*] Quia illis non erat fidendum utpote falsis, et parvi momenti in certamine.

156 *Vitium*] Duplicem Philosophi admittunt iracundiam, quarum una vitiosa est, de qua hic loquitur Poëta; altera autem, quæ prudentiæ subjicitur, minime mala, quinetiam mansuetudini proxima est. Arist. Ethic. lib. III.

Hæc effata secat medias impune cohortes
Egregio comitata viro: nam proximus Iob
Hæserat invictæ dura inter bella magistræ,
Fronte severus adhuc, et multo vulnere anhelus:
Sed jam clausa truci subridens ulcera vultu,
Perque cicatricum numerum sudata recensens
Millia pugnarum, sua præmia, dedecus hostis.
Illum Diva jubet tandem requiescere ab omni
Armorum strepitu, captis et perdita quæque
Multiplicare opibus, nec jam peritura referre.
Ipsa globos legionum, et concurrentia rumpit
Agmina, vulniferos gradiens intacta per imbres:
Omnibus una comes Virtutibus associatur,
Auxiliumque suum fortis Patientia miscet.
Nulla anceps luctamen init Virtute sine ista
Virtus: et vidua est, quam non Patientia firmat.

atque ira fervens moritur suis armis. Dixit hæc, et comitata Job insigni viro perrumpit media agmina. Nam Job adhæserat lateri illius ut magistræ invictissimæ tempore belli. Erat adhuc tristis, et anhelans ob nimia vulnera: sed etiam subridens vultu tristi, quod videret vulnera sanata, et numerans multitudine stigmatum tot certamina devicta multo cum sudore, et sua tropæa, quæ erant opprobria iræ. Diva patientia imperat tandem illum requiescere ab omni tumultu armorum, et augere in duplum ex spoliis hostilibus omnia sibi erepta olim, et referre bona permansura. Ipsa progrediens incolumis inter nimbos telorum letalium profligat hostium innumeras legiones, et turmas ipsi occurrentes. Fortis Patientia sola comitatur omnes Virtutes, et illis fert suam opem. Nulla Virtus descendit in certamen dubium sine illa; nam Virtus, quam Patientia non corroborat, est debilis.

Vat. un.—170 *quæ sunt* A.—172 *Illa* Weitz. *globum* F. B.—177 *nam vidua*

NOTÆ

163 *Iob*] Ortus est ex Esau matre Bosra, patre Zara. Quintus fuit ab Abraham. Alii, inter quos Divus Hieronymus et Rupertus, volunt Hus filium Nachor illum genuisse. Utut est, satis est ad rem nostram memoria tenere Job insigne fuisse ac memorabile exemplum patientiæ.

166 *Truci subridens vultu*] Significat in illo fuisse tristitiam lætitiæ mixtam.

167 *Sudata recensens Millia pugnarum*] Statius Thebaid. v. 48. 'Dulce loqui miseris, veteresque reducere questus.'

SUPERBIÆ ET HUMILITATIS PUGNA.

Forte per effusas inflata Superbia turmas
Effræni volitabat equo, quem pelle leonis
Texerat, et validos villis oneraverat armos,
Quo se fulta jubis jactantius illa ferinis
Inferret, tumido despectans agmina fastu.
Turritum tortis caput accumularat in altum
Crinibus, exstructos augeret ut addita cirros
Congeries, celsumque apicem frons ardua ferret.
Carbasea ex humeris summo collecta coibat
Palla sinu, teretem nectens a pectore nodum.
A cervice fluens tenui velamine limbus
Concipit ingestas textis turgentibus auras.
Nec minus instabili sonipes feritate superbit,
Impatiens madidis frænarier ora lupatis.

Elata Superbia forte obequitabat agminibus dispositis agitans equum acrem, quem velarat pelle leonis, et illius validis humeris aptarat pilos, ut ipsa sedens in pelle leonis incederet insolentius, prospiciens infra se fastu superbo turmas hostiles. Erexerat in altum caput exstructum in turrem capillis contortis, ut illa coacervatio adjuncta augeret crines exstructos, et frons sublimis ornaretur alta crista. Vestis linea subnexa summo sinu demittebatur ex humeris connectens a pectore nodum teretem. Velamen tenue circumdatum limbo pendet a capite, et vestimentis distentis accipit ventos obvios. Quinetiam equus vix consistens superbit feritate, impatiens quod os regatur fræno aspero. Ferox vertit tergum modo huc,

Weitz.—178 *Morte* W.—187 *in pectore* Fuld.—189 *infestas* A. W. in marg.

NOTÆ

180 *Armos*] Armi proprie sunt humeri quadrupedum. Plin. xi. 39. 'Pili equis in juba largi, in armis leoni.' Horat. Sat. ii. 4. 'Fœcundi leporis sapiens sectabitur armos.'

183 *Turritum caput*] Tale illud Hier. Epist. ad Demetr. 'Quando eras in sæculo, ea, quæ erant sæculi, diligebas, polire faciem purpurisso, ornare crinem, et alienis capillis turritum verticem struere.'

184 *Cirros*] Capilli contorti ac proinde crispati, teste Nonio, appellantur cirri: 'Itaque Ambraciæ primum capillum puerilem demtum, item cirros ad Apollinem ponere solent.'

186 *Carbasea*] Carbasus, teste Plinio xix. 1. est genus lini miræ tenuitatis in Hispania repertum. Multi virile esse vestimentum autumant. Virg. Æn. viii. 'Eum tenuis glauco velabat amictu Carbasus.' Alii muliebre. Val. Max. de Æmilia virgine Vestali: 'Qua adorante,' inquit, 'cum carbasum, quam optimam habebat, foculo imposuisset, subito ignis emicuit.'

191 *Lupatis*] Lupata, fræna sunt,

Huc illuc frendens obvertit terga, negata
Libertate fugæ, pressisque tumescit habenis.
Hoc sese ostentans habitu ventosa virago
Inter utramque aciem supereminet, et phaleratum
Circumflectit equum, vultuque et voce minatur,
Adversum spectans cuneum: quem milite raro,
Et paupertinis ad bella coëgerat armis
Mens humilis: regina quidem, sed egens alieni
Auxilii, proprio nec sat confisa paratu,
Spem sibi collegam conjunxerat, edita cujus
Et suspensa ab humo est Opulentia divite regno.
Ergo humilem postquam malesana Superbia Mentem
Vilibus instructam nullo ostentamine telis
Aspicit, in vocem dictis se effundit amaris:
Non pudet, o miseri, plebeio milite claros
Attentare duces, ferroque lacessere gentem

modo illuc retrocedens, quia ipsi est adempta potestas fugiendi, et, habenis compressis, turgescit. Superbia vana sese jactans hoc habitu supereminet utrumque exercitum, et flectit equum instratum magnifice, et respiciens insequitur vultu et voce turmas oppositas: quos paucos milites, et instructos armis pauperrimis, Humilitas vocavat ad signa. Ea quidem est regina, sed carens copiis auxiliaribus, nec satis fidens suo apparatu belli sibi elegerat Spem auxiliarem, quæ spes genuit et sublevavit e terra Abundantiam dominam regni opulenti. Postquam igitur insaniens Superbia vidit Humilitatem vestitam nullo fastu, armis nullius pretii, resolvit vocem dictis protervis: Nonne vos pudet, o miseri, aggredi militibus contemnendis duces incly-

Vat. nn. a m. pr.—205 *fundit* A.—208 *telis* Weitz.—213 *nostros* A. F.—216

NOTÆ

ita dicta a lupinis dentibus, quia inæquales sunt; sive quia duritiam habent lupinorum dentium similem. His frænis utebantur Galli. Horat. Carm. I. 'Gallica nec lupatis Temperat ora frænis.'

197 *Cuneum*] Per translationem sumitur pro peditum multitudine in cunei formam redacta, quæ in acie angustior primo, deinde latior procedit. Tit. Liv. VIII. 'Tanta cæde perrupere cuneos, ut vix quartam partem relinquerent hostium.' Virg. Æn. XII. 'Simul ingens clamor, et omnes Turbati cunei.' De Ventoso Hamart. vs. 400. not.

198 *Paupertinis*] Apuleius: 'Quid oro, fili, paupertinas reculas donas vicinis?'

202 *Suspensa ab humo*] Alludit ad consuetudinem Romanorum, qui infantes recens natos humi collocabant, et deinde sublevabant. Unde Dea Levana.

Insignem titulis, veteres cui bellica virtus
Divitias peperit, lætos et gramine colles
Imperio calcare dedit? nunc advena nudus
Nititur antiquos, si fas est, pellere reges.
En, qui nostra suis in prædam cedere dextris
Sceptra volunt! en qui nostras sulcare novalês,
Arvaque capta manu popularier hospite aratro
Contendunt, duros et pellere Marte colonos!
Nempe, o ridiculum vulgus, natalibus horis
Totum hominem, et calidos a matre amplectimur artus,
Vimque potestatum per membra recentis alumni
Spargimus, et rudibus dominamur in ossibus omnes.
Quis locus in nostra tunc vobis sede dabatur,
Congenitis cum regna simul ditionibus æquo
Robore crescebant? nati nam luce sub una
Et domus et domini paribus adolevimus annis.
Ex quo plasma novum de consepto paradisi
Limite progrediens amplum transfugit in orbem,

nos, et congredi cum hominibus insignibus, quibus jampridem virtus bellica peperit opes, et dedit regere regiones amœnas gramine? Nunc peregrini pauperes conantur, quod est nefas, dimovere de possessione antiquos dominos. En illi scilicet, qui concupiscunt ut nostra regna veniant in suam potestatem jure prædæ! Ecce, qui parant exercere nostros agros novales, et spoliare arva nobis parta bello cultura suorum dominorum, ac denique extrudere vi fortes hospites! O sane ignavi homunciones, ego die natalitio recipio sinu omnes homines, et corpora adhuc calida sanguine matris; et infundo in membra pueri nati recens firmas vires; et regno in corporibus novis. An vobis fuit aliquod dominium in mea ditione, cum mea potestas corroborabatur pari ratione ac prædia? nempe homines simul nati. Nam ex hoc die, quo primus homo exiens de locis angustis paradisi habitavit vastam terram, et Adam

hoc ridiculum Weitz. *ho* E. *oris* A. E.—225 *transfluxit* Weitz.—230 *vendicat*

NOTÆ

213 *Novales*] Quid sit novalis non inter sese conveniunt antiqui. Varro de L. L. IV. vult novalem agrum a novando dictum esse, nempe qui alternis annis seritur. Ita Virg. Georg. I. 'Alternis idem tonsas cessare novales.' Servius docet novalem esse arvum tunc primum ad sementem proscissum. Unde Virg. Eclog. I. 'Impius hæc tam culta novalia miles habebit?' Item Servius alio loco dicit 'novalia, i. e. nova terra, quæ per singulos annos renovatur per semina,' cui opinioni multi astipulantur. Varronis opinio verior videtur. Ipsique agri, quo non colebantur anno, restiles appellabantur.

217 *Calidos a matre*] Juvenalis eodem sensu ait, 'Modo primos incipientem Edere vagitus, et adhuc a matre rubentem.'

224 *Ex quo*] Quatuor his versibus

Pellitosque habitus sumsit venerabilis Adam;
Nudus adhuc, ni nostra foret præcepta secutus.
Quis nam iste ignotis nunc hostis surgit ab oris
Importunus, iners, infelix, degener, amens,
Qui sibi tam serum jus vindicat, hactenus exul?
Nimirum vacuæ credentur frivola famæ,
Quæ miseros optare jubet quandoque futuri
Spem fortasse boni, lenta ut solatia mollem
Desidiam pigro rerum meditamine palpent.
Quidni illos spes palpet iners, quos pulvere in isto
Tirones Bellona truci non excitat ære,
Imbellesque animos virtus tepefacta resolvit?
Anne pudicitiæ gelidum jecur utile bello est?
An tenerum pietatis opus sudatur in armis?
Quam pudet, o Mavors, et virtus conscia, talem

vetus induit vestes pelliceas, qui esset adhuc nudus, nisi accepisset meas leges, crescit cum iis. Quis jam iste hostis molestus, ignavus, pauper, vilis, vecors venit a regionibus remotis, qui, hactenus exul, sibi attribuit jus post longum tempus? Non est credendum commentis levis famæ, quæ jubet infortunatos concipere spem boni forte aliquando futuri; ut læta consolatio blandiatur inerti incuriæ pigra meditatione rerum prosperiorum. Nihil mirum quod spes ignava occupet homines: quos milites Dea belli non accendit tuba terribili ad istam exercitationem militarem, et virtus bellica frangit animos timidos. An cor frigidum castitatis est aptum ad bellum? An exercitia quieta religionis exercentur armis? O Mars, o milites, quos novi,

Weitz.—231 *creduntur* Weitz.—232 *jubent* Weitz.—233 *læta* Weitz. Vat.

NOTÆ

Adami ortum et peccatum attingit.

227 *Nostra præcepta*] 'Eritis sicut Dii.' Genes. II. Quænam major excogitari potest arrogantia?

231 *Nimirum*] Giselinus hunc locum ita reddit: 'Nihil mirum hostes nostros tam esse ignavos et degeneres, cum a levibus ac frivolis quibusdam rebus pendeant, in iisque omnem spem ac fiduciam collocent, quas tamen mendaci fama ac rumore acceperunt.' Constat phraseos novitatem nimis reddere obscuram hanc superbiæ irrisionem et frigidam.

232 *Quæ miseros optare jubet quandoque futuri Spem fortasse boni*] Hinc Phædrus: 'Gaudium et dolor miscent totam hominum vitam. Habetque has vices conditio mortalium, ut ex adversis nascantur secunda.'

236 *Bellona*] Dea bellorum præses, Martis soror, quæ eidem ad bellum eunti currum et equos parat. Virg. 'Quam consanguineo sequitur Bellona flagello.'

240 *Mavors*] Mars, Deus belli præses. Mavors a poëtis per epenthesim dicitur, quod magna vertat. Hic Jovis et Junonis filius fuisse fingitur, vel, ut Ovidius fabulatur, solius Junonis.

Contra stare aciem, ferroque lacessere nugas,
Et cum virgineis dextram conferre choreis!
Justitia est ubi semper egens et pauper Honestas:
Avida Sobrietas, albo Jejunia vultu,
Sanguine vix tenui Pudor interfusus, aperta
Simplicitas, et ad omne patens sine tegmine vulnus,
Et prostrata in humum, nec libera judice sese
Mens humilis, quam degenerem trepidatio prodit.
Faxo ego, sub pedibus stipularum more teratur
Invalida ista manus: neque enim perfringere duris
Dignamur gladiis, algenti et sanguine ferrum
Imbuere, fragilique viros fœdare triumpho.

quantus mihi pudor aggredi has turmas, et certare armis cum hominibus nihili, et venire ad manum cum grege virginum! Quas inter est Justitia indigens omnibus, et Honestas mendica, Sobrietas marcida, Fautrix jejuniorum vultu pallido, Pudor vix aspersus parvo sanguine, Simplicitas minime versuta, et objecta omnibus ictibus, nullum habens tegumentum, et Humilitas jacens humi, et subdita sponte sua, quæ degenerat ob timorem. Faciam ego ut istæ cohortes debiles conculcentur pedibus quasi stipulæ. Haud equidem dignamur ferire duris ensibus, et tingere ferrum sanguine ignavo, et dedecorare meos milites victoria tam facili. Dicens ea admovet

duo.—234 *medicamine* Vulg.—242 *Cumque hanc v.* A.—243 *est nam semper* A. —250 *perstringere* A. F.—252 *et fragili vires* Vulg.—253 *rabidum* E.—259 *e*

NOTÆ

241 *Nugas*] Homines nihili, nebulones, nugatores. Cic. Epist. ad Atticum VI. 3. 'Videaturne aut pietatis esse meæ, fratrem, aut diligentiæ, nugarum aliquid relinquere?' Quo loco de Messinio levi homine loquitur. Et eadem epistola paulo post: 'Quid est igitur quod laborem? Amicos habet, meras nugas, Matinium, Scaptium;' h. e. leves homines, et quos amicorum numero Brutus habere non debeat.

242 *Virgineis*] Quod Pudicitia Pietasque finguntur virgines ac pinguntur. Vel, si mavis, Superbia objicit Humilitatis militibus, quod præ se ferant habitum, vires, et debilitatem mulierum.

243 *Justitia egens*] Unde illud: 'Justissimus esse Qui volet, exiguas semper habebit opes.'

244 *Jejunia*] Quidam, *Jejunaque vultu*. 2. 'Egens justitia.' Quia vix justi ditantur. 3. 'Honestas pauper.' Qui in una honestate ponit beatitudinem, pauper sit necesse est, cum bona fortunæ parvi faciat.

249 *Stipularum*] Stipula, calamus est frumenti, puta tritici, hordei, et similium. Ibi sumitur pro eo quod remanet in campo, demesso frumento.

252 *Imbuere, fragilique, &c.*] Ita Mss. Reg. et vere. Frequentissime producitur a Poëta syllaba natura brevis duabus consonantibus subsecutis.

Viros fœdare] Quia: 'Cito gloria

Talia vociferans rapidum calcaribus urget
Cornipedem, laxisque volat temeraria frænis,
Hostem humilem cupiens impulsu umbonis equini
Sternere, dejectamque supercalcare ruinam.
Sed cadit in foveam præceps, quam callida forte
Fraus intereiso suffoderat æquore furtim:
Fraus detestandis vitiorum e pestibus una,
Fallendi versuta opifex, quæ præscia belli
Planitiem scrobibus vitiaverat insidiosis,
Hostili de parte latens, ut fossa ruentes
Exciperet cuneos, atque agmina mersa voraret.
Ac ne fallacem puteum deprendere posset
Cauta acies, virgis adopertas texerat oras,
Et superimposito simularat cespite campum.
At regina humilis, quamvis ignara, manebat

calcaria equo veloci, et inconsulta volitat laxis habenis, optans evertere Humilitatem impulsu pectoris equi, et comprimere pede hostem jacentem. At festinans labitur in fossam, quam Fraus callida forte percusserat clam campo effosso: Fraus, quæ est una e pestibus detestabilibus vitiorum; quæ excogitat astute fallacias; quæ prævidens bellum, repleverat superficiem campi foveis fallacibus. Erat occultata ex parte hostium, ut fossa exciperet legiones decidentes, et absorberet milites lapsos. Sed, ne perspicaces hostes possent detegere scrobem insidiosam, clauserat aditum tectum ramis arborum, et desuper adumbrarat agrum congesto gramine. Humilitas vero,

deest A.—261 *violaverit* Weitz. Vat. omn.—264 *At* Weitz.—265 *Clara* A. W.

NOTÆ

obsolescit in sordidis hostibus. Nec quicquam indignius est, quam conspici eam, ubi non possit ostendi.' Curt. lib. IX.

258 *Æquore*] Cum proprie æqualitatem et planitiem significet, ut docet Colum. VIII. 17. quia æquor pro terra sumi possit non est dubium. Virg. Georg. I. 'Ac prius ignotum ferro quam scindimus æquor.' Atque ut optime notat Varro de L. L. lib. VI. per synecdochen æquor mare appellatum est, quod æquatum, cum motum vento non est.

261 *Scrobibus*] Scrobes sunt fossæ minores ut putei, vel foveæ intra terram manufactæ ad vineas vel arbores conserendas, vel ad metalla et quæcumque alia fodienda.

Vitiaverat] Sic in codice Regio; non, *violaverat*. Infra vs. 626. 'Qui spem multiplicans alat invitiabilis ævi.' Et Passione Hippolyti vs. 62. 'Nullus per tanta repertus Supplicia auderet qui vitiare animam.'

263 *Cuneos*] Cur cuneus pro agmine sumatur apud Latinos, jam sup. vs. 197. not.

266 *Virgis adopertas texerat oras*] Tale illud Sil. VI. 329. 'In foveam parco tectam velamine frondis Ducit nocte lupos positæ balatibus agnæ.'

Ulteriore loco, nec adhuc ad fraudis opertum
Venerat, aut foveæ calcarat furta malignæ.
Hunc eques illa dolum, dum fertur præpete cursu,
Incidit, et cæcum subito patefecit hiatum:
Prona ruentis equi cervice involvitur, ac sub
Pectoris impressu fracta inter crura rotatur.
At Virtus placidi moderaminis, ut levitatem
Prospicit obtritam monstri sub morte jacentis,
Intendit gressum mediocriter, os quoque parce
Erigit, et comi moderatur gaudia vultu.
Cunctanti Spes fida comes succurrit, et offert
Ultorem gladium, laudisque inspirat amorem.
Illa cruentatam correptis crinibus hostem
Protrahit, et faciem læva revocante supinat.
Tunc caput orantis flexa cervice resectum
Eripit, ac madido suspendit colla capillo.
Extinctum vitium sancto Spes increpat ore:
Desine grande loqui: frangit Deus omne superbum,
Magna cadunt, inflata crepant, tumefacta premuntur.
Disce supercilium deponere, disce cavere

ticet inscia fossæ latentis, stabat citra illam, et nondum pervenerat ad locum dolosum, nec intulerat pedem in insidias fossæ periculosæ. Superbia obequitans, dum fertur cursu celeri, ruit in hunc locum insidiosum; et jam patefacit puteum opertum. Præceps implicatur capite equi lapsi, et impetu equi agit gyros inter ipsius pedes laceratos. Sed Humilitas moderatrix vitæ mitis, ut vidit venditationem monstri amittentis animam esse infractam, properat modeste venire, et effert paululum vultum, et comprimit lætitiam facie liberali. Spes comes assidua accurrit ad ipsam dubitantem quid ageret, et offert ensem ultorem, et afflat cupiditatem victoriæ. Humilitas implicans manum capillis trahit Superbiam infectam cruore, et prosternit in faciem læva revocante. Tum arripit caput cæsum Superbiæ implorantis misericordiam capite flexo, et ligat sursum caput crinibus madentibus. Spes objurgat sancto ore Superbiam mortuam. Cessa dicere verba magnifica: Deus deprimit omnes animos inflatos. Excelsa quæque ruunt; tumentia rumpuntur: et superba deprimuntur. Addisce abjicere elationem animi; addisce, qui tendis ad præclara, tibi providere,

superscr.—270 *Hinc* Eg. P.—273 *Vectoris pressu* F. *impulsu* Ro.—274 *Et* B. —275 *Perspicit* Weitz. *obstrictam* Fuld.—276 *parte* Fuld.—293 *funali* Eg. P.

NOTÆ

287 *Supercilium*] Plinius II. 37. unde supercilia superbiam et fastum significent, aperte declarat: 'Frons est et aliis, sed homini tantum tristitiæ, hilaritatis, clementiæ, severitatis index. In ascensu ejus supercilia homini, et pariter, et alterne mobilia, et in iis pars animi. Negamus,

Ante pedes foveam, quisquis sublime minaris.
Pervulgata viget nostri sententia Christi,
Scandere celsa humiles, et ad ima redire feroces.
Vidimus horrendum membris animisque Goliam
Invalida cecidisse manu: puerilis in illum
Dextera fundali torsit stridore lapillum,
Trajectamque cavo penetravit vulnere frontem.
Ille minax, rigidus, jactans, truculentus, amarus,
Dum tumet indomitum, dum formidabile fervet,
Dum sese ostentat clypeo, dum territat auras,
Expertus, pueri quid possint ludicra parvi,
Succubuit teneris bellator turbidus annis.
Me tunc ille puer virtutis pube secutus,

ne reperias foveam ante pedes. Illud notum effatum nostri Jesu Christi, humiles ascendere altiora, superbos autem revolvi ad infima, nunc viget. Vidimus Gigantem Goliam formidabilem mole corporis et virtute fuisse prostratum manu debili. Pastor imberbis jecit in illum lapidem cum stridore fundæ, et penetravit gravi vulneratione frontem transfossam. Is gigas jactans minas, asper, ostentator, immitis, durus, dum inflatur pertinaciter, dum accenditur ira formidolosa, dum sese jactat clypeo, dum minatur cœlo, novit experientia quid queant ludi pusilli pueri: et belliger turbulentus interficitur manu tenera. Is pastor me secutus per adolescen-

T.—296 *formidabile terret* Weitz. C.—297 *ostentat, clypeo dum t.* Weitz. *ter-*

NOTÆ

annuimus. Hæc maxime indicant fastum. Superbia alibi conceptaculum, sed hic sedem habet. In corde nascitur, huc subit, hic pendet. Nihil altius simul abruptiusque invenit in corpore ubi solitaria esset.'

288 *Ante pedes*] Alludit ad illud Psal. 'Incidit in foveam quam fecit.'

290 *Scandere*] Christus Luc. cap. xiv. 'Qui se exaltat humiliabitur, et qui se humiliat, exaltabitur.' Quod effatum ipsi antiqui Diis suis tribuerunt. Unus enim ex septem sapientibus interroganti Æsopo, quid faceret Jupiter, respondit: 'Extollit humiles, atque superbos deprimit.'

291 *Goliam*] Is fuit genere Philistæus, patria Gethæus, genere spurius, statura sex cubitorum et palmi, i. e. novem pedum cum triente.

296 *Dum tumet*] Armatus etiam erat insigni superbia, quæ sui confidentiam, et omnium aliorum contemtum, illi afferebat: quare Hebræum aliquem provocabat ad singulare certamen, et per quadraginta dies mane et vespere insultabat Israëlitis.

297 *Clypeo*] Tanto erat robore, ut æream loricam ducentarum et octo librarum cum triente, hastam, cujus ferrum erat viginti quinque librarum, non solum ferre, sed iis etiam facile uti pugnando potuerit.

300 *Puer*] David scilicet Isai filius ex tribu Judæ, a Deo Sauli successor destinatus: quem fere ætatis 22. clanculum inunxit Samuel, anno ante

Florentes animos sursum in mea regna tetendit.
Servatur qua certa mihi domus omnipotentis
Sub pedibus Domini, meque ad sublime vocantem
Victores cæsa culparum labe capessunt.
Dixit, et auratis præstringens aëra pennis
In cœlum se virgo rapit: mirantur euntem
Virtutes, tolluntque animos in vota, volentes
Ire simul, ni bella duces terrena retardent.
Confligunt vitiis, seque ad sua præmia servant.

LUXURIÆ ET SOBRIETATIS PUGNA.

VENERAT occiduis mundi de finibus hostis
Luxuria, extinctæ jamdudum prodiga famæ,
Delibuta comas, oculos vaga, languida vocem,
Perdita deliciis, vitæ cui causa voluptas,
Elumbem mollire animum, petulanter amœnas

tiam congruentem virtuti, arrexit sursum animum generosum in mea regna. Quia certum domicilium mihi servatur sub pedibus summi Dei: et ii, qui evaserunt victores superata causa vitiorum, capessunt me vocantem ad regna cœlestia. Virgo Spes locuta est ea, et verberans aërem alis tectis auro, se proripit in cœlum. Virtutes respiciunt illam ascendentem, et erigunt animos ad spem, optantes illam comitari, nisi bella facienda vitiis terrenis remorarentur illas duces. Quare dimicant cum peccatis, et expectant præmia ipsis proposita.

Infesta luxuria, prodiga suæ famæ, quam perdiderat jamdiu, habens capillos unctos, spargens oculos, expromens vocem effæminatam, infecta delictis, quæ vivit ob voluptatem, quæ amat emollire animum jam eviratum, implere se effrænate

············

ritat ense P.—299 *armis* Vulg.—301 *annos* E. superscr.—302 *quia* Weitz. Put. —305 *perstringens* Vulg.—312 *oculis vaga, langida voce* Weitz.—316 *At* P.—

NOTÆ

Christum 1063.

Virtutis pube] 'Tempora quippe virtutem non prima negant, non ultima donant.'

302 *Certa domus*] Non quod spes illuc usque perveniat, dicente Apostolo: 'Cum venerit quod perfectum est, quod ex parte est, evacuabitur:' sed quod in via sperantes in patria collocandi sint.

303 *Sub pedibus*] Alludit ad id Psal. 'Omnia subjecisti sub pedibus ejus.'

310 *Occiduis*] Quidam de Hispania id dictum fuisse interpretantur, voluntque Poëtam ut in Hamartigenia sui temporis statum deplorare. Alii, ut Ælius, de ætate Mundi ad Occasum vergente explicant, secundum verba Pauli ad Corinth. 'In quos sæculorum fines devenerunt.' Nota Prudentium male antepenultimam produxisse in 'delibuta.'

Haurire illecebras, et fractos solvere sensus.
Ac tunc pervigilem ructabat marcida cœnam,
Sub lucem quia forte jacens ad fercula raucos
Audierat lituos, atque inde tepentia linquens
Pocula, lapsanti pér vina et balsama gressu
Ebria calcatis ad bellum floribus ibat.
Non tamen illa pedes, sed curru invecta venusto
Saucia mirantum capiebat corda virorum.
O nova pugnandi species! non ales arundo
Nervo pulsa fugit, nec stridula lancea torto
Emicat amento, frameam nec dextra minatur:
Sed violas lasciva jacit, foliisque rosarum
Dimicat, et calathos inimica per agmina fundit.
Inde, eblanditis virtutibus, halitus illex
Inspirat tenerum labefacta per ossa venenum,

dulcibus deliciis, et debilitare mollia membra, venerat ex terminis terræ Occidentalibus. Tum languens nauseabat epulum, quo duxerat totam noctem, luce adventante, quod forte jacens inter dapes audierat tubas raucas, et tunc linquens potationes calefacientes, vinolenta, sertis calcatis, ibat ad pugnam passu titubante ob vinum et balsama. Ea tamen non iens pedibus, sed vecta nitido curru, attrahebat corda vulnerata hominum, qui eam mirantur. O novum genus certandi! Non sagitta velox volat emissa arcu; non vibrans lancea splendescit torto loro; non manus minatur hastam: at mollis spargit violas, et aggreditur foliis rosarum, et effundit per turmas hostiles canistra cumulata floribus. Hinc spiritus allectans, fractis virtutibus, immittit dulce venenum per

323 *alis* Eg.—324 *Nervum* Put.—325 *framea* A. F.—328 *blanditis* E.—331

NOTÆ

318 *Lituos*] Lituus, species incurvæ buccinæ: a cujus similitudine lituus quoque dicitur augurum baculus.

323 *Ales arundo*] Sagitta ex plumis alas habens, juxta antiquorum consuetudinem. Virg. 'Viro stridens alis illapsa sagitta est.'

325 *Amento*] Festus docet amentum esse id, quo, ut mitti possint, vinciuntur jacula, sive solearum lora: ex Græco τὰ ἅμματα sic appellata, quia aptantes ea ad mentum trahunt.

Frameam] Germanicum est vocabulum, quo illi hastam significabant. Tac. de Mor. Germ. 'Hastas, vel ipsorum vocabulo frameas gerunt.' Juven. Sat. XIII. 'Et Martis frameam, et Cyrrhæi spicula vatis.'

327 *Calathos*] Vas vimineum, in quo mulieres pensa vel tramam reponunt, dicitur Græce κάλαθος.

328 *Illex*] Idem quod illectamentum. Pers. 'Impure, inhoneste, injure, illex, labes populi.' Valla tamen idem significare arbitratur, quod exlex, expers legis.

Et male dulcis odor domat ora, et pectora, et arma,
Ferratosque thoros obliso robore mulcet.
Dejiciunt animos, ceu victi, et spicula ponunt
Turpiter, heu dextris languentibus obstupefacti,
Dum currum varia gemmarum luce micantem
Mirantur, dum bracteolis crepitantia lora,
Et solido ex auro pretiosi ponderis axem
Defixis inhiant obtutibus, et radiorum
Argento albentem seriem, quam summa rotarum
Flexura electri pallentis continet orbe.
Et jam cuncta acies in deditionis amorem
Sponte sua versis transibat perfida signis,
Luxuriæ servire volens, dominæque fluentis
Jura pati, et laxa ganearum lege teneri.
Ingemuit tam triste nefas fortissima virtus,

artus labefactos; et odor pestifer subigit ora, et corda, et arma; et debilitat musculos rigidos sublato rigore. Homines quasi victi concidunt animo, et eheu attoniti deponunt turpiter arma manu languente, dum intuentur plaustrum micans splendore multiplici gemmarum, dum contemplantur intentis oculis habenas crepitantes laminis aureis, et axem solidum, aureum, et maximi ponderis: et ordinem radiorum albescentem argento, quem ordinem summa curvatura rotarum continet orbe auri pallidi. Jamjam omnes turmæ versis vexillis infideles ultro veniebant in deditionem, cupientes obtemperare Luxuriæ, et sequi leges dominæ delicatæ, et vivere more meretricum. Sobrietas virtus invicta flevit tam triste nefas, nempe

choros Ro. *oblito* A.—335 *bratteolis* Weitz. et al.—338 *quem* P.—343 *ganeo-*

NOTÆ

331 *Thoros*] Sunt eminentiæ musculorum nodosæ, tumentesque circa cervicem aliasque corporis partes, in quibus est robur et fortitudo. Unde thorosa juventus, scilicet robusta, apud Persium.

335 *Bracteolis*] Diminutivum bracteæ, quæ tenuis est lamina, et sponte plicabilis. Hanc enim speciem aureæ frondes habebant. Mart. 'An magis astuti derasa est ungue ministri Bractea.' Et Juven. 'Qui bracteolam de Castore ducat.'

337 *Inhiant*] Quasi hiantes admirantur. Virgil. Georg. II. 'Nec pulchros inhiant varia testudine postes.'

Et radiorum seriem] Ovid. Met. II. 'Radiorum argenteus ordo;' et inf. 'Aurea summæ Curvatura rotæ.' Quæ a Græcis Canthus dicitur.

339 *Electri*] Electrum aurum est quinta argenti portione commistum. Hoc autem modo naturale est, modo arte fit; quod si quintam portionem excedat, non resistit incudibus. Plin. XXXIII. c. 4. Nomen ob fulgorem a Sole, qui Græcis Poëtis vocatur *ἠλέκτωρ*.

Sobrietas, dextro socios decedere cornu,
Invictamque manum quondam sine cæde perire.
Vexillum sublime Crucis, quod in agmine primo
Dux bona prætulerat, defixa cuspide sistit,
Instauratque levem dictis mordacibus alam,
Exstimulans animos nunc probris, nunc prece mixta:
Quis furor insanas agitat caligine mentes?
Quo ruitis? cui colla datis? quæ vincula tandem,
Proh pudor, armigeris amor est perferre lacertis,
Lilia luteolis interlucentia sertis,
Et ferrugineo vernantes flore coronas!
His placet assuetas bello jam tradere palmas
Nexibus! his rigidas nodis innectier ulnas!
Ut mitra cæsariem cohibens aurata virilem
Combibat infusum croceo religamine nardum;
Post inscripta oleo frontis signacula, per quæ
Unguentum regale datum est, et chrisma perenne:

quod socii collocati in ala dextra ipsam desererent, et milites olim tam generosi perirent sine certamine. Quare Dux bona tenet lancea fixa humo ingens vexillum crucis, quod præ se tulerat in primo agmine; et reprimit verbis mordacibus fugam alæ abeuntis: nunc accendens animos objurgationibus, nunc precibus mixtis: Quis furor implet caligine mentes malesanas? Quo itis? Cui jugo subditis capita? Quæ tandem, o pudor, amatis gerere vincula brachiis natis ad arma? Lilia scilicet coruscantia sertis rubris, et coronas florentes flosculis purpureis. Vultisne vestras manus patientes belli coërceri his ligaminibus? Vestra brachia rigida teneri vinculis floreis? Ut mitra aurata constringens crines hominum combibat reticulo croceo nardum infusum, postquam signacula fuerunt impressa oleo in fronte, postquam fuistis obliti liquore regali, et Chrismate indelebili; ut molli incessu verratis humum

rum Vulg.—350 *Instimulans* Weitz.—351 *insanas* Eg.—357 *ac rigidas* Weitz. E.—359 *infusam* Weitz. Vat. duo.—360 *signacula, postquam* Weitz. E. W.

NOTÆ

354 *Luteolis*] Idem ac luteus, vel a luto, vel a luce: unde luteus color, qui est dilutior, qualis est color auri.

355 *Ferrugineo*] Quod est coloris ferruginis. Ferrugo autem compressæ purpuræ rufus est color, nigrioris ruboris, quasi violacei, vulgo Morellum dicunt, coloris ferri similitudine, dum est rubiginosum. Virg. Æn. XI. 'Ipse peregrina ferrugine clarus et ostro.'

358 *Mitra*] Pileus erat incurvus, baccis insignis, ac vinculis, quibus mento subligabatur. Mitram autem gestasse viris turpe et molle censebatur. Juno Jovi Bacchi mollitiem objiciens apud Lucianum ait μίτρᾳ ἀναδεδεμένος τὴν κόμην. Et Juven. 'Ite quibus grata est picta lupa barbara mitra.'

361 *Regale*] Quod Reges oleo inunguntur.

Ut tener incessus vestigia syrmate verrat,
Sericaque infractis fluitent ut pallia membris:
Post immortalem tunicam quam pollice docto
Texuit alma Fides, dans impenetrabile tegmen
Pectoribus lotis, dederat quibus ipsa renasci.
Inde ad nocturnas epulas, ubi cantharus ingens
Despuit effusi spumantia damna Falerni
In mensam cyathis stillantibus; uda ubi multo
Fulcra mero, veterique toreumata rore rigantur.
Excidit ergo animis eremi sitis, excidit ille

cauda oblonga; ut serica pallia cooperiant vestra corpora effœminata: postquam accepistis vestem immortalem, quam alma fides texuit manu perita, præbens tegumentum impenetrabile hominibus mundatis baptismate, quo voluit eos regenerari; ut inde celebretis epulas nocturnas, ubi vastum poculum effundit liquorem damnosum vini spumantis, scyphis stillantibus in mensam, ubi pedes mensæ sunt madentes multo vino, et toralia rigantur vino veteri. An igitur sitis Hebræorum in deserto

post quæ W. superscr.—364 *tonicam* W. Weitz.—367 *Ite ad* Bodl. A.—369 *Immensam* F. Gif. Ind. Lucr. p. 483. *ciatis* Weitz.—371 *erimi* Put.—373

NOTÆ

362 *Syrmate*] Vestis muliebris genus.

367 *Cantharus*] Vas vinarium in formam scarabæi, qui κάνθαρος dicitur. Baccho sacer est, sicut scyphus Herculi. C. Marius post victoriam Cimbricam, ut refert Plin. XXXIII. 11. ausus est cantharis potare Liberi patris exemplo, unde notatus est superbia. De Falerno sup.

369 *Cyathis*] Cyathus calicis genus, a χέειν, quod est fundere, dictum. Successit autem in simpuli locum in conviviis, ut docet Varro.

Uda Fulcra mero] 'In mensam libare' habes apud Virg. Æn. I. 736. ubi plura.

370 *Toreumata*] Toralia scilicet, seu stragulæ vestes lectorum tricliniarium: quæ vulgo ex pellibus erant, pro facultatum luxusque modo purpurea fiebant et serica. Qua voce abusus est et Sidon Apollin. Epist. ad Serranum lib. II. lib. IX. in carmine Anacreontico. 'Toreumata' enim proprie sunt Thericlea vasa cælata, quæ in deliciis habebantur.

Rore rigantur] Simile illud Salvian. ad Eccles. Cathol. lib. IV. 'Natant tricliniorum redundantium pavimenta vino; Falerno nobili lutum faciunt mensæ eorum, ac toreumata mero jugiter madent, semper uda sunt.'

371 *Excidit ergo animis*] His quatuor sexve versibus explanat, inter alia beneficia, quæ Deus in eremo Sin, qua deduxit populum suum de terra Ægypti exeuntem, in eum contulit, quomodo de cœlo ad eum alendum continue manna, quod adumbrabat corpus Christi, pluerit instar guttarum roris; et qua ratione, Moyse petram Horeb percutiente, e vestigio petra dehiscens aquam evomuerit copiosissimam. De quibus semel atque iterum in Hymnis. De Tentoriis sup. Apoth. vs. 329. De Crapula sup. De Lupanari sup. Perist. XIV. 25.

Fons patribus de rupe datus, quem mystica virga
Elicuit, scissi salientem vertice saxi?
Angelicusve cibus prima in tentoria vestris
Fluxit avis, quem nunc sero felicior ævo
Vespertinus edit populus de corpore Christi?
His vos imbutos dapibus jam crapula turpis
Luxuriæ ad madidum rapit importuna lupanar?
Quosque viros non ira fremens, non idola bello
Cedere compulerant, saltatrix ebria flexit?
State, precor, vestri memores, memores quoque Christi.
Quæ sit vestra tribus, quæ gloria, quis Deus et rex,
Quis dominus meminisse decet. Vos nobile Judæ
Germen ad usque Dei genitricem, qua Deus ipse
Esset homo, procerum venistis sanguine longo.
Excitet egregias mentes celeberrima David
Gloria, continuis bellorum exercita curis.

decidit e memoria? An estis immemores illius fontis orti in rupe ad levandos parentes; quem virga mystica Moysis eduxit salientem e culmine scissi saxi? Nonne Manna, cibus Angelorum, pluit vestris majoribus, cum ponebant prima tentoria, quem cibum nunc populus Christianus, qui surrexit in vespere mundi, edit fortunatior, hac sera ætate, cum recipit corpus Christi? Jam turpis Ebrietas vos trahit importuna repletos illis cibariis ad obscœnum lustrum Luxuriæ? Saltatrix ebria frangit homines, quos nec tyrannis fremens, nec idololatria potuerant vincere armis? Sistite gradum, precor, memores vestræ virtutis, et memores potestatis Christi. Decet habere in memoria ex quo genere orti estis, quæ sit vestra gloria, quis Deus, quis Rex, quis Dominus. Vos inclyti nepotes Judæ numeratis longo stemmate regum inter parentes Matrem Christi, ex qua Deus ipse natus est homo. Nomen illustre Davidis exerciti in laboribus assiduus belli excitet vestros ingentes animos.

e vertice Vulg.—374 *nostris* Vulg.—375 *feliciter* Weitz. W.—376 *sanguine* E.

NOTÆ

376 *Edit populus de corpore Christi*] Cyprian. serm. de Cœna: 'Una est domus Ecclesiæ, in qua Agnus editur; nullus ei communicat, quem Israëlitici nominis generositas non commendat. Hujus panis figura fuit manna, quod in deserto pluit; sic ubi ad verum panem in terra promissionis ventum est, cibus ille defecit.' Vide sup. Apoth.

380 *Saltatrix*] Modo quis legerit antiquos scriptores, sane non ignorabit meretrices eo nomine sæpe appellari. 'Tu ex tenebricosa popina consul extractus, cum illa saltatrice tonsa, Senatum Reipublicæ occasum lugere vetuisti.' Cic.

383 *Judæ*] Judam ex Lia habuit Jacob; et Judæ tribus, inter ceteras Judæorum tribus, primaria fuit, ac nobilissima, et ex ea natus est Christus. De David sup. Hamart. vs. 565.

Excitet et Samuel, spolium qui divite ab hoste
Attrectare vetat, nec victum vivere regem
Incircumcisum patitur: ne præda superstes
Victorem placidum recidiva in prælia poscat,
Parcere jam capto crimen putat ille tyranno:
At vobis contra vinci et succumbere votum est.
Pœniteat, per, si qua movet reverentia summi
Numinis, hoc tam dulce malum voluisse nefanda
Proditione sequi. Si pœnitet, haud nocet error.
Pœnituit Jonatham jejunia sobria dulci
Conviolasse favo sceptri, mellisque sapore

Samuel, qui prohibet tangere manu spolia relata ex hoste divite, nec permittit Regem incircumcisum victum vivere, ne is captivus superstes persequeretur Saulem victorem placidum bello redintegrato, vos excitet quoque. Ille putat nefas esse parcere Regi jam capto; vobis vero contra est in voto vinci atque opprimi. Per reverentiam summi Dei, si qua reverentia Dei tangit animum, vos pœniteat voluisse scelerata perfidia sequi Luxuriam adeo gratum malum. Quod si vos pœnitet, peccatum non vobis officiet. Jonatham pœnituit solvisse jejunium sobrium dulcibus favis

—385 *Natus homo* Vulg.—390 *neu* F.—391 *redicivа* A. Ro.—394 *moveat*

NOTÆ

388 *Samuel*] Patre Elcana, ex posteris Caath, tribus Leviticæ, natus est, et Anna matre, quem votis a Deo impetratum pia parens templi ministeriis addixit. Exinde is agens quadragesimum circiter annum, Heli demortuo, populi curam capessit. Ad Saulem vero anno 29. sui Pontificatus mittitur, qui Dei nomine præcipiat Regi, ut funditus exterminet Amalecitas. Saul tamen Agag Regi in prælio capto vitam spopondit, populusque pepercit ovium gregibus, et universis quæ pulchra erant. Quo audito Samuel iratus Saulem adit, et adduci ad se jubet Amalecitanum regem, et dissecari in frusta membratim.

390 *Incircumcisum*] Unus enim Dei populus legi circumcisionis parebat.

394 *Per, si qua*] Ita Virg. Æn. II. 'Per, si qua est quæ restat adhuc mortalibus usquam Intemerata fides.'

396 *Si pœnitet, haud nocet error*] Ita Paulinus: 'Si pœnitet, irrita culpa est.' Ita Cyprian. Epist. I. 3. 'Primus felicitatis gradus est, non delinquere: secundus delicta cognoscere.'

397 *Jonatham*] Jonathas filius Saulis cum armigero suo Palæstinos dispersit, in quos pater Saul tanto ardore arma converterat, ut ne gustandi quidem cibi potestatem cuiquam sub mortis interminatione faceret ante illorum destructionem. Cujus edicti Jonathas ignarus, cum summa virga paululum ori sylvestris mellis admovisset, ab jurato patre damnatus insons, deprecante populo est ereptus.

398 *Sceptri*] Quod filius Regis regale sceptrum teneat: aut eodem sensu, quo dicit.

Heu male gustato, regni dum blanda voluptas
Oblectat juvenem, jurataque sacra resolvit.
Sed quia pœnituit; nec sors lacrymabilis illa est,
Nec tingit patrias sententia sæva secures.
En ego Sobrietas, si conspirare paratis,
Pando viam cunctis virtutibus, ut malesuada
Luxuries, multo stipata satellite, pœnas
Cum legione sua Christo sub judice pendat.
Sic effata, crucem Domini ferventibus offert
Obvia quadrijugis, lignum venerabile in ipsos
Intentans frænos: quod ut expavere feroces
Cornibus oppansis et summa fronte coruscum,
Vertunt præcipitem cæca formidine fusi
Per prærupta fugam: fertur resupina reductis
Nequicquam loris auriga, comamque madentem
Pulvere fœdat humi. Tunc et vertigo rotarum
Implicat excussam dominam; nam prona sub axem
Labitur, et lacero tardat sufflamine currum.

adjunctis sceptro, et sapore mellis, eheu, male gustato, dum blanda voluptas regni oblectat illum juvenem, et violavit sacra jurata a Patre. Sed quia illum pœnituit, exitus ipsi non fuit funestus, nec ferrum crudele executum est decretum ipsius Patris. En! ego Sobrietas, si velitis vos jungere ad me, do aditum omnibus virtutibus, ut, Christo vindice, Luxuries suadens scelus, licet coronetur densis militibus, luat debitas pœnas, et tota ipsius cohors. Est locuta illa: et occurrens offert equis fervidis Luxuriæ crucem Jesu, et injicit in ipsa fræna illud lignum colendum. Equi feroces fuere perterriti cruce corusca brachiis extensis, et suprema parte; et pavidi cæca formidine agitaverunt fugam præcipitem per loca aspera. Auriga pressis frustra habenis fertur resupina, atque prostrata humi fœdat pulvere capillos delibutos. Tum Luxuria dejecta implicatur orbibus rotarum. Nam prona labitur sub axem, et retinet currum, sufflamine scisso. Sobrietas immittens

Fuld.—398 *favo sumto* Vulg.—401 *ulla* Fuld. W. superscr.—402 *tinxit* A. F. —408 *quadrigis* quidam.—410 *obpansis* Eg. sed corr. *expassis* quidam. In E. ita leg. *quod ut expavere coruscum*, superscr. *feroces*. *Cornibus o. et s. f. renitens* sup. *coruscum*.—413 *comasque madentes* Vulg.—414 *fœdatur* Put. Ro.

NOTÆ

399 *Regni*] Quod de regni ageretur summa, hoc in certamine.

410 *Cornibus oppansis*] Sic 'pansis brachiis' Cathem. Hymn. 12. Amat autem ejusmodi vocabula Prudentius: Obstrangulare, obludere, obbrutescere, oppallescere, supra habuimus, et similia.

414 *Pulvere fœdat humi* [*fœdatur*] Solenni Græcismo. Alii tamen: *Pulvere fœdat humi.*

416 *Sufflamine*] Machinæ genus est,

Addit Sobrietas vulnus letale jacenti,
Conjiciens silicem rupis de parte molarem.
Hunc vexilliferæ quoniam fors obtulit ictum,
Spicula nulla manu, sed belli insigne gerenti,
Casus agit saxum, medii spiramen ut oris
Frangeret, et recavo misceret labra palato.
Dentibus introrsum resolutis, lingua resectam
Dilaniata gulam frustis cum sanguinis implet.
Insolitis dapibus crudescit guttur, et ossa
Colliquefacta vorans revomit, quas hauserat, offas.
Ebibe jam proprium post pocula multa cruorem,
Virgo ait increpitans: sint hæc tibi fercula tandem
Tristia præteriti nimiis pro dulcibus ævi.
Lascivas vitæ illecebras gustatus amaræ
Mortis, et horrifico sapor ultimus asperat haustu.
Cæde ducis dispersa fugit trepidante pavore
Nugatrix acies. Jocus et Petulantia primi

lapidem ingentem extractum e saxo, impingit ipsi jacenti vulnus mortiferum; quippe fortuna ministraverat hæc arma Sobrietati ferenti vexillum crucis. Nulla tenet tela manu, sed sors instruxit saxo illam gerentem crucem signum belli, ut elideret spiritum medii oris, et misceret labia palato concavo, dentibus confusis intra inanitatem oris. Fauces fractæ turgent lingua lacerata, et partibus sanguinis: guttur ingravescit escis insolitis, et sorbens comminuta ossa, revomit massas carnis, quas hauserat. Tum virgo Sobrietas irridens ait, Ebibe jam tuum ipsum sanguinem, postquam accepisti tot alias potiones. Hi tandem cibi tibi sint injucundi, pro nimiis voluptatibus vitæ transactæ. Gustus mortis amaræ, et ultimus sapor reddat asperas haustu molesto illecebras lascivas vitæ. Vana acies dispersa hinc atque inde fugit perculsa timore ob obitum ducis. Jocus et Petulantia jaciunt

Heins.—419 *sors* Vulg.—421 *spiramen odoris* Eg.—422 *Frangeret, atra cavo* Eg.—424 *et sangine complet* G.—427 *post fercula* Fuld. E. W. superscr.—428 *pocula* Fuld. E.—429 *sub luxibus* A. et W. pro gloss.—431 *horrificos* s. u.

NOTÆ

quo in descensu vel procursu nimio rotæ solent retineri. Juven. Sat. VIII. ' Ipse rotam stringit multo sufflamine consul.'

431 *Sapor ultimus asperat haustu*] 'Tristes' enim, teste Boëth. III. 7. 'esse voluptatum exitus, quisquis reminisci libidinum suarum volet, intelliget.'

433 *Nugatrix*] Jocus, Amor, et fratres Cupidinis nati sunt ad nugas: unde etiam pueri alati finguntur. Quid leve magis, quid magis nugigerulum?

Jocus] Quia Venus ridens, ut ait Hesiodus, nata est; lætitiæ omnis et risus amica, quibus conciliatur amor et delectatur, credita fuit.

Cymbala projiciunt: bellum nam talibus armis
Ludebant, resono meditantes vulnera sistro.
Dat tergum fugitivus Amor: lita tela veneno,
Et lapsum ex humeris arcum, pharetramque cadentem
Pallidus ipse metu sua post vestigia linquit.
Pompa, ostentatrix vani splendoris, inani
Exuitur nudata peplo: discissa trahuntur
Serta Venustatis, collique ac verticis aurum
Solvitur, et gemmas Discordia dissona turbat.
Non piget attritis pedibus per acuta fruteta
Ire Voluptatem: quoniam vis major acerbam
Compellit tolerare fugam: formido pericli
Prædurat teneras iter ad cruciabile plantas.

primi humi Cymbala. Nam talibus armis consumebant tempus pugnæ tentantes vulnerare sistro resono. Amor fugitivus dat tergum, et decolor obliviscitur post se sagittas venenatas, et arcum lapsum ex humeris et pharetram cadentem. Pompa sese jactans de vano splendore spoliatur sua veste pretiosa. Coronæ Veneris discissæ abeunt in partes. Monilia ac discriminalia aurea solvuntur; et trepidatio tumultuosa dissipat gemmas. Ipsa voluptas non timet pellere pede attrito loca aspera vepribus; nam est astricta majori virtute pati labores fugæ, et fert modeste metu periculi pedes teneros cruciari infesto itinère. Quacumque ex parte, qua fugitivus

asperet haustus Fuld. Bodl. W. superscr.—435 *prælia sistro* E. Fuld.—437 *ex* deest Weitz. W.—438 *liquit* E.—442 *concordia dissona* Fuld. *turpat* quidam. —443 *pudet* E.—446 *Perdurat* Weitz. A. Gif. Ind. Lucr. p. 391. W. superscr.

NOTÆ

Innuit quoque Horat. 'Sive tu mavis, Erycina ridens, Quam jocus circumvolat, et Cupido.' Quidam fingunt Jocum fuisse natum Veneris.

434 *Cymbala*] Instrumenta musica, quæ in sacris Matris Deum cum tympanis habebantur. Sic dicta, teste Isidoro, 'quia cum ballematica simul percutiuntur.' Libidinis autem non parum excitativa: 'Cymbala cum crotalis pruriginis arma.'

435 *Sistro*] Sistrum instrumentum musicum fuit; peculiare Ægyptiorum, quo utuntur in Isidis sacris. Ovid. II. Eleg. 13. 'Per tua sistra precor, per Anubidis ora verendi.' Fiebant autem sistra, ut Apuleius scribit, ærea, argentea, et aurea.

436 *Amor*] De Amoris parentibus variæ sunt antiquorum opiniones. Tamen ad unum Veneris filium omnia prope, quæ de Amore dicta sunt, transferuntur.. Pingebatur alatus, ut Zeuxis pinxit Athenis. Tela, arcus, pharetra, ipsius sunt insignia. 'Deque sagittifera promsit duo tela pharetra.'

440 *Peplo*] Peplum palla fuit, sive pallium muliebre, arte subtili contextum, ad pedes effusum, sine manicis.

441 *Venustatis*] Venustatem pro Venere, Veneremque pro Venustate sumi cui latet? De Sertis sup. Hamart. vs. 270.

Qua se cumque fugax trepidis fert cursibus agmen,
Damna jacent, crinalis acus, redimicula, vittæ,
Fibula, flammeolum, strophium, diadema, monile.
His se Sobrietas, et totus Sobrietatis
Abstinet exuviis miles, damnataque castis
Scandala proculcat pedibus, nec fronte severos
Connivente oculos prædarum ad gaudia flectit.

AVARITIÆ ET LARGITATIS PUGNA.

Fertur Avaritia gremio præcincta capaci,
Quicquid luxus edax pretiosum liquerat, unca
Corripuisse manu, pulchra in ludibria vasto
Ore inhians, aurique legens fragmenta caduci

exercitus Luxuriæ fertur pedibus trepidis, spolia sparguntur, acus, quæ dividit crines, redimicula, tæniæ, fibula, flammeolum, strophium, diadema, monile. Sobrietas, et omnis ipsius exercitus, non colligit hæc spolia, sed terit pudicis pedibus perniciosa ista offendicula ; nec, fronte annuente, torquet ad gaudium spoliorum oculos graves.

Avaritia induta veste sinuosa, aspirans ore amplo ad sumtuosa spolia ludentia homines, et colligens segmenta auri fragilis inter cumulos arenæ, dicitur abstulisse manu curva omnia, quæ Luxuria vorax projecerat opima. Neque est

—452 *ne* Weitz. *non* Fuld.—453 *flectat* Weitz.—457 *ramenta* Heins. ex conj.

NOTÆ

448 *Crinalis*] Acus, quæ crines dividit ad concinnandum caput.

Redimicula] Ornamentum capitis mulierum, et vittarum tæniæ pendentes a posteriore parte mitræ.

Vittæ] Fascia, qua circum capita antiqui vel crines, vel serta, aut quidvis aliud religabant.

449 *Fibula*] Circulus, ét proprie ornamentum cinguli ad vestem subligandam.

Flammeolum] 'Genus vestimenti lutei coloris, quo amiciebatur nova nupta boni ominis causa, sic dictum, quod eo assiduæ utebatur Flaminica, nempe Flaminis uxor.' Ita Festus.

Strophium] Fascia pectoralis.

Diadema] Erat fascia candida, quæ regum capitibus obligabatur. Primus invenit Liber pater, ut testatur Plin. vii. 56.

Monile] Ornamentum, quod solet de collo virginum pendere : dictum quod gestantem virtutis admoneat. Nam primo ob aliquod egregium factum dari solebat. Ovid. Met. 'Dat digitis gemmas, dat longa monilia collo.'

456 *Vasto Ore inhians*] Quia avaritia latentium indagatrix est lucrorum, manifestæ prædæ avidissima vorago : nec habendi fructu felix, et cupiditate quærendi miserrima. Val. Max. ix. 4.

457 *Legens*] Legere aliquando sumitur pro furtim accipere, et quasi suffurari. Unde dicitur sacrilegus,

Inter arenarum cumulos: nec sufficit amplos
Implevisse sinus; juvat infarcire crumenis
Turpe lucrum, et gravidos furtis distendere fiscos;
Quos læva celante tegit, laterisque sinistri
Velat opermento: velox nam dextra rapinas
Abradit, spoliisque ungues exercet aënos.
Cura, famis, metus, anxietas, perjuria, pallor,
Corruptela, dolus, commenta, insomnia, sordes,
Eumenides variæ monstri comitatus aguntur.
Nec minus interea rabidorum more luporum
Crimina persultant toto grassantia campo,
Matris Avaritiæ nigro de lacte creata.
Si fratris galeam fulvis radiare ceraunis

contenta implevisse amplos sinus; optat adhuc inserere in marsupiis hos sordidos quæstus, et augere per furta peras gravidas, quas occultat læva manu tegente, et tegit operimento lateris sinistri. Nam dextra habilis ad latrocinia furatur, et rapit suis aduncis unguibus exuvias. Cura, fames, metus, anxietas, perjuria, pallor, corruptela, dolus, commenta, insomnia, sordes, diversi motus animi comites Avaritiæ ducuntur ab ea. Tum vero hæc crimina nutrita nigro lacte Avaritiæ matris haud secus ac lupi rapaces palantur per agros depopulando omnia. Si frater commiles aspexit caput fratris pugnantis in eodem exercitu coruscans ceraunis fulvis, non dubi-

in not.—459 *Implicuisse* Fuld. *infercire* Weitz. *cruminis* Eg.—460 *saccos* Fuld.—464 *fames* Weitz. et al.—465 *sortes* Ro.—466 *furiæ* A. *varie* F. G.—

NOTÆ

qui sacra furatur. Virg. Æn. x. 'Quid, soceros legere, et gremiis abducere pactas?'

Fragmenta] Forte *ramenta*: agit enim de auro nondum excocto, et in arenæ fluviatilis ramentis lecto. Plin. xxxiii. 4. 'Apud nos tribus modis fluminum ramentis aurum invenitur.'

458 *Nec sufficit amplos Implevisse sinus*] 'Avaritia semper infinita, insatiabilis est, neque copia, neque inopia minuitur.' Sall. Cat.

460 *Fiscos*] Spartea sunt utensilia ad majoris summæ pecunias capiendas. Unde quia major summa est pecuniæ publicæ quam privatæ, factum est ut fiscus pro pecunia publica sumatur.

466 *Eumenides variæ monstri comitatus aguntur*] Tale illud Virg. Æn. xii. 336. 'Iræque insidiæque Dei comitatus aguntur.' De Eumen. sup. vs. 96.

470 *Galeam radiare ceraunis*] Galeas gemmis et auro fuisse coruscas legimus quoque apud Ov. Pont. iii. 'Scuta, sed et galeæ gemmis radientur et auro:' apud Statium Theb. iii. 'Et pictum gemmis galeæ jubar.'

Ceraunis] Ceraunia, teste Plinio, gemma est candida, cujus, ut ipse ait xxxvii. 9. maximus est splendor. 'Est inter candidas, et quæ Ceraunia vocatur, fulgorum siderum rapiens.'

Germanus vidit commilito, non timet ensem
Exerere, atque caput socio mucrone ferire,
De consanguineo rapturus vertice gemmas.
Filius extinctum belli sub sorte cadaver
Aspexit si forte patris, fulgentia bullis
Cingula, et exuvias gaudet rapuisse cruentas:
Cognatam civilis agit discordia prædam,
Nec parcit propriis amor insatiatus habendi
Pignoribus, spoliatque suos famis impia natos.
Talia per populos edebat funera victrix
Orbis Avaritia, sternens centena virorum
Millia vulneribus variis: hunc lumine ademto
Effossisque oculis velut in caligine noctis
Cæcum errare sinit, perque offensacula multa
Ire, nec oppositum baculo tentare periclum.
Porro alium capit intuitu, fallitque videntem,
Insigne ostentans aliquid, quod dum petit ille,
Excipitur telo incautus, cordisque sub ipso
Saucius occulto ferrum suspirat adactum.
Multos præcipitans in aperta incendia cogit,

tat eripere ensem vagina, et amputare caput gladio amico, ut rapiat gemmas de capite fratris. Natus, si forte vidit corpus patris occisi fato belli, gaudet quod abstulerit insignia baltea, et spolia tincta sanguine. Bello civili ditescimus præda cognatorum: ita Avaritia inexplebilis non parcit propriis liberis, et execranda cupiditas divitiarum amat denudare natos. Avaritia victrix terræ, evertens millena millia hominum diversis vulneribus, inferebat has mortes gentibus. Patitur hunc cæcum, quia ipsi ademit visum, et eruit oculos, errare tanquam in tenebris noctis, et incurrere in non paucos obices; neque permittit explorare baculo pericula opposita. Alium vero deprehendit aspectu; et offerens aliquid eximium decipit aspicientem. Nam, dum homo captat illud, non præcavens petitur ferro, et læsus ingemit quod ferrum sit adactum sub parte ima cordis. Trahens multos alios in perniciem,

479 *fames* Weitz. Put. *improba* P.—484 *offendicula* Put.—492 *peculator* E.—

NOTÆ

474 *Belli sorte*] 'Fortuna enim,' ut ait Cic. 'cum aliis in rebus plurimum dominetur, tum in bello præcipue vires suas ostentat.'

475 *Bullis*] Bullæ erant clavorum aureorum quædam capita, cingulis affixa; ob similitudinem ita dicta, a bullis, quæ in aquis ebullientibus excitantur. Virg. Æn. XII. 942. de balteo Pallantis ait: 'Notis fulserunt cingula bullis.' Plaut. in Asin. 'Jussine in splendorem dari bullas?'

Nec patitur vitare focos, quibus æstuat aurum,
Quod petit arsurus pariter speculator avarus.
Omne hominum rapit illa genus, mortalia cuncta
Occupat interitu, neque est violentius ullum
Terrarum vitium, quod tantis cladibus ævum
Mundani involvat populi, damnetque gehennæ.
Quin ipsos tentare manu (si credere dignum est)
Ausa Sacerdotes Domini, qui prælia forte
Ductores primam ante aciem pro laude gerebant
Virtutum, magnoque implebant classica flatu.
Et fors innocuo tinxisset sanguine ferrum,
Ni Ratio armipotens, gentis Levitidis una
Semper fida comes, clypeum objectasset, et atræ

impellit in flammas apertas: nec sinit effugere ignes, quibus liquescit aurum; quod petit avarus, qui videt illud, et pariter consumetur cum eo. Avaritia trahit ad se omnes homines; affert necem omnibus mortalibus; nullumque vitium in terra est violentius, cum misceat tantis calamitatibus vitam hominum viventium, et perducat ad Inferos. Quinetiam, si est fas credere, fuit ausa injicere manus sacerdotibus Domini, qui duces pugnabant fortiter ante aciem primam pro laude virtutum; quique inflabant tubas maximo spiritu. Et Fortuna tinxisset gladium hoc puro sanguine, nisi Ratio potentior armis, quæ una est semper comitata sacerdotes ex tribu Levi, objecisset scutum, et servasset inclytos alumnos ab incur-

493 *capit* Ro.—494 *neque enim est* Vulg.—498 *fortes* E.—499 *primi* W. su-

NOTÆ

498 *Sacerdotes*] Quos sacerdotes intelligat, non ita facile dignosci potest. Nam ex sequentibus apparet non Heli, cujus filios corruperat Avaritia, non Samueli, non Achimelech, non Abiathar, non Sadoc ea, ut quidam volunt, convenire, siquidem paulo post, Avaritiam inducens loquentem, ait: ‘Nonne triumphum Egimus e Scarioth? magnus qui discipulorum, Et conviva Dei.’ Puto ergo hic mentionem habere de ecclesiastico ordine, sua ætate incorrupto, et multiplici martyrii genere exercito. Hancque lubentius veram esse sententiam autumo, quod in Luxuriæ pugna objurgaverit Hispanorum fastum, qui consiliis sacerdotum non obtemperabant.

502 *Levitidis*] Omnes vocat sacerdotes genus Levi, eo quod Levi, qui tertius ex Lia Jacobo Patriarchæ natus est in Mesopotamia, tribum maxime honoravit Dominus, eamque singulariter assumsit, et sanctificavit sibi. ‘Ego tuli Levitas a filiis Israël pro omni primogenito, qui aperit vulvam in filiis Israël, eruntque Levitæ mei:’ quinetiam mortis pœna intentatur omnibus aliis cujuscumque tribus, si quis ad sanctuarium fuerit ausus accedere. Ex hac ergo tribu omnes sacerdotes, summique Pontifices orti sunt, qui multis sæculis Judæorum rempublicam administrarunt.

Hostis ab incursu claros texisset alumnos.
Stant tuti Rationis ope, stant turbine ab omni
Immunes, fortesque animi: vix in cute summa
Præstringens paucos tenui de vulnere lædit
Cuspis Avaritiæ. Stupuit luis improba castis
Heroum jugulis longe sua tela repelli:
Ingemit, et dictis ardens furialibus infit:
Vincimur heu segnes, nec nostra potentia perfert
Vim solitam, languet violentia sæva nocendi,
Sueverat invictis quæ viribus omnia ubique
Rumpere corda hominum: nec enim tam ferrea quenquam
Formavit natura virum, cujus rigor æra
Sperneret, aut nostro foret impenetrabilis auro.
Ingenium omne neci dedimus: tenera, aspera, dura,
Docta, indocta simul, bruta et sapientia, necnon
Casta, incesta meæ patuerunt pectora dextræ.
Sola igitur rapui quicquid Styx abdit avaris

sione Avaritiæ hostis turpis. Illi sunt in tuto auxilio Rationis, et manent immunes ab omni infortunio, et invicti animo. Vix spiculum Avaritiæ tangens leviter cutem summam impingit paucis tenue vulnus. Pestis improba stupuit sua tela repercuti longe a non corruptis capitibus sacerdotum. Ingemit, et irata protulit hæc verba scelerata. Eheu nos ignavi vincimur: et vires pristinæ nostræ potentiæ jam frigent. Nostra immitis violentia nocendi, quæ erat solita frangere viribus invictis ubique omnes animos hominum, decedit. Neque enim tam fortis natura finxit ullum hominem, cujus durities hebetaret æs meum; aut qui non expugnaretur nostro auro. Corrupi omnes mentes. Corda tenera, aspera, dura, docta, indocta, bruta, sapientia, casta, atque impudica non restiterunt meis manibus. Una sane occidi id omne, quod inferi retinent avaris

perscr.—503 *objectaret* E.—506 *animo* Fuld.—507 *Perstringens* Vulg.—508 *lues* Weitz.—510 *inquit* Fuld.—511 *refert* Weitz. W. *profert* Fuld. *præfert* C. G.—515 *Duravit* E. *vigor* Fuld.—523 *Aut miscet* B.—524 *Quid sit* B.—

NOTÆ

511 *Perfert*] In aliis *præfert*. Ut inf. *vigor*, pro *rigor*.

516 *Nostro foret impenetrabilis auro*] Pluribus quidem, sed iisdem fere coloribus avaritiam nobis depingit Sallustius: 'Avaritia bellua fera, immanis, intoleranda est: quo intendit, oppida, agros, fana atque domos vastat: divina cum humanis permiscet: neque exercitus, neque mœnia obstant, quominus vi sua penetret.'

517 *Ingenium omne neci dedimus*] Sic Virgil. 'Et genus omne neci pecudum dedit, omne ferarum.'

Tenera, aspera, dura, &c.] Hor. Sat. II. 3. 'Omnis enim res, Virtus, fama, decus, divina, humanaque, pulchris Divitiis parent.'

520 *Styx*] Palus apud Inferos, 'Dii cujus jurare timent, et fallere numen.'

Gurgitibus. Nobis ditissima Tartara debent,
Quos retinent, populos. Quod volvunt sæcula, nostrum est:
Quod miscet mundus vesana negotia, nostrum.
Qui fit, prævalidas quod pollens gloria vires
Deserit, et cassos ludit fortuna lacertos?
Sordet Christicolis rutilantis fulva monetæ
Effigies, sordent argenti emblemata: et omnis
Thesaurus nigrante oculis vilescit honore.
Quid sibi docta volunt fastidia? nonne triumphum
Egimus e Scarioth? magnus qui discipulorum,
Et conviva Dei, dum fallit fœdere mensæ
Haudquaquam ignarum, dextramque parapside jungit,

gurgitibus. Orcus ditissimus accepit a me homines, quos retinet. Quod homines excogitent, est meum opus; quod omnes perverse perturbent res, est meum opus. Unde ergo gloria inclyta amittit suas firmas vires, et Fortuna fraudat lacertos languentes? Christiani despiciunt effigies aureas monetæ coruscæ: parvi faciunt imagines cælatas in auro; et dejiciunt oculos ab omnibus opibus, quarum gloria est deflorata. Quid sibi vult hic contemtus affectatus divitiarum? Nonne vici Judam, qui clarus Commensalis Christi et Apostolorum pulsus cupiditate auri, dum considet mensa, quæ est vinculum societatis, et mittit manum in eandem patinam, de-

528 *migrante* Weitz.—529 *triumphos* Gif. Ind. Lucr. p. 471. *triumpho Egimus Iscarioth* F. G.—530 *summus* Weitz.—531 *fœdera* Fuld. W.—532 *parop-*

NOTÆ

Jurant autem per illius aquas, quia Victoria Stygis filia bello Gigantum Jovi favit.

521 *Tartara*] Jam sup. dixi locum esse profundissimum Inferorum ubi sontes plectuntur.

522 *Sæcula*] Quod homines miscent omnia, atque perturbant mendaciis, perjuriis, dolis, fraudibus, id totum est Avaritiæ opus. Unde Virg. Æn. III. 'Quid non mortalia pectora cogis, Auri sacra fames!'

527 *Emblemata*] In vasis argenteis, aureisque, et Corinthiis ornamento erant apud antiquos emblemata. Plin. XXXIII. 12. 'Ulysses et Diomedes erant in phialæ emblemate Palladium surripientes.'

530 *Scarioth*] De Juda Iscariote loquitur satis noto Christianis, quod Jesum triginta denariis vendiderit.

532 *Dextramque parapside jungit*] Vetustiores *tingit* pro *jungit*; et *parapside* constanter scriptum offendi in veterrimis quoque Martialis ac Juvenalis exemplaribus, quorum apud illum habes XI. 28. 'Parapside rubra,' apud hunc Sat. III. 'Quam multa magnaque parapside cœnat.' Ita enim et Turnebus ibi in vetustis codicibus extare monuit. 'Nec defuere, qui inter parapsidem et paropsidem sic distinxerint, ut paropsis esset scutella escaria, parapsis, acetabulum majus, aliqui et catinum appellant. Parapsis quadrangulum et quadrilaterum vas est ex paribus apsidis.' Hæc Heinsius.

Incidit in nostrum flammante cupidine telum,
Infamem mercatus agrum de sanguine amici
Numinis, obliso luiturus jugera collo.
Viderat et Jericho propria inter funera, quantum
Posset nostra manus, cum victor concidit Achar,
Cædibus insignis, murali et strage superbus,
Succubuit capto victis ex hostibus auro:
Dum vetitis insigne legens anathema favillis,
Mœsta ruinarum spolia insatiabilis haurit.
Non illum generosa tribus, non plebis avitæ
Juvit Juda parens, Christo quandoque propinquo
Nobilis, et tali felix patriarcha nepote.
Quis placet exemplum generis, placeat quoque forma
Exitii: sit pœna eadem, quibus et genus unum est.

fraudat Christum penetrantem cogitationem: quique emit sanguine Dei amici agrum infamem, soluturus pœnas pro hoc agro, cum se suspendet laqueo. Jericho quoque fuit testis inter demolitionem suorum murorum, quanta esset potestas meæ manus, cum victor Achar clarus cladibus tot hostium, et illustris quod destruxerat mœnia, decidit, et fuit victus auro capto ex hostibus debellatis: dum surripiens pretiosum spolium cremandum igne, ut Josue jusserat, avarus concupiscit funesta spolia Jericho sepultæ. Nihil ipsi profuit fuisse ortum ampla familia et Juda patre suorum atavorum, Juda nobili Christo venturo aliquando ex ipsius semine, et fortunato Patriarcha eo nepote. Illi, qui amant esse natos eodem genere, ament etiam sequi exitium Achar. Ii, quibus est idem sanguis, pereant eodem modo. Quid ego im-

side tingit Vulg. *tingit* A. F.—535 *eliso* A.—537 *decidit* Weitz. *Acham* Weitz. T.—543 *propinquus* Fuld.—553 *et voce* Weitz. E. W. sed in E. et W.

NOTÆ

536 *Jericho*] Urbs est Palæstinæ in Judæa, quam cum Josue septies circumivisset cum arca Domini, muri illius firmissimi corruerunt, et ea diruta fuit. Erat in tribu Benjamin, 150. stadiis ab Hierosolymis in ortum, Jordanem fluvium versus sexaginta. Vide sup. Hamart. vs. 481.

537 *Achar*] Qui in sacris literis Achan dicitur, filius fuit Charmi de tribu Juda, qui sacrilegium admisit sibi usurpando, quod Deo fuerat solenniter consecratum. Vidit enim, ut ipse mox fassus est, inter spolia pallium coccineum valde bonum, et ducentos siclos argenti, regulamque auream quinquaginta siclorum, et concupiscens abstulit et abscondit in terra contra medium tabernaculi sui, argentumque in fossam dejectum humo operuit. Sed non diu furto suo frui potuit. Adhuc enim in terra obruta erant omnia, cum miser in culpa, Deo patefaciente, deprehensus eam severa morte luit.

540 *Anathema*] Ἀνάθημα, donarium, seu donum quod Deo consecratur. Penultimam producit, quam corripit Ἀνάθεμα *anathema*, exitio æterno destinatus: licet utrumque nomen deducatur ab ἀνατίθημι *sepono*. De Juda sup.

Quid moror aut Judæ populares, aut populares
Sacricolæ summi (summus nam fertur Aaron)
Fallere fraude aliqua, Martis congressibus impar?
Nil refert, armis contingat palma dolisve.
Dixerat et torvam faciem, furialiaque arma
Exuit, inque habitum sese transformat honestum;
Fit virtus specie, vultuque et veste severa,
Quam memorant Frugi, parce cui vivere cordi est,
Et servare suum; tanquam nil raptet avare,
Artis adumbratæ meruit, ceu sedula, laudem.
Hujus se specie mendax Bellona coaptat,
Non ut avara lues, sed virtus parca putetur:
Necnon et tenero pietatis tegmine crines
Obtegit anguinos, ut candida palla latentem

par in certaminibus belli moror aggredi fraude aliqua aut posteros Judæ, aut posteros Aaronis summi Pontificis? nam vocatur summus. Parvi refert an referam victoriam armis, utrum fraudibus. Vix dixerat ea: deponit et trucem animum, et arma crudelia: ac se vertit in formam liberalem. Assumit figuram, et vultum, et vocem gravem virtutis, quam nominant Frugalitatem, quæ amat parce vivere, et servare sua bona. Ut ea rapit nihil per cupiditatem; Avaritia, veluti fuisset custos diligens, est merita laudem virtutis, quam imitabatur. Avaritia fallax induit speciem frugalitatis, ut habeatur ab omnibus Parsimonia, non vero pestilens Avaritia. Quinetiam obtegit velamine teneræ pietatis suos capillos anguineos, ut alba

veste superscr.—560 *anguineos* A. F.—561 *Dissimulet formam* B. E.—563

NOTÆ

548 *Aaron*] Frater Moysis, summo Hebræorum pontificatui divinitus destinatus, et ab ipso Moyse institutus est Pontifex.

550 *Nil refert*] Virg. Æn. II. 'Dolus, an virtus quis in hoste requirat?'

553 *Vultuque et veste* [*voce*] *severa*] Hæc duo amat Prudentius conjungere. Hymn. S. Rom. 'Vultu et severis vocibus sic increpat.' Hamart. 'Vultuque et voce minaci Terribilis.' Non improbo tamen, *vultu et veste severa.* Juv. enim Sat. XIV. 'Fallit enim vitium specie virtutis, et umbra, Cum sit triste habitu, vultuque et veste severum.' Adi sup. Hamart. vs. 488.

557 *Bellona*] Hic Avaritiam vocat Bellonam, quia Avaritia, velut altera Bellona, quæ bellorum præses est, cum hominibus bellum habet, geritque exitiosum.

558 *Virtus putetur*] Quam belle Juvenalis cecinit: 'Fallit enim vitium specie virtutis et umbra. Nec dubie tanquam frugi laudatur avarus; Tanquam parcus homo, et rerum tutela suarum.'

560 *Anguinos*] Antiqui finxerunt Furias redimitas esse capillis anguineis: quare Poëta Avaritiæ, quæ ex Furiis est pessima, apte ad rem tribuit anguineam comam.

Palla] 'Honestæ mulieris vestimentum, hoc est tunicæ pallium.'

Dissimulet rabiem, diroque obtenta furori,
Quod rapere et clepere est, avideque abscondere parta,
Natorum curam dulci sub nomine jactet.
Talibus illudens male credula corda virorum
Fallit imaginibus, monstrumque ferale sequuntur:
Dum credunt virtutis opus, capit impia Erinnys
Consensu faciles, manicisque tenacibus arctat.
Attonitis ducibus, perturbatisque maniplis
Nutabat virtutum acies errore biformis
Portenti, ignorans, quid amicum credat in illo,
Quidve hostile notet: letum versatile et anceps
Lubricat incertos dubia sub imagine visus.
Cum subito in medium frendens Operatio campum

tunica tegat rabiem occultum, atque excuset sub dulci nomine caritatis in pueros furta commissa turpi desiderio, quo cupit rapere, et furari, et abscondere parta studiose. Gerens talem vultum decipit corda hominum credentia ad perniciem, et quæ sequuntur monstrum horrendum, dum putant esse vultum Frugalitatis. Nefaria Avaritia ad se trahit credulos, et tenet arctis vinculis. Duces stupent, et milites perturbantur; omnis exercitus virtutum vacillat delusus Avaritia accipiente duplicem formam. Nescit quid credat in illa amicum, aut quid videat hostile. Mors incerta et anceps volvit oculos non secernentes hanc dubiam figuram. Tum Eleemosyna minaciter collidens dentes statim descendit in medium campum, ut ferat

lactet W.—565 *monstrum ferale* quidam.—571 *vocet* A. F.—572 *incertus* F. Eg. B.—573 *Tum* Weitz. Fuld. *Dum* A. *miseratio* A. F.—576 *tam* F.—578

NOTÆ

Teste Nonio. Vide sup. Hamart. vs. 86.

562 *Clepere*] A verbo Græco κλέπτω furor, furto surripio. Cic. 'Non modo ut Spartæ rapere, ubi et pueri clepere discunt.'

566 *Erinnys*] Una est e tribus Furiis, peccatorum ultrix; quasi ab ἔρις, litium auctor.

567 *Manicis*] Vox a manu deducta, significatque aliquando vestium partem, quæ manus et brachia protegit: aliquando vincula manuum. Virg. Æn. II. 146. 'Ipse viro primus manicas, atque arcta levari Vincla jubet Priamus.' Qua significatione hic sumitur.

568 *Maniplis*] Manipulus, exigua militum manus, quæ unum sequitur signum: et in legione quidem erant triginta manipuli. Dictus autem, ut inquit Varro, ab eo quod plures militum manus junguntur. Inde Commanipulones, qui in eodem manipulo sunt: et Commanipulatio; quibus nominibus utitur Spartianus. Ter. in Eun. 'Cedo alios: ubi centurio est Sanga, et manipulus furum.'

573 *Operatio*] Sic constanter scripti. Hac voce virtutem expressit Avaritiæ oppositam: quæ opera, et opibus, omnique officiorum genere, quemvis adjuvare parata est. Unde Operatio a bonis operibus deducitur;

Prosilit auxilio sociis, pugnamque capessit
Militiæ postrema gradu, sed sola duello
Impositura manum, ne quid jam triste supersit.
Omne onus ex humeris rejecerat, omnibus ibat
Nudata induviis, multo et se fasce levarat,
Olim divitiis, gravibusque oppressa talentis,
Libera nunc miserando inopum, quos larga benigne
Foverat, effundens patrium bene prodiga censum.
Jam loculos ditata Fide spectabat inanes,
Æternam numerans redituro fœnore summam.
Horruit invictæ Virtutis fulmen, et impos
Mentis Avaritia stupefactis sensibus hæsit,
Certa mori: nam quæ fraudis via restet, ut ipsa

opem sociis; et venit ad pugnam ultima quidem gradu militiæ, sed quæ una efficiet singulari pugna, ne quid jam restet timendum ab hoste. Deposuerat omne pondus ex humeris. Ibat vacua omnibus spoliis, et sese levarat magno onere divitiarum. Quondam fuerat potens opibus, et gravibus talentis auri: sed nunc erat expedita iis miserando pauperes; nam benefica exhauriens suum patrimonium, eos liberalis nutriverat benigne. Jam dives fide intuebatur crumenas vacuas, expectans divitias æternas fœnore redituro usque ad centuplum. Avaritia horruit impetum Eleemosynæ invictæ: ac inops rationis mansit attonitis sensibus. Agnovit ipsi esse certe moriendum: nam quis locus est relictus dolo, ut virtus, quæ contemnit mundum,

exuviis Fuld. *et* deest B.—580 *miserendo* B. W. superscr.—582 *fidem* T. Put. *aspectabat* E.—583 *reddendo* Weitz. E. sed in E. *redituro* superscr.—584 *fulmen inopsque* A.—586 *fraudi* E. *restat* B.—590 *obliso et robore* Weitz. W. sed

NOTÆ

quæ inter principem locum habet eleemosyna. Hinc Tertull. lib. x. 'Etsi ita evenerit, det fratribus operandi copiam, vel nobis abrumpendæ omnis necessitatis constantiam.' Et xvi. 16. 'Prolatæ enim in medium, et publicato bono suo elatæ, et a fratribus omni honore et caritatis operatione cumulatæ, dum non latent.' Ambros. vero Offic. ii. 16. 'Quoniam quicumque bonum operarium videt, ipsi confert quod ille suo officio dispenset.' Quam vocis vim non intelligentes aliqui substituere, *Miseratio*.

575 *Sola duello*] *Prima* in vetustiore Boherio. Nec male.

578 *Fasce*] Fascis est onus quodlibet. Virg. Georg. iv. 'Ultroque animam sub fasce dedere;' nempe apes. Et alibi: 'Acer Romanus in armis, Injusto sub fasce viam cum carpit.'

580 *Benigne*] Largiter: sicut e contrario maligne pro anguste. Virg. Æn. vi. 'Quale per incertam Lunam sub luce maligna Est iter in sylvis.'

583 *Æternam numerans redituro fœnore summam*] Respicit hunc locum Matth. cap. xix. 'Vade, vende quæ habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in cœlo.'

Calcatrix mundi mundanis victa fatiscat
Illecebris, spretoque iterum sese implicet auro?
Invadit trepidam virtus fortissima duris
Ulnarum nodis: obliso et gutture frangit
Exsanguem siccamque gulam: compressa ligantur
Vincla lacertorum sub mentum, et faucibus arctis
Extorquent animam, nullo quæ vulnere rapta
Palpitat, atque aditu spiraminis intercepto
Inclusam patitur venarum carcere mortem.
Illa reluctanti genibusque et calcibus instans
Perfodit et costas, atque ilia rumpit anhela,
Mox spolia exuto de corpore diripit, auri
Sordida frusta rudis, nec adhuc fornace recoctam
Materiem; tineis etiam marsupia crebris
Exesa, et virides obducta ærugine nummos,
Dispergit servata diu, victrix et egenis
Dissipat, ac tenues captivo munere donat.
Tunc circumfusam vultu exultante coronam

victa ipsa inficiat animum deliciis terrenis, et se rursus dedat auro jam spreto? Tum Eleemosyna virtus magnanima comprimit Avaritiam trepidantem vi brachiorum nervosorum, et læso gutture frangit exanimem et siccam gulam. Vincula, quibus lacerti retinebantur infra mentum, arcte innectuntur compressa. Et faucibus pressis extinguunt animam, quæ avulsa nullo vulnere palpitat: atque meatu spirandi intercluso interit morte, quæ includitur venis. Eleemosyna instans genibus et pedibus Avaritiæ reluctanti transverberat illius latus, ac findit ilia anhela. Mox detrahit spolia ex corpore mortuo, nempe detrahit fragmenta sordida auri non formati in nummos, metallum nondum excoctum per ignem, marsupia quoque corrosa multis tineis, necnon numismata tecta ærugine viridi. Victrix disseminat hæc tam diu servata ab Avaritia, et describit inopibus, ac donat pauperibus exuvias hostiles. Tunc vultu hilari respiciens milites dispositos in orbem, læta inter tot agmina sic

in W. *gutture* superscr. *eliso gutture* A.—591 *ligabant* B. *ligabat* E.—592 *et* deest E.—593 *rumpta* E. Weitz. *rupta* W. superscr. *raptam* P.—596 *genibus et* E.—598 *extincto* Weitz. *exucto* Eg. *exuncto* Put.—599 *recocta* E. P.—600 *tiniis* Eg.—601 *subducta* Fuld. W. superscr.—604 *Tum* Fuld. *multum* B.

NOTÆ

591 *Siccam gulam*] Eodem sensu dixit Petronius: 'Divitis hæc magni facies erit, omnia cernens Qui timet, et sicco concoquit ore cibum.'

598 *Exuto* [*Extincto*] *de corpore*] Sic Ms. Regius. Heinsius tamen mallet *exuto de corpore*. Ita enim Paulinus Epist. ad Ausonium: 'Sera erit exutis homini querimonia membris.' Ita Tertull. lib. II. contra Marc. 'Exutos sua luce tegit.'

600 *Marsupia*] Marsupium quoque passione Laurentii, vs. 104. 'Inanis a marsupio.'

Respiciens, alacris media inter millia clamat:
Solvite procinctum, justi, et discedite ab armis;
Causa mali tanti jacet interfecta: lucrandi
Ingluvie pereunte licet requiescere sanctis.
Summa quies, nil velle super, quam postulet usus
Debitus, ut simplex alimonia, vestis et una
Infirmos tegat ac recreet mediocriter artus,
Expletumque modum naturæ non trahat extra.
Ingressurus iter peram ne tollito, neve
De tunicæ alterius gestamine providus ito:
Nec te solicitet res crastina, ne cibus alvo

fatur: Justi ne stetis diutius in procinctu, et deponite arma; caput tanti mali jacet extinctum: decet pios frui otio, cum Avaritia vorax bonorum periit. Est maxima tranquillitas animi nihil optare aliud, quam id quod est necessarium ad victum: adeo ut vulgare alimentum, et unus amictus tegat, et recreet juste artus debiles; nec prægrediamur extra terminos præscriptos a natura. Is qui est facturus iter, nec ferat marsupium, nec induat gestamen duarum tunicarum, nec sit solicitus de crastina die, utrum ipsi erit cibus ad pascendum. Quotidie Sol nascens parit nova

—608 *Illuvie* B.—609 *supra* Weitz.—610 *et simplex* A.—612 *ultra* Fuld.—613 *non* E. *nec* Fuld.—614 *tunicæ* Weitz. B. *providus esto* Vulg.—616 *diur-*

NOTÆ

606 *Procinctum*] Procinctus dicitur apparatus bellicus, sive ipsa præparatio, quæ fit ab iis qui aut in expeditionem profecturi sunt, aut ad prælium exituri. Quint. XII. 9. 'Cui disciplina et studium et exercitatio dederit vires etiam facilitatis, quemque armatum semper, ac velut in procinctu stantem, non magis unquam in causis oratio, quam in rebus quotidianis ac domesticis sermo deficiet.' Vel potius procinctus dicebatur, ut inquit Festus, 'cum exercitus cinctus erat ritu Gabino confestim pugnaturus.' Plinius: 'Cornibus in procinctu ad dimicandum paratis.'

609 *Summa quies, nil velle super, quam postulet usus Debitus*] In infinitum abiret is, qui similia poëtarum loca et oratorum huc adducere vellet. Unum Horatium profero: Carm. III. 1. 'Desiderantem quod satis est neque Tumultuosum solicitat mare, Nec sævus Arcturi cadentis Impetus, aut Orientis Hædi.' Od. XVI. 'Bene est, cui Deus obtulit Parca, quod satis est, manu.'

610 *Debitus*] Nam, ut ait Seneca, 'Primo, habere quod necesse est: secundo, quod satis est.'

613 *Ingressurus iter*] His versibus describit ea, quæ Christus, cum misit duodecim Apostolos ad annuntiandum evangelium, eis præcepit: 'Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris, non peram in via, neque duas tunicas, neque calceamenta, neque virgam. Dignus enim est operarius cibo suo.' S. Matth. cap. X.

615 *Nec te solicitet res crastina*] Profani quoque Scriptores id docuerunt. Horat. Od. I. 9. 'Quid sit futurum cras, fuge quærere.'

Defuerit: redeunt escæ cum sole diurnæ.
Nonne vides ut nulla avium cras cogitet? ac se
Pascendam, præstante Deo, non anxia credat?
Confidunt volucres victum non defore viles,
Passeribusque subest modicò venalibus asse
Indubitata fides, Dominum curare potentem
Ne pereant. Tu cura Dei, facies quoque Christi,
Addubitas, ne te tuus unquam deserat auctor?
Ne trepidate, homines: vitæ dator et dator escæ est.
Quærite luciferum cœlesti dogmate pastum,
Qui spem multiplicans alat inviolabilis ævi,
Corporis immemores: memor est, qui condidit illud,
Suppeditare cibos, atque indiga membra fovere.
His dictis curæ emotæ, metus, et labor, et vis,
Et scelus, et placitæ Fidei fraus inficiatrix
Depulsæ vertere solum. Pax inde fugatis
Hostibus alma abigit bellum, discingitur omnis
Terror, et avulsis exfibulat ilia zonis.

alimenta. Nonne videtis ut nulla avis cogitet quid sibi erit cras, ac sine cura speret alimenta non defutura, ea præstante Deo? Volucres viles confidunt dapes ipsis fore: passeres ipsi, qui veneunt modico pretio, sciunt certo Deum potentem curare ne pereant. An homini, qui Deo est curæ, quique etiam est factus ad similitudinem ipsius filii est timendum ne suus creator illum deserat unquam? O homines, parcite vano metu: qui dedit vitam, dabit et cibum. Quærite, ut Christus vos monet, cœlestem pastum, qui faciens spem vitæ perennis alat immemores corporis. Christus, qui dedit illud monitum, non obliviscitur ministrare cibos, ac fovere corpora indigentia. His sermonibus fugatæ curæ, metus, labor, vis, scelus, et fraus adversa fidei placidæ dederunt terga repulsæ. Inde alma Pax, hostibus pulsis, absolvit bellum. Omnis terror dissipatur, et cingulo soluto explicat vestem, qua tegit

no Eg. E. P.—619 *defore vita* Bodi.—623 *An dubitas* Vulg. *At dubitas* B. W. *Ast dubitas* Fuld.—624 *dator est d.* A. B.—625 *lucifluum* Weitz. W. sed in W. *luciferum* superscr.—626 *alit* E. *invitiabilis* Weitz.·Put. *insatiabilis* Ro.—630 *placidæ* A.—631 *evertere* Fuld.—632 *discinditur* A. F. B. Gif. Ind. Lucr. p.

NOTÆ

619 *Confidunt volucres*] Et illud ejusdem Matth. cap. VI. 'Respicite volatilia cœli, quoniam non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea: et Pater vester cœlestis pascit illa: nonne vos magis pluris estis illis?' explicat Poëta.

625 *Quærite*] 'Quærite ergo primum,' dicit Dominus c. VI. S. Matth. 'regnum Dei, et justitiam ejus; et hæc omnia vobis adjicientur.'

631 *Vertere solum*] Fugerunt. Juven. 'Qui vertere solum, Baias, et ad ostia currunt.'

633 *Exfibulat*] Pro refibulat, vel diffibulat: apud antiquos enim a ver-

Vestis ad usque pedes descendens defluit imos,
Temperat et rapidum privata modestia gressum.
Cornicinum curva æra silent: placabilis implet
Vaginam gladius, sedata et pulvere campi
Suda redit facies liquidæ sine nube diei:
Purpuream videas Cœli clarescere lucem.
Agmina casta super vultum sensere Tonantis
Arridere hilares pulso certamine turmæ,
Et Christum gaudere suis victoribus arcem
Ætheris, ac patrium famulis aperire profundum.
Dat signum felix Concordia, reddere castris
Victrices aquilas, atque in tentoria cogi.

corpus. Toga promissa decidit ad pedes infimos; et modestia agens vitam privatam temperat gressum velocem. Buccinatores non inflant buccinas curvas: enses quieti referuntur vaginæ: et sedato pulvere serena facies redit: dies est pura et sine nubecula, ita ut videas cœlum refulgere luce purpurea. Agmina casta noverunt Deum hic declarare suam præsentiam. Turmæ lætæ cœperunt fine imposito pugnæ invicem lætari et gaudere, quod Christus aperiret cœlum, et solum patrium famulis, qui vicerant suo nomine. Felix Concordia canit receptui; jubet vexilla victricia referri ad castra, et plicata reponi in tentoria. Nulla unquam acies ha-

330.—634 *Vestis et usque* Weitz. Gif. Ind. Lucr. p. 330.—635 *rabidum* E.—637 *sedato* Weitz. Heins. Delph.—638 *Nuda* E.—642 *arce* quidam.—643 *por-*

NOTÆ

bo fibulo tria tantum composita. Nempe infibulo, refibulo, et diffibulo, quorum duo ultima significant fibulam tollere, sive solvere.

Zonis] Est id quo cingimur: unde Scriptores cingulum appellant. Mart. lib. XIV. 'Longa satis nunc sum, dulci sed pondere venter Si tumeat, fiam tum tibi zona brevis.'

636 *Cornicinum*] Cornicines sequebantur castra, currumque triumphantis præcedebant canentes: iique erant et buccinatores ornamentum totius legionis. In ingressu conflictus, et ejus reditu, quoties pugnabatur, cornicines et tubicines canebant. Tit. Liv. II. ab urbe: 'Cornicines tubicinesque in equos impositos canere ante vallum jubet.' Juven. Sat. X. 'Illinc cornicines, hinc præcedentia longi Agminis officia.'

645 *Victrices aquilas*] More Romanorum loquitur, quorum vexilla aquilas ferebant. An a Jove, qui has habuit insigne militiæ; an a Trojanis acceperint; an ipsi a se ipsis, vel vicinorum exemplo repererint, dubium est. Sane rapacium animalium effigies assumi convenit, et bello præferri. Vide sup.

Tentoria] Tabernacula extensis velis contra æstum, cœlive injuriam, excitata. Ovid. Fast. lib. III. 'Sub Jove pars durat; pauci tentoria ponunt.'

Nunquam tanta fuit species, nec par decus ulli
Militiæ, cum dispositis bifida agmina longe
Duceret ordinibus, peditum psallente caterva,
Ast alia de parte equitum resonantibus hymnis.
Non aliter cecinit respectans victor hiantem
Israël rabiem ponti post terga minacis,
Cum jam progrediens calcaret littora sicco
Ulteriora pede, stridensque per extima calcis
Mons rueret pendentis aquæ, nigrosque relapso
Gurgite Nilicolas fundo deprenderet imo,

buit tantum splendorem, tantum decus. Nam Concordia dispositis ordinibus ducebat agmina divisa in duas partes: hinc pedites psallentes; illinc equites canentes hymnos. Non aliter filii Israël victores cecinerunt, cum mirabantur rabiem fessam maris minantis a tergo; dum jam progredientes sicco pede calcabant littora adversa Ægyptiis; et mons aquæ pendentis susurrans tantum sub pedibus decidebat, et aquis reversis involvebat nigros Ægyptios in imo alveo; atque mare refluente fas

tum A. F.—646 *Deus ulli* A.—653 *callis* E.—654 *relaxo* Put. *repulso* Weitz. E. W. sed in E. et W. *relapso* superscr.—655 *Niliacos* E. *dependeret* E.—

NOTÆ

650 *Non aliter*] Illud exemplum ex cap. XIV. Exod. deductum est: ubi legimus Moysem interrupto mari Rubro, quod virga percusserat, viam suis aperuisse, quam, dum terga premens illorum Ægyptius, ingreditur, eadem qua erat diductum virga percussum mare coivit, ac trepidantes involvit hostes. Quare Hebræi duos choros, alterum virorum, alterum mulierum statuerunt in littore, et cecinerunt Deo hymnos gratulatorios. Moyse carmen viris præeunte, ipsius vero sorore mulieribus. Ita Philo.

651 *Israël*] Nomen hoc nunc totam Hebræorum gentem, nunc partem tantum demonstrat, totam ante Salomonem, partem postea, teste Sansone. Post Salomonem enim Hebræorum regnum, quod et Israël, in duas divisum partes, una Judæ nomen assumsit, altera nomen Israël retinuit, quod in hoc ultimum ex duodecim tribuum Israël decem secesserint, in primo duæ tantum remanserint sub nomine Judæ, propter tribum Judam regiam, et omnium nobilissimam: et ex hac totius regni divisione, qui primum Hebræi et Israëlitæ in universum appellati, ii tandem in Israëlitas et Judæos divisi sunt, et aliquando hi sub illo, aliquando illi sub altero nomine comprehensi sunt.

655 *Nilicolas*] Quod Memphis urbs regia Ægypti ad Nilum fluvium condita esset. Nilus autem oritur ex duobus fontibus in Æthiopia superiori, et in regno Abassenorum; deinde assumtis in itinere aliorum quoque amnium aquis, vergit in Septemtrionem versus Bugihos et Baloos populos; et deinde tendit versus Ægyptum.

Ac refluente sinu jam redderet unda natatum
Piscibus, et nudas præceps operiret arenas.
Pulsavit resono modulantia tympana plectro
Turba Dei, celebrans mirum ac memorabile sæclis
Omnipotentis opus, liquidas inter freta ripas
Fluctibus incisis et subsistente procella
Crescere, suspensosque globos potuisse teneri.
Sic expugnata vitiorum gente, resultant
Mystica dulcimodis virtutum carmina psalmis.
Ventum erat ad fauces portæ Castrensis, ubi arctum
Liminis introitum bifori dant cardine claustra.
Nascitur hic inopina mali lacrymabilis astu
Tempestas, placidæ turbatrix invida Pacis,
Quæ tantum subita vexaret clade triumphum.

CONCORDIÆ ET DISCORDIÆ PUGNA.

INTER confertos cuneos Concordia forte
Dum stipata pedem jam tutis mœnibus infert,
Excipit occultum vitii latitantis ab ictu
Mucronem lævo in latere, squalentia quamvis

fuit piscibus natare: et arenæ mox siccæ opertæ sunt fluctibus effusis. Populus Dei canens facta mira Dei, ac tradenda posteris, nimirum in medio pelagi continuisse littora liquida fluctibus divisis, et mari procelloso pendente, et suspensas aquas constitisse, pulsavit plectro canoro tympana modulantia. Exercitu vitiorum ita debellato, virtutes canunt mystica carmina in blandissimis psalmis. Cohortes venerant ad limen portæ prætoriæ, ubi claustra duarum valvarum angustant aditum ostii. Hic exoritur tempestas non prævisa dolo mali lugendi, scilicet Discordia inimica miti paci, quæ corrupit ingentem victoriam clade improvisa.

Dum Concordia stipata condensatis ordinibus militum forte lustrat pede tuto mœnia castrorum, Discordia latitans percussit illius lævum latus telo furtim vibrato, quan-

NOTÆ

665 *Portæ Castrensis*] I. e. portæ prætoriæ, qua exercitus in prælium educebatur, quia initio Prætores erant qui nunc Imperatores, qui bella administrabant. Eadem et Decumana et Principalis vocabatur: maxima erat, atque in postica castrorum parte. Ut ex Cæsare B. Gall. lib. III. intelligitur.

673 *Squalentia*] 'Tertium restat ex iis, quæ reprehensa sunt, quod 'tunicam squalentem auro' dixit. Id autem significat copiam densitatemque auri in squamarum speciem intexti. Squalere enim dictum est a squamarum crebritate asperitateque; quæ in serpentium piscium que coriis visuntur. Quam rem et alii, et hic quidem poëta locis aliquot demonstrat: 'Quem pellis,' inquit, 'ahenis In

Texta catenato ferri subtegmine corpus
Ambirent, sutis et acumen vulneris hamis
Respuerent, rigidis nec fila tenacia nodis
Impactum sinerent penetrare in viscera telum.
Rara tamen chalybem tenui transmittere puncto
Commissura dedit, qua sese extrema politæ
Squama ligat tunicæ, sinus et sibi conserit oras.
Intulit hoc vulnus pugnatrix subdola victæ
Partis, et incautis victoribus insidiata est.
Nam, pulsa culparum acie, Discordia nostros
Intrarat cuneos, sociam mentita figuram.
Scissa procul palla, structum et serpente flagellum
Multiplici, media camporum in strage jacebant.
Ipsa redimitos olea frondente capillos

quam corpus cingeretur lorica contexta in modum squamarum, cui laminæ ferreæ erant impactæ; ita ut hami invicem conjuncti repellerent aciem teli: nec fila ligantia loricam nodis rigidis sinerent impulsum telum penetrare usque ad viscera. Rara tamen junctura, qua ultima catenula adhæret politæ loricæ, quaque medium jungit illius extremitates, dedit aditum cuspidi tenui foramine. Discordia subdola pugnans pro vitiis devictis impressit hoc vulnus; et collocavit insidias victoribus nihil caventibus. Ea enim, secedens a turmis vitiorum, intrarat nostra castra, quod assumsisset amicam figuram. Ipsius vestis lacerata, ac flagellum textum ex multis implicatis serpentibus stant longe humi inter cadavera. Ipsa gerens caput cinctum frondente ramo olivæ

669 *vexavit* A.—670 *consertos* E.—675 *Ambierent* E.—683 *lætos* F.—685 *strictum et* Weitz. *et structum* Gif.—686 *jacebat* A. Fuld.—687 *oleo* W. superscr.—688

NOTÆ

plumam squamis auro conserta tegebat.' Accius in Pelopidis ita scribit: 'Ejus serpentis squamæ squalido auro, et purpura prætextæ.' Quicquid igitur nimis inculcatum obsitumque aliqua re erat, ut incuteret visentibus facie nova horrorem, id squalere dicebatur.' A. Gell. lib. II.

674 *Subtegmine*] Quanquam subtegmen proprie dicatur filum, quod sub stamine texitur, tamen loricam ipsam significat, de qua sup.

680 *Tunicæ*] Armatura quoque potest dici tunica. Juv. 'Tunicati fuscina Gracchi.'

685 *Scissa palla, et flagellum*] Ut ipso habitu vim suam exprimat, qua dividit animos, fœdera disrumpit. Virg. Æn. VIII. 702. 'Et scissa gaudens vadit Discordia palla, Quam cum sanguineo sequitur Bellona flagello.' Et Æn. VI. 280. 'Et Discordia demens Viperéum crinem vittis innexa cruentis.'

687 *Olea frondenti*] Ramo olivæ pacem significante. Quam consuetudinem, quod in pacis petitione ramus olivæ offeratur, docet Liv. IX. 3. 'Decem legati,' inquit,' obsiti squalore et sordibus, in comitio sedentibus consulibus, velamenta supplicum, ramos oleæ, ut Græcis mos est,

Ostentans, festis respondet læta choreis.
Sed sicam sub veste tegit, te, maxima virtus,
Te solam tanto e numero, Concordia, tristi
Fraude petens. Sed non vitalia rumpere sacri
Corporis est licitum, summo tenus extima tactu
Læsa cutis tenuem signavit sanguine rivum.
Exclamat Virtus subito turbata: Quid hoc est?
Quæ manus hic inimica latet? quæ prospera nostra
Vulnerat, et ferrum tanta inter gaudia vibrat?
Quid juvat indomitos bello sedasse furores,
Et sanctum vitiis pereuntibus omne receptum,
Si Virtus sub pace cadit? trepida agmina mœstos
Convertere oculos: stillabat vulneris index
Ferrata de veste cruor, mox et pavor hostem
Cominus astantem prodit: nam pallor in ore,
Conscius audacis facti, dat signa reatus;

respondet hilaris festis cantibus. At tegit gladium sub veste, quo te, o maxima virtus Concordia, te solam inter tot milites lædit dolis funestis. Non tamen potest eripere vitam sacro corpori; sed cute exteriori leviter læsa infecit rivulum sanguine. Concordia perterrita illico clamavit: Quid hoc rei est? Quisnam hostis latet in nostris castris? Quis vulneravit corpus meum, et torsit in me telum inter tanta gaudia? Quis prodest compescuisse vitia invicta bello, et ipsis debellatis subtraxisse periculo omnes virtutes, si jam pace facta ego morior? Turmæ paventes conjecere in illam oculos lacrymantes. Illius lorica ferrea respersa erat sanguine indicante plagam. Discordia stans prope mox etiam proditur timore: nam pallor in ore proveniens ex conscientia tam audacis sceleris arguit ipsam culpæ; et manus

respondit F. W.—690 *in numero* A.—695 *pectora nostra* Vulg.—699 *agmina*

NOTÆ

porrigentes, ante tribunal cum flebili vociferatione humi procubuerunt.' Et Virg. eo versu: 'Paciferæque manu ramum prætendit olivæ.' Cujus rei causam Servius scribit partim fabulæ, partim naturæ efficere rationem. Nam cum de nomine Athenarum Neptunus et Minerva contenderent, et jussisset Jupiter ut illius nomine diceretur civitas, qui munus melius obtulisset, equum Neptunus, olivam Minerva protulit, et statim vicit. Unde quando ramus ejus alicui offertur, indicat eum esse meliorem. Hinc illud est proverbium, 'herbam do,' i. e. cedo victoriam. Quod Varro ponit, cum in agonibus herbam in modum palmæ dat aliquis ei, quicum contendere non conatur.

689 *Sicam*] Sica genus gladii brevioris, quasi seca, a secando. Cic. in Catilin. 'E quibus ille maximum sicarum numerum et gladiorum extulit.'

699 *Si Virtus sub pace cadit*] Arator lib. II. 'Sed et acrior hostis Intus erit, graviusque malum Discordia portat, Quæ vulnus sub pace creat.'

703 *Conscius audacis facti*] 'Heu quam difficile est crimen non pro-

Et deprensa tremunt languens manus, et color albens.
Circumstat propere strictis mucronibus omnis
Virtutum legio, exquirens fervente tumultu
Et genus, et nomen, patriam, sectamque, Deumque
Quem colat, et missu cujatis venerit. Illa
Exsanguis, turbante metu: Discordia dicor,
Cognomento Heresis; Deus est mihi discolor, inquit.
Nunc minor, aut major: modo duplex, et modo simplex:
Cum placet, aërius, et de phantasmate visus,
Aut innata anima est: quoties volo ludere numen,
Præceptor Belia mihi; domus et plaga mundus.
Non tulit ulterius capti blasphemia monstri

arrepta vix sese sustinet languida, atque albescit. Extemplo reclusis ensibus omnes virtutes circumdant scitantes ingenti strepitu nomen, et qua stirpe, qua in regione nata sit, quem Deum colat, quam sectam sequatur, et a quo missa venerit. Ea vero pallida et stupefacta timore fatur: Discordia nomen est, Hæresis cognomen; quem Deum colo, varius est; nunc assero esse minorem, nunc majorem; modo unum tantum, modo duplicem; mox doceo illum sumsisse aëreum corpus et phantasticum; mox esse animam fusam per mundum; denique quoties volo jocari, voco Deum. Belial me erudiit. Terra est domicilium. Fides princeps virtutum non

castos W. superscr.—704 *tremit* Weitz.—708 *jussu* A.—712 *Complacet* Fuld.—713 *Haut* Fuld. Ro. *animam* T. a m. sec. *nomen* W.—714 *Est mihi præceptor Belial, domus est plaga mundi* Vulg.—715 *blasphemica* F.—719 *furialis*

NOTÆ

dere vultu!'

Reatus] Pro culpa more recentiorum accipit; cum reatus sit ejus, qui postulatur coram judice, sive juste sive injuste.

707 *Et genus, et nomen, patriam, sectamque, Deumque, &c.*] Tale illud Virg. Æn. II. 74. 'Hortamur fari, quo sanguine cretus, Quidve ferat, memoret; quæ sit fiducia capto.'

711 *Nunc minor*] Ut Arrianus, qui dixit filium minorem patre.

Modo duplex] Ut quidam Græcorum, qui tertiam personam in divinis excluserunt.

Modo simplex] Juxta sententiam eorum, qui unam tantum personam posuerunt, sortitam per officia diversa nomina.

712 *Aërius*] Hoc Manichæus de Christo docuit sumsisse corpus phantasticum.

713 *Innata anima*] Anima mundi. Platonis est opinio in Timæo, quam Virg. Georg. IV. explicat his versibus: 'Esse apibus partem divinæ mentis, et haustus Ætherios dixere,' &c. Sed, quia in Apotheosi, necnon in Hamartigenia, has hæreses refutat, iis non immoror.

714 *Belia*] Nomen Hebræum sine jugo significans, quod κατ' ἐξοχὴν diabolo convenit; qui primus sua rebellione jugum Dei excussit.

715 *Blasphemia*] Verba contumeliosa in Deum, atque in res divinas

Virtutum regina Fides: sed verba loquentis
Impedit, et vocis claudit spiramina pilo,
Pollutam rigida transfigens cuspide linguam.
Carpitur innumeris feralis bestia dextris:
Frustatim sibi quisque rapit quod spargat in auras,
Quod canibus donet, corvis quod edacibus ultro
Offerat, immundis cœno exhalante cloacis
Quod tradat, monstris quod mandet habere marinis.
Discissum fœdis animalibus omne cadaver
Dividitur: ruptis Heresis perit horrida membris.
Compositis igitur rerum morumque secundis
In commune bonis, postquam intra tuta morari
Contigit, ac statione frui, valloque foveri
Pacificos sensus, et in otia solvere curas;
Exstruitur media castrorum sede tribunal

tulit ulterius blasphemias Discordiæ captivæ, sed claudit vocem illius loquentis; et transfigens gladio fatifero linguam infectam obstruit telo meatus oris. Tum Hæresis, illa bestia feralis, corripitur manibus multorum, laceratur in partes, ac quisque arripit frusta, ut profundant ventis, ut addicant canibus, ut ultro offerant corvis rapacibus, ut ea projiciant in cloacas graveolentes, quod exhalant lutum, atque ut æquorei pisces monstrosi ob molem devorent. Totum corpus laceratum dividitur voracibus animalibus. Horrida Hæresis, membris disjunctis, moritur. Bonis igitur secundis rerum et morum dispositis in commune, contigit ut pacifici sensus omnium virtutum tranquillarum fuerint tuti vigiliis, muniti propugnaculis, atque se converterent ad otium. Solium erigitur in mediis castris loco præcelso, quem ag-

Weitz.—723 *trudat* Weitz. P. Eg. Put. Vat. quidam.—724 *Discissumque feris* Vulg. Ro. *Discissum feris* Weitz.—727 *In commune bonis tranquillæ plebis ad unum Sensibus in tuta valli statione locatis Extruitur* P. Ro. 1. *Sensibus in tuta valli, &c.* Fuld. in marg. et in T. et Bodl. postponitur vs. 729. In E. ita ordinantur: *ruptis Hæresis p. h. m. In commune bonis p. i. t. m. Contigit, &c. Pacificos, &c. Compositis, &c. Extruitur.*—730 *Construito* Fuld. *camporum* P.—733 *circum-*

NOTÆ

injuria: a βλάπτειν lædere, et φήμην famam. Apud Græcos vox est fœminini generis ἡ βλασφημία.

725 *Heresis perit*] Nonnulli legere, *perit hæresis*, sed male, nisi fallor, quamvis hæresis primam producat. Nam sup. 'Cognomento heresis.' Et alibi in Cathem. 'Pugnet contra hereses, catholicam discutiat fidem.' Quibus in locis constat semper illam syllabam corripuisse.

727 *Postquam intra tuta morari Contigit, &c.*] Horum loco Mss. Reg. succincte habet: *Tranquillæ plebis ad unum Sensibus in tuta valli statione locatis.*

730 *Exstruitur media castrorum sede tribunal*] Lipsius ad hoc Taciti Annal. I. 18. 'Simul congerunt cespites, exstruunt tribunal.' Variorum Scriptorum loca congerit, quibus a Romanis olim in castris tribunal cespitium

Editiore loco, tumulus quem vertice acuto
Excitat in speculam: subjecta unde omnia late
Liber inoffenso circuminspicit aëre visus.
Hunc sincera Fides, simul et Concordia, sacro
Fœdere juratæ Christi sub amore sorores,
Conscendunt apicem: mox et sublime tribunal
Par sanctum carumque sibi supereminet æquo
Jure potestatis: consistunt aggere summo
Conspicuæ, populosque jubent astare frequentes.
Concurrunt alacres castris ex omnibus omnes,
Nulla latet pars mentis iners, quæ corporis ullo
Intercepta sinu per conceptacula sese
Degeneri languore tegat: tentoria apertis
Cuncta patent velis, reserantur carbasa, nequis
Marceat obscuro stertens habitator operto.
Auribus intentis expectant concio, quidnam
Victores post bella vocet Concordia princeps,

ger informet in verticem acutum montis. Unde oculi liberi nihilo per medium ipsis obvio late prospiciunt inferiora quæque. Sincera Fides et Concordia, ambæ sorores, quæ simul pepigerunt sacrum fædus sub amore Christi, conscendunt hunc tumulum. Mox utraque æque sancta atque amabilis sedentes in sublimi tribunali eminent cum pari potestate, stant conspicue hoc alto monte, et jubent summam frequentiam militum accedere. Omnes quacumque ex parte castrorum læti advolant: toti quanti sunt efferuntur lætitia; nec anima ad intima sese recipiens quærit inertia quadam abditos recessus. Velis subductis omnia tabernacula patent. Carbasa colligantur, ne quis militum dormiens sub umbra latente tabescat otio. Qui convenerant, intenti arrigebant aures, ut acciperent cur princeps Concordia post bellum

spicit Weitz.—734 *Tunc* E. *Huc* Put. Eg. *Hinc* Bodl.—739 *Conspicueque ju-*

NOTÆ

imperatori positum fuisse probet. Lucan. lib. v. 'Stetit aggere fulti Cespitis, intrepidus vultu.' Stat. in Sylvis: 'Hic suetus dare jura parens, hoc cespite turmas Affari.' Claudian. de Bello Gildonico: 'Dictis ante tamen princeps confirmat ituros Aggere conspicuus.' Plutarch. in Pompeio. Plin. Paneg. Trajano dict. sect. 56. Ammian. lib. XXIII. Xiphil. de Boadicia Regina Britanniæ. Illum consule.

744 *Carbasa*] Vela ex carbaso, qui est genus lini miræ tenuitatis. De quo jam sup. vs. 186.

745 *Stertens*] Dormiendo strepitum per nares emittens. In malum fere semper sumitur. Ter. in Eun. 'Fatuus est, insulsus, tardus, stertit noctesque et dies.' Pers. Sat. III. 'Stertimus indomitum quod despumare Falernum Sufficiat, quinta dum linea tangitur umbra.'

Quam velit atque Fides virtutibus addere legem.
Erumpit prima in vocem Concordia tali
Alloquio: Cumulata quidem jam gloria vobis,
O Patris, o Domini fidissima pignora Christi,
Contigit: extincta est multo certamine sæva
Barbaries, sanctæ quæ circumsepserat urbis
Indigenas, ferroque viros, flammaque premebat.
Publica sed requies privatis rure foroque
Constat amicitiis: scissura domestica turbat
Rem populi, titubatque foris, quod dissidet intus.
Ergo cavete, viri, ne sit sententia discors
Sensibus in nostris, ne secta exotica tectis
Nascatur conflata odiis, quia fissa voluntas
Confundit variis arcana biformia fibris.
Quod sapimus, conjungat amor: quod vivimus, uno
Conspiret studio: nil dissociabile firmum est.

congregaret victores; quamque legem Fides optaret imponere virtutibus. Concordia prima resolvit os his verbis: Jam quidem, o dilecti Filii Patris æterni et Christi Domini, accessit maximus cumulus vestræ gloriæ; vitia immania sunt deleta non uno certamine. Ea tenebant obsidione incolas sanctæ urbis, nempe cœlestis Hierusalem, et fatigabant cives ferro et igne. Concordia autem publica confirmatur amicitiis privatis extra urbem, et intra propugnacula. Discordia domestica debilitat publicam tranquillitatem, dumque intus rixæ sunt, oriuntur extrinsecus tumultus. Ergo, o milites, cavete ne intra vos sint ullæ contentiones, ne ducti odio occulto concipiatis opiniones diversas: nam voluntas discors confundit arcana opposita cordis divisi. Amor Christi conjungat nostros sensus; per nostram vitam nobis sit idem velle, ac idem nolle; quod non est conjunctum, rumpitur facile. \ *Haud*

bent populos Weitz.—743 *Degenerem* Weitz. Fuld.—746 *expectat* Weitz.—749 *primam* A. F.—752 *Hoc habet* Weitz. *est* deest Gif. Ind. Lucr. p. 462.—755 *jam requies* Fuld.—759 *in vestris* quidam.—760 *scissa* E. et Vulg. *fusa* T. a m. pr. *fixa* Ro. 1.—761 *Infundit* W. in marg.—762

NOTÆ

755 *Publica sed requies Constat amicitiis*] Unde præclare dicitur a Seneca Epist. 97. 'Societas nostra lapidum fornicationis simillima est, quæ casura, nisi invicem obstarent, hoc ipso continetur.'

756 *Scissura*] Alludit ad id Matth. cap. XII. 'Omne regnum divisum contra se desolabitur: et omnis civitas vel domus divisa contra se non stabit.'

758 *Ne sit sententia discors*] Juxta illud Pauli ad Roman. cap. XII. 'Gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus.' Quia idem velle, et idem nolle, ea est vera caritas.

759 *Exotica*] Peregrina, adventitia, aliunde apportata: ab ἔξω Græca præpositione, quæ foras significat.

763 *Nil dissociabile firmum est*]

Utque homini atque Deo medius intervenit Jesus,
Qui sociat mortale Patri, ne carnea distent
Spiritui æterno, sitque ut Deus unus utrumque;
Sic, quicquid gerimus mentisque et corporis actu,
Spiritus unimodis texat compagibus unus.
Pax plenum virtutis opus: pax summa laborum:
Pax belli exacti pretium est, pretiumque pericli.
Sidera pace vigent; consistunt terrea pace.
Nil placitum sine pace Deo: non munus, ad aram
Cum cupias offerre, probet, si turbida fratrem
Mens impacati sub pectoris oderit antro:
Nec, si flammicolis Christi pro nomine Martyr
Ignibus insilias, servans inamabile votum
Bile sub obliqua, pretiosam proderit Jesu

secus ac Christus, qui conciliavit Patri æterno humanam naturam, ne homines essent nimis pugnantes Spiritui Sancto, atque ut unus Deus haberet utramque naturam, fuit mediator Dei et hominum; ita idem Spiritus jungat haud diversis nexibus nostra cogitata mentis, et nostra acta corporis. Virtus parit pacem. Pax est meta laborum. Pax est remuneratio belli confecti feliciter, atque præmium eorum qui inierunt pericula; gloria cœli oritur ex Pace; Pax sustentat res terrestres. Nihil contrarium Paci est gratum Deo. Munera sordebunt Domino, si, cum optas offerre ea ante aram, mens concitata concipit in tacito pectore odium inexorabile in fratrem. Quanquam tu martyr immittas corpus in ignem rapacem pro nomine Christi, nihil tamen proficies dedisse tam gloriose vitam, si servas malevolum

Conjunctet Weitz.—764 *Atque* Fuld. *medium* A.—773 *probat* Weitz.—775 *flammicomis* Weitz. *flammivomis* A.—777 *prosit* A. F.—781 *contra* Eg. P.

NOTÆ

Hinc Lucan. lib. I. 'Publica belli Semina, quæ populos semper mersere potentes.'

769 *Pax summa laborum*] Augustinus de Civ. Dei XIX. 12. pacis tranquillitatem ac commoda fusius describit: 'Ad gloriosam ergo pacem bellando cupiunt pervenire. Nam quid est aliud victoria, nisi subjectio repugnantium? Quod cum factum fuerit, pax erit. Pacis igitur intentione bella geruntur. Unde pacem, constat belli esse optabilem finem.'

771 *Sidera pace vigent*] Sic Boëth. l. IV. 'Aspice summi culmina cœli: Illic justo fœdere rerum Veterem servant sidera pacem.'

772 *Non munus*] Matth. cap. v. 'Si ergo offers munus tuum ad altare, et ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid adversum te, relinque ibi munus tuum ante altare, et vade prius reconciliari fratri tuo.'

775 *Nec, si*] Quod Apost. 1 Corinth. cap. XIII. 'Si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, caritatem autem non habuero, nihil mihi prodest.'

777 *Proderit Jesu*] Ant. Nebriss. legit *prosit*, sed quam male quis non

Impendisse animam; meriti quia clausula pax est.
Non inflata tumet, non invidet æmula fratri:
Omnia perpetitur patiens, atque omnia credit.
Nunquam læsa dolet, cuncta offensacula donat.
Occasum lucis venia præcurrere gestit,
Anxia, ne stabilem linquat sol conscius iram.
Quisque litare Deo mactatis vult holocaustis,
Offerat in primis pacem: nulla hostia Christo
Dulcior: hoc solo sancta ad donaria vultum
Munere convertens, liquido oblectatur odore.
Sed tamen et niveis tradit Deus ipse columbis

animum sub corde irato. Nam omnis virtus continetur in amore fraterno. Charitas non inflatur, non æmula invidet fratri, fert omnia modeste; et credit omnia, nunquam læsa irritatur, concedit omni injuriæ. Solicita vult condonare maledicta ante occasum solis, ne sol testis occidat super iracundiam permanentem. Quicunque vult petere aliquid a Deo victimis cæsis, ipsi offerat animum pacatum: nullum munus est jucundum magis Christo. Hoc uno munere intendens oculos in aras sanctas delectabitur puro odore sacrificii. Ipse tamen Christus dedit quoque niveis

—783 *concitus* Fuld.—787 *puro .. odore* Put.—791 *ovibus* P.—793 *anguineos*

NOTÆ

videt, nisi Poëtam levitatis accusemus et inconstantiæ; siquidem antea, 'medius intervenit Jesus' posuit; ubi ultima verbi 'intervenit' corripitur, quanquam 'Jesus' nomen sit dissyllabum. Fateor tamen in hoc peccasse Poëtam, nullumque optimum scriptorem ea usum fuisse licentia.

779 *Non inflata tumet*] Ex Apostolo, atque ex eodem capite illa excerpsit. 'Charitas patiens est, benigna est: caritas non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non quærit quæ sua sunt, non irritatur, non cogitat malum.'

782 *Occasum lucis*] Idem ad Ephes. IV. 'Sol non occidat super iracundiam vestram.'

784 *Holocaustis*] Holocaustum, victima quæ detractis extis integra aræ imponebatur; παρὰ τὸ ὅλον καίεσθαι, h. e. ab eo, quod totum cremaretur.

786 *Donaria*] Dona significant. Macrob. 'Ornamenta vero sunt clypei, coronæ, et hujusmodi donaria.' Abusive vero secundum Vall. lib. I. Loca in quibus dona offeruntur servanturque Virg. Georg. III. 'Et uris Imparibus ductos alta ad donaria currus.' Apuleius lib. IX. 'Ibi donarium Deæ perquam opulentum.' Quos hic imitatus est Prudentius.

787 *Liquido odore*] Alludit ad Judæorum holocausta, ex quibus incensis ascendebat fumus ad Deum, quasi illum oblectaturus. Liquidum vero appellat odorem, ex flammis resolutum. Pers. Sat. II. 47. 'Tot tibi cum in flammis junicum omenta liquescant.'

Pinnatum tenera plumarum veste colubrum
Rimante ingenio docte internoscere, mixtum
Innocuis avibus: latet et lupus ore cruento
Lacteolam mentitus ovem sub vellere molli,
Cruda per agninos exercens funera rictus.
Hac sese occultant Photinus et Arrius arte,
Immanes feritate lupi. Discrimina produnt
Nostra, recensque cruor, quamvis de corpore summo,
Quid possit furtiva manus. Gemitum dedit omnis
Virtutum populus, casu concussus acerbo.
Tum generosa Fides hæc subdidit: Immo secundis
In rebus cesset gemitus. Concordia læsa est,

columbis dignoscere subtiliter ingenio perscrutante serpentem vestitum veste molli plumarum, et mistum cum his innocuis avibus. Crudelis etiam lupus mutat se, et mentitur sub molli vellere se esse ovem lacteolam, ut, dum imitatur rictus agninos, eat in cædes cruentas. Photinus et Arius, lupi immanes ob suam feritatem, deceperunt homines hac arte. Quæ obii pericula, et sanguis fluens adhuc, quanquam meum corpus sit immortale, probant satis quantum occultus inimicus possit afferre detrimentum. Omnis turba virtutum concussa vulnere illato Concordiæ dedit se lacrymis. Tum fortis Fides illa addidit: Tenete lacrymas, omnia jam sunt prospera. Concordia quidem vulnerata est, sed ego Fides illam sum tuita; quin-

NOTÆ

789 *Pinnatum*] Dæmonem, serpentem illum alatum, scelestum, et nefandum: qui ut facilius innocuis columbis imponat, in figuram habitumque columbæ atque Angeli se vertit.

791 *Latet et lupus*] Ex quo scribitur Matth. VII. 'Attendite a falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces.'

793 *Rictus*] Rictus est oris distentio in belluis. Ringi enim dicuntur canes cum irritati rictum diducunt, quasi latraturi aut morsuri. Transfertur ad eos, qui taciti stomachantur.

794 *Photinus*] Episcopus Sirmiensis hæresiarcha, qui in synodo Sirmiensi, atque, ut putat Epiphan. in Concilio Sardicensi damnatus ac depositus fuit anno Christi 347. Is Christum solum hominem asserebat, et ante Mariam extitisse negabat. Unde ejus sectatores dicti quoque fuere Homuntionitæ.

Arrius] Alexandrinus fuit presbyter ex factione Meletianorum, qui contra Dei filium impiam hæresim effudit, negans Patri consubstantialem esse, ob quam ab Alexandro Episcopo ejectus Ecclesia patronos sibi quæsivit Eusebium Nicomediensem, et alterum Cæsariensem Episcopos, cum pluribus aliis. Quod incendium frustra per literas, perque Osium conatus restinguere Constantinus, Nicænam denique synodum haberi jussit anno 325. cui interfuere 318. Episcopi. Male Poëta corripuit penultimam hujus nominis.

798 *Casu concussus acerbo*] Virgil. Æn. v. 700. 'At pater Æneas, casu concussus acerbo, Nunc huc ingentes nunc illuc pectore curas Mutabat.'

Sed defensa Fide: quin et Concordia sospes,
Germanam comitata Fidem, sua vulnera ridet.
Hæc mea sola salus, nihil hac mihi triste recepta.
Unum opus egregio restat post bella labori,
O proceres, regni quod tandem pacifer hæres
Belligeri, armatæ successor inermus et aulæ,
Instituit Solomon: quoniam genitoris anheli
Fumarat calido regum de sanguine dextra.
Sanguine nam terso, templum fundatur, et ara
Ponitur auratis Christi domus ardua tectis.
Tunc Hierusalem templo illustrata, quietum
Suscepit jam diva Deum; circumvaga postquam
Sedit marmoreis fundata altaribus Arca.

etiam incolumis Concordia mihi suæ sorori addens se comitem contemnit sua vulnera. Ea una sospite, sum sospes: et illa liberata a periculo nihil triste mihi accidet. O proceres, unum opus egregium, tot bellis peractis, restat labori. Salomon hæres pacificus Regis Davidis exercitatissimi in armis, et successor aulæ bellicæ haud expertus labores duri Martis, illud suscepit; quod manus ipsius patris defatigati assiduis bellis fuisset cruenta sanguine regum. Cum nullus effunditur sanguis, sistamus templum; et domus Christi sublimis sit auratis tectis, ubi ponatur ara. Sancta Hierusalem, tunc clara templo, jam recepit intra mœnia Deum pacificum, statim atque arca fœderis, quæ antea circumvagabatur, fuit posita in sacrario

E.—799 *Tunc* Vulg.—801 *fides* Weitz.—804 *egregium* Weitz. Vat. duo.—806 *inermis* Weitz. Eg. P.—809 *jam* E.—812 *Hierusales* Heins. Vat. un.

NOTÆ

803 *Nihil hac mihi triste recepta*] Illud quoque Virg. Æn. IX. 262. 'Revocate parentem, Reddite conspectum: nihil illo triste recepto.'

805 *Hæres*] Ipse David anno regni sui quadragesimo, ætatis septuagesimo Salomonem in solio suo collocavit.

807 *Instituit*] Qui anno ante Christum 1012. parta divinitus sapientia, et incredibili copiarum apparatu, quas ad hoc olim pater ipsius congesserat, instructus templum Hierosolymis aggreditur, opus longe magnificentissimum.

Solomon] Filius Davidis ex Bethsabee legitima uxore, natus est Hierosolymis anno ante Christum 1052.

Genitoris anheli] Jussu enim Dei non illud posuerat David, quod vir esset bellator, et sanguinem fudisset. lib. 1 Paralip. cap. XXVIII.

811 *Hierusalem*] Aut Hierosolyma: urbs Palæstinæ in Judæa notissima, olimque clarissima, teste Plinio, inter urbes Orientales. A Tito Imperatore Romano eversa fuit, deinde ab Ælio Hadriano Imperatore restaurata. Adi sup. Hamart. vs. 486.

812 *Circumvaga*] Nam ex Philistinorum tabernaculis in domum Abinadab translata est arca Domini, ex Abinadab in domum Obededom Gethæi, ut legere est 2 Reg. cap. VI.

Surgat et in nostris templum venerabile castris,
Omnipotens cujus sanctorum sancta revisat.
Nam quid terrigenas ferro pepulisse phalangas
Culparum prodest, hominis si Filius arce
Ætheris illapsus, purgati corporis urbem
Intret inornatam, templi splendentis egenus?
Hactenus alternis sudatum est cominus armis:
Munia nunc agitet tacitæ toga candida pacis,
Atque sacris sedem properet discincta juventus.
Hæc ubi dicta dedit, gradibus regina superbis
Desiliit, tantique operis Concordia consors
Metatura novum jacto fundamine templum:
Aurea planitiem spatiis percurrit arundo
Dimensis, quadrent ut quatuor undique frontes,
Ne commissuris distantibus angulus impar
Argutam mutilet per dissona semetra normam.
Auroræ de parte, tribus plaga lucida portis

super altare marmoreum. Nos quoque ponamus templum sanctum in nostris castris, cujus sancta sanctorum Deus visitet. Quid enim juvat profligasse armis exercitum vitiorum terrenorum, si Christus descendens de cælo intret sedem corporis purgati quidem a vitiis, sed inornati, nec ipsi sit sedes magnifica? Usque ad hoc tempus elaboravimus in bellis continuis: nunc toga candida Pacis quietæ peragat suum munus, ac juventus immunis belli properet ad templum statuendum Deo. Vix dixit illa verba: Fides descendit e solio superbo, et Concordia particeps tanti operis, ut describat graphice, jactis fundamentis, illud novum templum. Dimensis intervallis metitur aream virga aurea, ut undique quatuor frontes coëant apte, ne vitiosus angulus hiantibus juncturis defraudet regulam, qua vitia deprehenduntur, per mensiones falsas. A parte Orientis regio patet ornata tribus portis: ab Austro tres

Ierusale C.—815 Post h. vs. sequitur vs. 820. in E.—816 *Numquid* Eg. *phalanga* Fuld.—821 *Mania* Weitz. Gif. Ind. Lucr. p. 377. *agit en* Eg.—822 *Adque* S. P. *sacri* S. *ædem* G.—824 *Desiluit* Weitz. *lætofundamine* T.—

NOTÆ

821 *Munia*] Obsequia lege debita, et officia, quæ publice præstantur. Hor. Epist. II. 2. 'Cetera qui vitæ servaret munia recto More.'

822 *Discincta juventus*] Sicut e contrario in bello milites dicuntur procincti, et esse in procinctu.

826 *Percurrit arundo*] Hæc metiendi templi ratio ex Apocal. cap. XXI. tota sumta est.

830 *Auroræ*] Illam poëtæ Titanis et Terræ filiam finxere. Roseos ei digitos tribuit Homerus: roseos equos alii, sive bigas, sive quadrigas: quibus aperire diem, et solem præcurrere dicitur: idque ob colorem subrubentem et aureum, in quem desinit sæpe matutinum crepusculum, pro quo hic sumitur a Prudentio.

Illustrata patet: triplex aperitur ad Austrum
Portarum numerus: tres occidualibus offert
Janua trina fores; toties Aquilonis ad axem
Panditur alta domus. Nullum illic structile saxum,
Sed cava per solidum multoque forata dolatu
Gemma relucenti limen complectitur arcu,
Vestibulumque lapis penetrabile concipit unus.
Portarum summis inscripta in frontibus auro
Nomina apostolici fulgent bis sena senatus.
Spiritus his titulis arcana recondita mentis
Ambit, et electos vocat in præcordia sensus:
Quaque hominis natura viget, quam corpore toto
Quadrua vis animat, trinis ingressibus aram

etiam portæ construuntur: ab Occidente licet intrare templum tribus portis: ab Aquilone tres portæ domus excelsæ aperiuntur. Fides nullis utitur ad hanc structuram lapidibus, quibus ædificantur alia ædificia; at gemmæ, quas dolavit multis ictibus, intus cavatæ sibimetipsis mutuo annectuntur, sic ut forment ad limen arcum coruscum; atque vestibulum, per quod itur ad penetralia templi, conficitur uno lapide. In summa fronte januarum nomina duodecim Apostolorum leguntur inscripta aureis literis. Spiritus abscondit hisce titulis mystica secreta mentis; et vocat sanctos, ut id comprehendant intima cogitatione. Spiritus autem tribus portis ab unoquoque quatuor laterum petit cordis aram, in qua est fons et origo vitæ hominis,

829 *symmetra* Vulg. *semeta* Fuld.—833 *totidemque* F. *totiens* Weitz.—834 *nullum hic* T. *strictile* Eg.—835 *dolata foratu* E.—836 *actu* Pnt.—842 *Qua hominis* E. *qua corpore* Weitz.—843 *animæ* Weitz.—845 *sub primus* Eg.—

NOTÆ

831 *Austrum*] Auster, sive Notus, ventus a Meridie flans Italis et Græcis, nobis item, quibus mare ad Meridiem est, transmarinus.

833 *Aquilonis*] Boreas etiam dicitur Aquilo. Ventus est flans a Septemtrione. Vocatur Aquilo a vehementiori flatu et volatu; quasi aquila, inquit Festus.

Ad axem] Pro Septemtrione: ad axem, id est, ad polum arcticum: quia polus hic unus a nobis videtur. Sunt enim poli puncta duo axem terminantia. Axis autem, linea ipsa, sive obelus circa quem cœlum volvitur.

835 *Dolatu*] Ætate Prudentii forte id nomen fuit a verbo 'dolo' formatum; quod verbum fabrorum est; idem enim est dolare, ac materiæ complanare asperitatem. Apud veteres verbum usitatum, substantivum inauditum.

843 *Quadrua vis*] Quæ per quatuor templi latera designantur, ea sunt quatuor hominis ætates, quæ quatuor quoque partibus diei aut anni coæquantur. Prima pueritiæ, a media nocte ad ortum Solis; secunda adolescentiæ, ab ortu Solis ad Meridiem; tertia ætatis perfectæ, a Meridie ad occasum; quarta senectutis, ab occasu ad mediam noctem.

Cordis adit, castisque colit sacraria votis:
Seu pueros sol primus agat, seu fervor ephebos
Incendat nimius, seu consummabilis ævi
Perficiat lux plena viros, sive algida Borræ
Ætas decrepitam vocet ad pia sacra senectam:
Occurrit trinum quadrina ad compita nomen,
Quod bene discipulis disponit rex duodenis.
Quinetiam totidem gemmarum insignia textis
Parietibus distincta micant, animasque colorum
Viventes liquido lux evomit alta profundo.
Ingens chrysolitus, nativo interlitus auro,
Hinc sibi sapphirum sociaverat, inde beryllum:
Distantesque nitor medius variarat honores.

quem quatuor ætates videntur animare; ibique colit castis votis sacrarium: seu incipiat agitare vitam, seu torreatur nimiis ardoribus adolescentiæ, seu jam vir factus pervenerit ad perfectam ætatem, seu senescat annis frigidis senectutis, quæ vocat ætatem decrepitam ad cultum virtutis. Ad quatuor concursus laterum triplex potestas Dei sentitur, quas Fides recte attribuit duodecim Apostolis. Quinetiam duodecim diversæ gemmæ relucent parietibus textis, et lux alta collustrat intimas gemmas, quæ sunt diaphanæ, atque adducit vivos colores ante oculos. Ingens Chrysolitus, cui a natura sunt aureæ maculæ, est positus in medio hinc inter Sapphirum, illinc inter Beryllum: et splendor medius Chrysoliti variat alios colores distantes.

847 *lux alta* E. superscr. *Boreæ* E. F. Eg.—849 *numen* Weitz.—856 *variabat*

NOTÆ

847 *Borræ*] Quidam legunt *Boreæ*: sed iis assentiri nequeo. Quanquam enim Lucret. lib. II. 'Nam tibi vehementer nova res molitur ad aures Accedere.' Virg. Georg. I. 'Fluviorum rex Eridanus,' et Hor. Epist. II. 2. 'Vehemens, et liquidus, puroque simillimus amni,' anapæsto utantur loco spondæi, tamen in fine haud admitti potest; nec usquam reperies.

854 *Chrysolitus*] Lapis pretiosus aureo nitore translucens. Unde etiam nomen sortitus est. Χρυσὸς enim aurum, λίθος lapis dicitur. Plin. XXXVII. 9. 'De iaspidum generibus hyacinthos Æthiopia mittit, et chrysolitos, aureo colore translucentes.'

855 *Sapphirum*] Lapis pretiosus, de quo ita Plin. XXXVII. 9. 'Sapphirus et aureis punctis collucet. Cœruleæ et sapphiri, raroque cum purpura. Optimæ apud Medos, nusquam tamen perlucidæ. Præterea inutiles scalpturæ intervenientibus crystallinis centris.'

Beryllum] Gemma est subviridis et transparens, vix alibi unquam, quam in India reperta. Politur sexangula figura, quoniam hebescit, ni color surdus repercussu angulorum excitetur. Prima berylli producitur.

Hic chalcedon hebes perfunditur ex hyacinthi
Lumine vicino: nam forte Cyanea propter
Stagna lapis cohibens ostro fulgebat aquoso.
Sardonychen pingunt amethystina, pingit iaspis
Sardoum juxta appositum, pulcherque topazon.

Lumen subobscuri Chalcedonis excitatur fulgore prope stantis hyacinthi. Nam lapis Cyaneus, deducens nomen a stagnis Cyaneis, forte fulgebat marina purpura. Multiplex Amethystus adhibet lumen Sardonichi; Jaspis ac pulcher Topazon adhi-

Weitz.—857 *Hinc* quidam.—861 *Sardonium* Weitz. Vat. tres. *appositus* F.

NOTÆ

857 *Chalcedon*] Seu, ut in Apocal. legitur, Chalcedonius. Prope Chalcedonem Bithyniæ urbem, Constantinopoli ex altera Bosphori parte objacentem, in littorum saxis et scopulis hæc gemma innascitur, speciem habens et colorem carbunculi, seu carbonis ardentis. Igne non calescit, in tenebris lucet, et magis interius quam exterius splendescit. Ultima hujusce nominis etiam ante vocalem produci debet.

Hyacinthi] Hyacinthus gemma colorem habens gemmæ Amethysto non absimilem, sed tamen dilutiorem. Forte ita dicitur quod hyacinthi floris imitetur colorem. In Æthiopia, teste Plin. XXXVII. 9. reperitur.

858 *Cyanea Stagna*] Cyaneus, aut, ut vult Plin. Cyanos, fluvius est Colchidis, qui ex montibus Coraxicis juxta Æam oppidum influit in Phasin. Plin. VI. 4. 'Maxime autem inclaruit Æa 15. mill. pass. a mari, ubi Hyppos et Cyanos vasti amnes e diverso confluunt.' Illum consule. Peccavit adhuc Prudentius in quantitate illius nominis.

859 *Lapis*] Nempe Cyanos, gemma colorem cœruleum habens: creditur eadem esse ac turchina. Alii tamen hoc nomine malunt significari lapidem, qui contusus in pulverem præstantissimum pictoribus cœrulei coloris genus suppeditat.

860 *Sardonychen*] Præstantissima species onychis; formam et colorem habet unguis humani. Triplici colore constat in triplici quasi circulo; nam in infima parte niger est, in media albus, in summa ruber; ita ut cuipiam videri possit non simplex, ut tamen est revera. Si oculis admoveatur, educit noxios humores. De eo Plin. XXXVII. 6. 'Sardonychem insignem habuit Polycrates Samiorum tyrannus; quem, ut fortunæ nimium blandientis insidias alicujus rei caræ jactura redimeret, in mare abjecit; qui tamen in ventre piscis paulopost inventus, ad eum relatus est.'

Amethystina] Amethystus gemma est coloris violacei, purpurei, et rosei, splendoris non ex toto ignei, sed in vini ruborem deficientis. Idem sonat ac non inebrians, a μεθύσκω inebrior, et α privativo, quod ebrietati credatur resistere, ut probat ex Aristot. Rueus. Plin. XXXVII. 9. quinque enumerat Amethysti species.

Iaspis] Gemma antiquissima et firmissima, viridis ut plurimum, sed maculas habens rubeas, cœruleas, et albas. Vim habet stomachum firmandi, sanguinem sistendi, febres, hydropises, calculos, epilepsiam arcendi. Plin. XXXVII. 8. 'Viret et sæpe translucet Jaspis.'

861 *Sardoum*] Sardous lapis dici-

Has inter species smaragdina gramine verno
Prata virent, volvitque vagos lux herbida fluctus.
Te quoque conspicuum structura interserit ardens
Chrysoprase, et sidus saxis stellantibus addit.
Stridebat gravidis funalis machina vinclis,
Immensas rapiens alta ad fastigia gemmas.
At domus interior septem subnixa columnis
Crystalli algentis vitrea de rupe recisis

bent ipsimet Sardoo juxta apposito. Inter has gemmas Smaragdus late spargit omnia viridi colore: isque lapis herbacei coloris imitatur colorem fluctuum maris. Chrysoprasus etiam sua luce ornat lucidum templum, et tanquam sidus additur aliis gemmis fulgentibus. Validi funes trochleæ contenti, quod attollerent immensas gemmas ad ipsum culmen, crepitabant. Domus autem interior construitur, et fulcitur septem columnis crystalli frigidi, quæ extractæ fuerant e glacie congelata. Illarum

Sardon ibi appositum Ro. 2. *topazion* Gif. Ind. Lucr. p. 465.—862 *zmaragdina* Eg. Weitz.—865 *stillantibus* P.—869 *albentis* Weitz. P. W. Eg. superscr.—

NOTÆ

tur a Sardinia, quæ Σαρδώ. Hæc Heinsius. Alii tamen legunt *Sardonicum.*

Topazon] Aut potius Topazins, gemma ab insula ejusdem nominis nuncupata, de qua hæc habet Plin. xxxvii. 8. 'Egregia etiamnum Topazio gloria est, suo virenti genere, et, cum reperta est, prælatæ omnibus gemmæ. Id accidit in Arabiæ insula, quæ Chitis vocatur; in qua Troglodytæ prædones, cum diutius fame pressi et tempestate herbas radicesque effoderent, eruerunt Topazion.' Hæc Archelai sententia est.

862 *Smaragdina*] Tertia auctoritas smaragdis pluribus de causis perhibetur. Nullius coloris aspectus jucundior est. 'Nam herbas quoque virentes frondesque avide spectamus, Smaragdos vero tanto libentius, quoniam nihil omnino viridius comparatum illis viret.' Ita Plin. xxxvii. 5. Et Martial. lib. v. 'Sardonychas, smaragdos, adamantas, iaspidas uno Portat in articulo Stella, Severe, meus.' Ubi prima corripitur.

865 *Chrysoprase*] Gemma est ex genere Topaziorum, a porracea viriditate nonnihil in aurum declinans: πράσον enim Græci porrum vocant. Inde color prasinus, i. e. porraceus. Fortassis is est, qui vulgo chrysolithos dicitur.

869 *Crystalli*] Crystallum, vel Crystallus femin. gener. fit, auctore Plinio xxxvii. 2. 'gelu vehementiore concreto, nec alibi certe quam ubi maxime hybernæ nives rigent, glaciemque esse certum est, unde nomen Græci dedere; nam et κρύος gelu, et στέλλω contraho, significat. Unde crystallum gelu contractum. Oriens crystallum mittit, sed Indico nullum præfertur. Nascitur et in Asia, vilissimum circa Alabanda et Orthosiam, finitimisque montibus, item in Cypro. Sed laudatum in Europæ alpinm jugis. Ex hoc vasa, quæ in magno erant pretio, ducebant antiqui.' Quare Propert. Eleg. iv. 3. 'Crystallusque tuas ornet aquosa manus.' Et Juven. Sat. vi. 'Grandia tolluntur crystallina.'

Construitur: quadrum tegit edita calculus albens
In conum cæsus capita, et sinuamine subter
Subductus conchæ in speciem, quod mille talentis
Margaritum ingens, opibusque et censibus hastæ
Addictis animosa Fides mercata pararat.
Hoc residet solio pollens Sapientia, et omne
Consilium regni celsa disponit ab aula,
Tutandique hominis leges sub corde retractat.
In manibus dominæ sceptrum, non arte politum,
Sed ligno vivum viridi est, quod stirpe recisum,
Quamvis nullus alat terreni cespitis humor,

cacumen operiebatur albenti margarito elaborato in conum, cujusque partes ex columnarum epistylio adeo excavatæ et sinuosæ propendebant ut adumbrarent concham. Fides magnanima, opibus et censibus suis divenditis publice sub voce præconis, emerat mille talentis hoc margaritum. Omnipotens Sapientia residet hoc templo; et ab aula celsa temperat omnia consilia sui regni; et componit in corde leges, quibus consulat generi humano. Illa Regina tenet manu sceptrum non politum arte, sed lignum vivens, quod fuerat recisum viridi stirpe. Quamvis nullus hu-

870 *quarum* Weitz.—871 *In quonum* P.—872 *Ductus concharum* Weitz. E. *Ducto concharum* Ro. 2. *Subductum* A.—873 *viribus hastæ* Weitz. *hasta* Eg. *haustæ* Fuld. W. *arte* A. F. *areæ* quidam.—874 *Adductis* A. F. *parabat* Weitz.—876 *Concilium* Ro. 2.—879 *lignum vivum est, viridi* Vulg. *lignum vi-*

NOTÆ

872 *Quod mille talentis*] Alludit ad id Evang. 'Pretiosa margarita, quam qui invenit homo, abiit et vendidit omnia quæ habuit, et eam emit.'

873 *Margaritum*] Vel margarita, lapillus candidus in conchis nascens, quem Romani unionem vocant. Plin. IX. 35. 'Principium ergo, culmenque omnium rerum pretii margaritæ tenent.' Et paulo post: 'Dos omnis in candore, magnitudine, orbe, lævore, pondere, haud promtis rebus.' Margaritæ videntur nonnullis differre a gemmis ob ea verba Ciceronis in Verr. VI. 'Neque ullam gemmam aut margaritam fuisse.' Dicunt enim gemmas diversi coloris esse, margaritas tantum albas; vel gemmas integras, margaritas pertusas. Antepenultimam male produxit Poëta.

Hastæ Addictis] In publicis auctionibus hastam figebant Romani eo loco, ubi res venales subjiciebantur auctioni, fortasse quia publicarum auctionum origo fuit ex venditione prædæ armis et hasta partis; ita ex Festo colligi potest. Tertull. Apolog. cap. 13. 'Publicos lares, &c. in hastario vectigales habetis; sic capitolium sicut olitorium forum petitur! sub eadem voce præconis, sub eadem hasta, sub eadem annotatione quæstoris divinitas addicta conducitur.' Ex quo intelligimus in hujusmodi auctionibus tria fuisse, hastam, vocem præconis, annotationem quæstoris; quæ annotatio, ut videtur, fuit inscriptio quædam, sive titulus. Juven. Sat. III. de Subhastatione: 'Et præbere caput domina venale sub hasta.'

Fronde tamen viret incolumi: tum sanguine tinctis
Intertexta rosis candentia lilia miscet,
Nescia marcenti florem summittere collo.
Hujus forma fuit sceptri gestamen Aaron
Floriferum: sicco quod germina cortice trudens,
Explicuit tenerum spe pubescente decorem,
Inque novos subito tumuit virga arida fœtus.
Reddimus æternas, indulgentissime doctor,
Grates, Christe, tibi, meritosque sacramus honores
Ore pio: nam cor vitiorum stercore sordet.
Tu nos corporei latebrosa pericula operti,
Luctantisque animæ voluisti agnoscere casus.
Novimus ancipites nebuloso in pectore sensus
Sudare alternis conflictibus, et, variato
Pugnarum eventu, nunc indole crescere dextra,
Nunc inclinatis cervicibus ad juga vitæ
Deteriora trahi, seseque addicere noxis
Turpibus, et propriæ jacturam ferre salutis.

mor e terra illud nutriat per radices, tamen virescit foliis viridis. Et inter frondes sceptri lilia alba, quæ nunquam demittunt florem e capite flaccido, miscentur rosis, quæ imitantur colorem vivi sanguinis. Virga florida Aaron fuit similis huic sceptro; nam gemmis turgentibus in ligno mortuo, mox flores, in quibus fructus continetur, explicuerunt teneram pulchritudinem, ac virga arida subito fuit induta novis amygdalinis fructibus. O Christe, qui nos doces tam amice, tibi agimus gratias immortales, et canimus ore pio laudes debitas: ore quidem, non corde, quod id sit inquinatum sordibus peccatorum. Tu voluisti ut nos intelligeremus quot pericula occulta oriantur ex integumento corporis, et quanta anima pugnans secum afferat detrimenta. Non ignoramus intra nosmetipsos turbulentos oppositas leges pugnare alternis conflictibus, et vario exitu belli, ita ut nunc vires rationis superent, nunc anima capite inclinato trahatur sponte ad jugum vitæ pessimæ, et se dedat vitiis

num, viridi est Fuld. P. *reciso* T. Bodl.—881 *tunc* A.—882 *Intertecta* Weitz. W.—885 *Florigerum* Weitz. *germen* T. Bodl. E. Eg. Fuld.—887 *viruit* S.—895 *dextram* Weitz.—896 *virtutibus* Eg. P. W. superscr. Put.—897 *addicere*

NOTÆ

884 *Hujus forma fuit*] Nam legitur Num. c. XXII. 'Virga Aaron floruit inter ceteras virgas filiorum Israël; quæ posita est in tabernaculo testimonii a Moyse.' De Aaron jam sup. vs. 548.

885 *Trudens*] Germinavit virga Aaron, et gemmis turgentibus eruperant flores, qui foliis dilatatis in amygdalas deformati sunt.

893 *Ancipites sensus*] D. Paulus ad Romanos: 'Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ.'

O quoties animam, vitiorum peste repulsa,
Sensimus incaluisse Deo! quoties tepefactum
Cœleste ingenium post gaudia candida tetro
Cessisse stomacho! fervent bella horrida, fervent
Ossibus inclusa: fremit et discordibus armis
Non simplex natura hominis: nam viscera limo
Effigiata premunt animam; contra ille sereno
Editus afflatu, nigrantis carcere cordis
Æstuat, et sordes arcta inter vincla recusat.
Spiritibus pugnant variis lux atque tenebræ,
Distantesque animat duplex substantia vires,
Donec præsidio Christus Deus adsit, et omnes
Virtutum gemmas componat sede piata:
Atque, ubi peccatum regnaverat, aurea templi
Atria constituens, texat spectamine morum
Ornamenta animæ: quibus oblectata decoro
Æternum solio dives Sapientia regnet.

turpibus, et faciat perniciem suæ salutis. O quoties sensimus animam peccatis expulsis accendi divino amore, quoties vero animam spiritalem remissam ex ardore superari turpi voluptate, quanquam jam gustasset gaudia cœlestia! Bella horrida moventur intra unumquemque, necnon natura hominis quodammodo multiplex sibi infensis armis adversatur. Pars enim formata e luto vexat animum: pars autem orta flatu divino dolet condi in carcerem cordis impuri, et inter arcta vincula resistit libidini. Ratio et appetitus pugnant variis spiritibus, et hæ duæ substantiæ colligunt vires oppositas, donec Jesus Deus ferat opem, et ipse collocet omnes gemmas virtutum in loco puro; ac ponens aurea atria templi in corde hominis olim dedito peccatis habitans ornet animam virtutibus perfectis, ut dives sapientia iis oblectata semper sedeat solio corusco.

flammis Fuld.—899 *revulsa* Weitz.—900 *inclausisse* Eg. *tepefactus* F.—903 *Ossibus, inclusa fremit* Fuld. *Ossibus, atque inclusa fremit* Vulg.—905 *animum* Weitz.—909 *Distantes animo* E. H. vs. et quinque seqq. desunt Bodl.

FINIS PSYCHOMACHIÆ.

Duobus adversus Symmachum libris præmittimus, ut dictum est in Præfatione, [supra p. 40.] tum ipsius Symmachi *Relationem*, cum egregiam S. Ambrosii *Confutationem*; prout a Maur. Monach. edita et illustrata sunt, tanquam ea, quæ ad horum librorum intelligentiam necessaria sunt, vel admodum conducibilia. Symmachus igitur, Præfectus urbis an. 384. abusus Senatus nomine, hanc Valentiniano minori Relationem obtulit, qua Aræ Victoriæ, Sacerdotum, Virginumque Vestalium privilegiorum restitutionem deposcebat, cui S. Ambrosius eodem anno respondit, eo successu, ut spe sua frustrati discedere coacti sint paganicæ superstitionis cultores. Undeviginti post annos, hoc est 403.[a] zelo fidei ac religionis amore succensus, eandem hanc Symmachi Relationem confutare aggressus est Prudentius noster; idque duobus his libris præstitit, qui propter singularem eruditionem, copiam, ingenium, ceteris operibus ejus eruditorum judicio[b] præferuntur. Hi seorsim prodierunt, minus tamen accurate excusi, una cum Symmachi Epistolis, Parisiis 1580. in 4to. cum Francisci Jureti Notis, et Parisiis 1614. 8vo. cum Comment. Isaaci Grangei Gymnas. Vind. eosque carmine Italico elegantissime reddidit P. Carolus Aug. Ansaldus O. P. Venetiis 1754.

[a] Præfatione.

[b] Tillemont Mém. pour l'Hist. Eccl. t. x. p. 819. Jo. Ant. Vulpius Comment. in Tibull. II. 5. n. 46.

RELATIO SYMMACHI

URBIS PRÆFECTI. *

DDD.
VALENTINIANO, THEODOSIO,
ET ARCADIO SEMPER AUGGG.
SYMMACHUS PRÆF. URB.

Imperatoribus supplicat Senatus nomine, ut veteres religiones instaurentur, ac reparetur Ara Victoriæ, ut ad eam jusjurandum exigatur more antiquo; non enim superiores principes in eo imitandos, quod eam sustulere, sed in eo quod alios ritus non sustulerunt. Hoc ab eis Romam poscere, et profecto sine damno ærarii concedi posse: iniquum autem illud habendum, quod bona sibi legata Vestales sacrificique adire prohibeantur: quam rem Dii ulti dicuntur immissa fame. Negat denique dicendum, quod petit sumtum publicum: et orationem cohortando Imperatores ad postulata sibi præstanda claudit.

I. Ubi primum Senatus amplissimus, semperque vester, subjecta legibus vitia cognovit, et a principibus piis vidit purgari famam proximorum temporum, boni sæculi auctoritatem secutus, evomuit diu pressum dolorem, atque iterum me querelarum suarum jussit esse legatum:[a] cui ideo Divi principis denegata est ab improbis audientia, quia non erat justitia defutura, DDD. imperatores Valentiniane, Theodosi, et Arcadi, inclyti victores, ac triumphatores semper augusti.[b]

* Scripta ann. 384.

[a] Discimus ex his verbis eundem Symmachum ab ethnicis senatoribus ante biennium electum fuisse, ut sacrorum suorum obtinere instaurationem conaretur, de qua S. Ambros. Epist. xvii. ad Valentin. nov. edit.

[b] *Cui ideo Divi principis .... semper augusti.* Hæc tota pericope in Rom. edit. jugulata est: quæ non solum in aliis edit. cunctisque Mss. invenitur, verum etiam libellorum supplicum formula erat.

II. Gemino igitur functus officio, et ut præfectus vester gesta publica prosequor, et ut legatus civium mandata commendo. Nulla est hic dissensio voluntatum; quia jam credere homines desierunt aulicorum se studio præstare,[c] si discrepent. *Amari, coli*, diligi, majus imperio est. Quis ferat obfuisse Reipublicæ privata certamina? *Merito illos* Senatus insequitur, qui potentiam suam famæ principis prætulerunt.

III. Noster autem labor pro clementia vestra ducit excubias. Cui enim magis commodat quod instituta majorum, quod patriæ jura et fata defendimus, quam temporum gloriæ; quæ tum major est, cum vobis contra morem parentum intelligitis nil licere? Repetimus igitur religionum statum, qui Reipublicæ diu profuit. Certe numerentur principes utriusque sectæ, utriusque sententiæ: proximus[d] eorum cærimonias patrum coluit, recentior non removit. Si exemplum non facit religio veterum, faciat dissimulatio proximorum.

IV. Quis ita familiaris est barbaris, ut Aram Victoriæ non requirat? Cauti in posterum sumus, et talium rerum ostenta vitamus. Reddatur tamen saltem nomini honor, qui numini denegatus est. Multa Victoriæ debet æternitas vestra, et adhuc plura debebit. Adversentur hanc potestatem, quibus nihil profuit: vos amicum triumphis patrocinium nolite deserere. Cunctis potentia ista votiva est: nemo colendam neget, quam profitetur optandam.

V. Quod si hujus ominis non est justa vitatio,[e] ornamentis saltem Curiæ decuit abstinere. Præstate, oro vos, ut ea, quæ pueri

[c] Ita Mss. et Rom. edit. Amerb. vero Eras. ac Gill. *credere desierunt. Aliquorum ministri regum coguntur studio se præstare*. At infr. ubi vet. edit. cum Mss. longe plurimis *jura et facta*.

[d] *Proximus*, id est Julianus: *recentior*, nempe Valentinianus, qui etiam sequenti sententia cum Valente fratre significatur nomine *proximorum*. Adverte autem in hac Symmachi Relatione admodum desiderari prudentiam, quandoquidem non secus de suis numinibus ac sacrificiis cum imperatore Christiano loquitur passim, ac si cum idolorum cultore loqueretur.

[e] Reg. edit. *hujus ominis non est etiam justa vitatio*: ab his Mss. aliquot hoc solo distant, quod pro *non est etiam*, legunt *non esset*; reliqui vero locum ita exhibent: *hujus hominis non esset justa visitatio*. Non satis recte. Porro aliam lectionem sequitur Onuph. Panvinus lib. De Civ. Rom. voces *hujus hominis* mutans in *hujus numinis*, et ponens *visitatio* pro *vitatio*; indicans etiam alicubi scriptum *usitatio*. Sed præstare putamus lectionem nostram, cujus hic est sensus: Etsi justum non esset vitare malum omen quod ex dejecta Victoriæ Ara ducitur, tamen, &c.

suscepimus, senes posteris relinquamus. Consuetudinis amor magnus est. Merito D. Constantii factum[f] diu non stetit. *Omnia vobis* exempla vitanda sunt, quæ mox remota didicistis. Æternitatem curamus famæ et nominis vestri; ne quid futura ætas inveniat corrigendum.

VI. Ubi in leges vestras et verba jurabimus? Qua religione mens falsa terrebitur, ne in testimoniis mentiatur? *Omnia quidem* Deo plena sunt, nec ullus perfidis tutus est locus. Sed plurimum valet ad metum delinquendi, etiam præsentia religionis urgeri. Illa Ara concordiam tenet omnium, illa Ara fidem convenit singulorum: neque aliquid magis auctoritatem facit sententiis nostris, quam quod omnia quasi juratus noster ordo decernit. Patebit ergo sedes profana perjuriis, et hoc inclyti principes mei probabile judicabunt, qui sacramento publico tuti sunt.

VII. Sed Divus Constantius idem fecisse dicitur. Cetera potius illius principis æmulemur: qui nihil tale esset aggressus, si quis ante se alius deviasset. *Corrigit enim* sequentem lapsus prioris, et de reprehensione antecedentis exempli[g] nascitur emendatio.

[f] Ita edd. ac Mss. omnes, excepto uno Long. ubi habetur *Constantini factum*. Baronius autem ad an. 346. suadet legendum *Constantis factum*, quasi exprobraret Symmachus imperium Constantii breve fuisse, ac propter vetita Deorum sacra eum a Magnentio de medio sublatum. Quam conjecturam egregie hinc putat confirmari quod infra subditur, *Sed D. Constantius*; cod. Long. *Constantinus*, &c. Idem ad annum 356. eadem iterat, atque asserit. Baronium sequitur Godefridus in Leg. II. et III. de Paganis, quas Constantis esse arbitratur: atque in hanc ultimam eo loci a Symmacho *Constantis* facto tacite Magnentii Deorum nempe sacra reddentis factum opponi existimat. Deinde vero propositis Constantii tribus legibus, quis templorum aditu, necnon usu sacrificiorum interdicitur, in III. tradit per hæc tempora, scilicet an. 356. a Constantio Aram Victoriæ dirutam esse; idque ex his Symmachi ac Ambrosii scriptis probari. Verumtamen eorum argumenta non sunt tanti, ut contra tot Mss. et cunctarum Edd. auctoritatem *Constantium* hic deseramus. Quid enim vetat, ne dicatur, ipsius factum non diu stetisse, cum illud proximus ejusdem Constantii successor Julianus antiquaverit? Deinde quod Constantii Symmachus iterum fecerit mentionem, id more Oratorum eadem subinde, cum sibi ex usu esse putant, iterantium non abhorret. Huc adde quod infra dicitur: 'qui nihil tale esset aggressus, si quis ante se alius deviasset.' Quo enim pacto ista Constantio e Symmachi mente convenirent, si latas a germano hac de re leges, atque a Magnentio sublatas intellexisset idem Constantius? Credibile ergo est nocturna tantum sacrificia a Constante fuisse prohibita, quæ Magnentius restituisse reperitur.

[g] Rom. edit. sola, *et deprehensionis antecedentis exemplo.*

Fas fuit ut parens ille clementiæ vestræ in re adhuc nova non caveret invidiam. Num potest etiam nobis eadem defensio convenire, si imitemur, quod meminimus improbatum?

VIII. Accipiat æternitas vestra alia ejusdem principis facta, quæ in usum dignius trahat. Nil ille decerpsit sacrarum virginum privilegiis:[h] replevit nobilibus sacerdotia, Romanis cærimoniis non negavit impensas: et per omnes vias æternæ Urbis, lætum secutus Senatum, vidit placido ore delubra, legit inscripta fastigiis Deorum nomina,[i] percontatus est templorum origines, miratus est conditores. Cumque alias religiones ipse sequeretur, has servavit imperio. Suus enim cuique mos, suus cuique ritus est. Varios custodes urbibus, et cultus[k] mens divina distribuit. Ut animæ nascentibus, ita populis fatales genii dividuntur. Accedit utilitas,[l] quæ maxime homini Deos asserit. Nam cum ratio omnis in operto sit, unde rectius quam de memoria atque documentis rerum secundarum cognitio venit numinum? Jam si longa ætas auctoritatem religionibus faciat, servanda est tot sæculis fides;[m] et sequendi sunt nobis parentes, qui secuti sunt feliciter suos.

IX. Romam nunc putemus assistere, atque his vobiscum agere sermonibus: optimi principes, patres patriæ, reveremini annos meos, in quos me pius ritus adduxit. Utar cærimoniis avitis; neque enim pœnitet. Vivam more meo; quia libera sum. Hic cultus in leges meas orbem redegit: hæc sacra Hannibalem a mœnibus, a Capitolio Senonas repulerunt. Ad hoc ergo servata sum, ut longæva reprehendar? Videro quod instituendum putatur; sera tamen et contumeliosa emendatio senectutis.

X. Ergo Diis patriis, Diis indigetibus[n] pacem rogamus. Æ-

[h] Marcellinus lib. XII. c. 11. Constantii in urbem ingressum commorationemque describit, ad quam haud dubie alludere voluit Symmachus.

[i] Mss. aliquot *Deum numina*.

[k] Ita omnes editt. Mss. autem fere ad unum omittunt conjunctionem; nec pauci quoque dictionem *cultus*; cujus loco legit *urbibus cunctis* citatus jam sup. Panvinus.

[l] Epictetus Enchir. cap. XXXVIII. *ὅπου γὰρ τὸ συμφέρον, ἐκεῖ καὶ τὸ εὐσεβές*. Uterque ergo pietatis fundamentum vult esse utilitatem: sed non eodem modo hanc definiunt.

[m] Rom. edit. sola *totius sæculi fides*.

[n] Mss. non pauci *Diis patriis indigetibus*, quidam corrupte *indigentibus*. Sane quidem Virg. Georg. I. conjunctim ponit 'Dii patrii indigetes;' at nihil impedit quominus duo hæc nomina Symmachus diviserit. Nam ut non raro indigetes pro iisdem accipiantur, qui dicuntur a Græcis *Θεοὶ πατρῷοι καὶ ἐγχώριοι*; sæpe tamen

quum est, quicquid omnes colunt, unum putari. Eadem spectamus astra, commune cœlum est, idem nos mundus involvit. Quid interest qua quisque prudentia verum requirat? Uno itinere non potest perveniri ad tam grande secretum; sed hæc otiosorum disputatio est. Nunc preces, non certamina[o] offerimus.

XI. Quanto commodo sacri ærarii vestri Vestalium virginum prærogativa detracta est? Sub largissimis Imperatoribus denegatur, quod parcissimi præstiterunt? Honor solus est in illo velut stipendio castitatis. Ut vittæ earum capiti decus faciunt, ita insigne ducitur, sacrificii vacare muneribus.[p] Nudum quodammodo nomen immunitatis requirunt; quoniam paupertate a dispendio tutæ sunt. Itaque amplius laudi earum tribuunt, qui aliquid rei detrahunt; *siquidem saluti* publicæ dicata virginitas crescit merito, cum caret præmio.

XII. Absint ab ærarii vestri puritate ista compendia. Fiscus bonorum principum non sacerdotum damnis, sed hostium spoliis augeatur. Ullumne lucrum compensat invidia? Et quia avaritia in mores vestros non cadit, hoc miseriores sunt, quibus subsidia vetera decerpta sunt. Etenim sub Imperatoribus, qui alieno abstinent, qui resistunt cupiditati, ad solam detrahitur amittentis injuriam, quod desiderium non movet auferentis.

XIII. Agros etiam virginibus et ministris deficientium[q] voluntate legatos fiscus retentat. Oro vos, justitiæ Sacerdotes, ut Urbis vestræ sacris reddatur privata successio. Dictent testamenta securi, et sciant sub principibus non avaris stabile esse, quod scripserint. Delectet vos ista felicitas generis humani: cœpit causæ hujus exemplum solicitare morientes. Ergo Romanæ religiones sub Romana jura non pertinent? Quod nomen accipiet ablatio facultatum, quas nulla lex, nullus casus facit caducas? Capiunt legata liberti, servis testamentorum justa commoda[r] non

pro Heroibus in Deos relatis, atque inter eos degentibus sumuntur. Vid. alias quoque ejusdem significationes apud Vossium in Etymol. Jos. Laurentium lib. II. Polym. Dissert. XLIX. atque alios.

[o] Ita vet. edit. ac Mss. exceptis paucis, ubi etiam legitur *nunc certamina*. Rom. antem edit. *nos preces non certamina*. Per *certamina* vero intelligi non debent pugnæ armis commissæ, sed concertationes illæ, quas proxime ante dicit otiosorum.

[p] Rom. edit. sola *sacerdotii vacare muneribus*.

[q] *Deficientium* nomine illos appellat, quorum vita senectutis oneri cedit, quos Ambrosius *defectos* vocare solet; maxime enim obsignantur ob hujusmodi testamenta.

negantur; tantum nobiles virgines, et fatalium sacrorum ministri excluduntur prædiis hæreditate quæsitis. Quid juvat, saluti publicæ castum corpus dicare, et imperii æternitatem cœlestibus fulcire præsidiis, armis vestris, aquilis vestris amicas applicare virtutes, pro omnibus efficacia vota suscipere, et jus cum omnibus non habere? Itaque melior est servitus, quæ hominibus impenditur. Rempublicam lædimus, cui nunquam expedit ut ingrata sit.

XIV. Nemo me putet solam causam religionum tueri. Ex hujusmodi facinoribus orta sunt cuncta Romani generis incommoda.[s] Honoraverat lex parentum Vestales virgines, ac ministros Deorum, victu modico, justisque privilegiis. Stetit muneris hujus integritas usque ad degeneres trapezitas, qui ad mercedem vilium bajulorum sacræ castitatis alimenta verterunt. Secuta est hoc factum fames publica, et spem provinciarum omnium messis ægra decepit. Non sunt hæc vitia terrarum. Nihil imputamus astris. Nec rubigo segetibus obfuit, nec avena fruges necavit: sacrilegio annus exaruit; necesse enim fuit perire omnibus, quod religionibus negabatur.

XV. Certe si est hujus mali aliquod exemplum, imputemus tantam famem viribus annorum. Gravis hanc sterilitatem aura constrinxit: sylvestribus arbustis vita producitur; et rursus ad Dodonæas arbores[t] plebis rusticæ inopia convolavit. Quid tale provinciæ pertulerunt, cum religionum ministros honor publicus pasceret? Quando in usum hominum concussa quercus, quando vulsæ sunt herbarum radices, quando alternos regionum defectus deseruit

[r] *Justa commoda* ideo dicit, quia nec hæreditatem integram, nec legata quælibet accipere servis licebat: sed vel peculium, id est modicam pecuniæ summam, vel pensionem aliquam, ut puta fructuum, vestium, &c. Nam *commoda* pro pensione, quæ Sacerdotibus militibusve attribuatur, usurpari ex Suetonio, Juvenale, atque aliis intelligimus.

[s] Vetus erat ac trita paganorum criminatio, ut imperium nullam pateretur calamitatem, quin eam Christianæ religioni acceptam ferrent. Eleganter Tertull. Apol. c. 40. 'Si Tiberis,' inquit, 'ascendit ad mœnia, si Nilus non ascendit in arva, si cœlum stetit, si terra movit, si fames, si lues, statim Christianos ad leonem.' Verum hasce calumnias præter eundem Tertullianum hoc ipso Apolog. alii quoque innocentiæ Christianorum defensores diluerunt, inter quos Augustinus editis libris De Civ. Dei palmam tulit.

[t] Mss. nonnulli *ad idoneas arbores*, male; sunt enim Dodoneæ arbores quercus, e quarum glandibus victitasse feruntur primi homines: ac proinde tanta fuisse fames significatur, ut mitiorum frugum defectu glandes esitare pauperes coacti sint.

fœcunditas mutua, cum populo et virginibus sacris communis esset annona? Commendabat enim terrarum proventus victus antistitum, et remedium magis, quam largitas erat. An dubium est semper pro copia omnium datum, quod nunc inopia omnium vindicavit?

XVI. Dicet aliquis sumtum publicum denegatum alienæ religionis impendiis. Absit a bonis principibus ista sententia; ut quod de communi[w] quibusdam tributum est, in jure fisci esse videatur. Nam cum Respublica de singulis constet; quod ab ea proficiscitur, fit rursus proprium singulorum. Omnia regitis, sed suum unicuique servatis: plusque apud vos justitia, quam licentia valet. Consulite certe munificentiam vestram, an hæc publica velit existimari, quæ in alios transtulistis. Semel honori Urbis delata compendia desinunt esse tribuentium: et quod a principio beneficium fuit, usu atque ætate fit debitum. Inanem igitur metum divino animo vestro tentat incutere, si quis asserit conscientiam vos habere præbentium,[x] nisi detrahentium subieritis invidiam.

XVII. Faveant Clementiæ vestræ sectarum omnium arcana præsidia: et hæc maxime, quæ majores vestros aliquando juverunt, vos defendant, a nobis colantur. Eum religionum statum petimus, qui Divo parenti culminis vestri servavit[y] imperium, qui fortunato principi legitimos suffecit hæredes. Spectat senior ille Divus ex arce siderea lacrymas Sacerdotum, et se culpatum putat more violato, quem libenter ipse servavit.

XVIII. Præstate etiam Divo fratri vestro alieni consilii correctionem: tegite factum quod Senatui displicuisse nescivit. Siquidem constat ideo exclusam legationem, ne ad eum judicium pub-

[w] Mss. aliquot *ut quod commune;* reliqui ac edit. *ut quod de commune;* vet. edit. *olim de commune.*

[x] Nonnulli Mss. *habere præsentium,* non recte: *conscientiam* enim *habere præbentium* idem est ac tam in culpa esse, quam si præberent, nisi detraxerint.

[y] Rom. edit. *parenti vestro culminis servavit, &c.* Quod autem ait numinum suorum religionibus servatum Valentiniani senioris imperium, hoc eo sensu intelligendum est, non quod illas secutus fuerit, sed quod non aboleverit, sicut a Symmacho supra dictum est. Hanc etiam ob rem eundem principem commendat ethnicus Marcellinus lib. XXX. c. 9. Quinimmo idem Valentinianus libertatem cuique sequendæ religionis, quam elegisset, a se relictam lege IX. De maleficiis testificatur. Et hoc ipsum est cur de Valentiniano juniori Ambrosius in funebri ejusdem laudatione: 'quod patri defuerat,' inquit, 'adjunxit; quod frater constituit, custodivit.'

licum perveniret. Pro existimatione est temporum superiorum, ut non dubitetis abolere, quod probatum est principis non fuisse.

SANCTI AMBROSII EPISTOLA
AD VALENTINIANUM.

S. Ambrosii Epistola ad Valentinianum, scripta an. 384. in edit. Maurinorum Venet. 1751. Classis I. decima octava, qua Relationi Symmachi respondet; ac post conciliatam sibi Valentiniani benevolentiam, tria in eadem Relatione præcipua capita aggreditur. Nam prosopopœiæ, qua Roma priscos suos ritus poscere fingebatur, alia ejusdem Romæ contraria efflagitantis opponitur, cum Vestalibus et sacrificulis Virgines sacræ et Christi Sacerdotes comparantur, ac tandem quod sublatas illas cærimonias famem ultam fuisse dictitabatur, id vanum esse invictissimis argumentis demonstratur.

AMBROSIUS EPISCOPUS
BEATISSIMO PRINCIPI
ET CLEMENTISSIMO IMPERATORI
VALENTINIANO AUGUST.

I. Cum vir clarissimus[a] Præfectus Urbis Symmachus ad clementiam tuam retulisset, ut Ara, quæ de Urbis Romæ curia sublata fuerat, redderetur loco; et tu, Imperator, licet adhuc in minoris ævi tirocinio florentibus novus annis, fidei tamen virtute veteranus, obsecratu gentilium non probares; eodem, quo comperi, puncto libellum obtuli: quo licet comprehenderim, quæ suggestioni necessaria viderentur; poposci tamen exemplum mihi Relationis dari.

II. Itaque non fidei tuæ ambiguus, sed providus cautionis, et pii certus examinis, hoc sermone Relationis assertioni respondeo, hoc unum petens, ut non verborum elegantiam, sed vim rerum spectandam putes.[b] Aurea enim, sicut Scriptura divina[c]

[a] 'Vir clarissimus' non tam honori personæ tribuitur, quam dignitatis titulus ac significatio est, ut jam alicubi observavimus. Adi etiam, si vacat, Alciati lib. III. Dispunctionum.

[b] Rom. edit. *expendendam putes;* reliquæ ac Mss. *expectandam putes,* uno Vat. cod. excepto, ubi *expetendam.*

[c] Eccl. VI. 11.

docet, est lingua sapientium literatorum, quæ phaleratis dotata sermonibus, et quodam splendentis eloquii velut coloris pretiosi corusco resultans, capit animorum oculos specie formosi, visuque perstringit.[d] Sed aurum hoc si diligentius manu tractes, foris pretium,[e] intus metallum est. Volve, quæso, atque excute sectam gentilium: pretiosa et grandia sonant, veri effœta defendunt: Deum loquuntur, simulacrum adorant.

III. Tria igitur in Relatione sua vir clarissimus Præfectus Urbis proposuit, quæ valida putavit. Quod Roma veteres, ut ait, suos cultus requirat, et quod Sacerdotibus suis, Virginibusque Vestalibus emolumenta tribuenda sint, et quod emolumentis Sacerdotum negatis, fames secuta publica sit.

IV. In prima propositione, flebili Roma questu sermonis illacrymat, veteres, ut ait, cultus cærimoniarum requirens. Hæc sacra, inquit, Hannibalem[f] a mœnibus, a Capitolio Senonas repulerunt. Itaque dum sacrorum potentia prædicatur, infirmitas proditur. Ergo Hannibal diu sacris insultavit Romanis, et Diis contra se dimicantibus usque ad muros urbis vincendo pervenit. Cur se obsideri passi sunt, pro quibus Deorum suorum arma pugnabant?

V. Nam de Senonibus quid loquar, quos Capitolii secreta penetrantes Romanæ reliquiæ non tulissent, nisi eos pavido anser strepitu prodidisset? En quales templa Romana præsules habent. Ubi tunc erat Jupiter? An in ansere loquebatur?

VI. Verum quid negem sacrorum ritus militasse Romanis? Sed etiam Hannibal eosdem Deos colebat. Utrum volunt igitur, eligant. Si in Romanis vicerunt sacra, in Carthaginensibus ergo superata sunt; si in Carthaginensibus triumphata, nec Romanis utique profuerunt.

VII. Facessat igitur invidiosa illa populi Romani querela: non

[d] Duo Mss. *specie formosa, visuque perstringit*; unus, *specie formositatis perstringit*; ceteri et edit. *specie formosi, visuque*; Rom. *visusque perstringit.*

[e] *Foris pretium*, supple, auri præ se fert. *Intus metallum*, æs videlicet, aut ferrum; ubi generis nomen pro viliori specie positum est.

[f] Hannibalem Carthaginensium ducem Romano populo infensissimum nemo nescit in summum periculum res Romanorum adduxisse: qui tandem Apuliæ deliciis emollitus, et Fabii cunctatione debilitatus, Italia recedere coactus fuit, ac postmodum a Scipione Africano debellatus. Senones vero cum e Celtica Gallia in Italiam transissent, urbem ipsam armis ceperunt, at Capitolium delusa canum custodia occupaturi, anserum gingritu detecti sunt, et a Manlio de Tarpeia rupe dejecti.

hanc Roma mandavit.[g] Aliis illa eos interpellat vocibus : Quid me casso quotidie gregis innoxii sanguine cruentatis ? Non in fibris pecudum, sed in viribus bellatorum tropæa victoriæ sunt. Aliis ego disciplinis orbem subegi. Militabat Camillus,[h] qui sublata Capitolio signa, cæsis Tarpeiæ rupis triumphatoribus, reportavit; stravit virtus, quos religio non removit. Quid de Attilio[i] loquar, qui militiam etiam mortis impendit? Africanus non inter Capitolii aras, sed inter Annibalis acies triumphum invenit. Quid mihi veterum exempla profertis? Odi ritus Neronum. Quid dicam bimestres[k] Imperatores, et terminos regum cum exordiis copulatos? Aut forte illud est novum, barbaros suis excessisse finibus? Numquid etiam illi Christiani fuerunt, quorum miserabili novoque exemplo alter captivus Imperator,[l] sub altero captivus orbis, fefellisse quæ victoriam promittebant,[m] suas cærimonias prodiderunt? Numquid et tunc non erat Ara Victoriæ? Pœnitet lapsus: vetusta canities pudendi sanguinis traxit ruborem. Non erubesco cum toto orbe longæva converti. VERUM CERTE est quia nulla ætas ad perdiscendum sera est. Erubescat senectus, quæ emendare se non potest. Non annorum canities est laudata, sed morum. NULLUS PUDOR est ad meliora transire. Hoc

[g] Omnes edit. *non hæc Roma mandavit*; Mss. aliquot *non hanc rem mandavit*; reliqui melius *non hanc, &c.* supple *querelam.*

[h] Camillus quinquies dictator creatus est, et ob præclara in Remp. merita alter Romulus dictus. Hic collectis Romanorum reliquiis Senonas prædæ intentos fudit, ac profligavit, quo potissimum nomine hic ab Ambrosio memoratur.

[i] Attilius Regulus a Carthaginensibus, a quibus captus in bello fuerat, ad Senatum de permutandis captivis missus, cum eam permutationem efficaciter dissuasisset, Carthaginem ad certissimam et crudelissimam mortem rediit.

[k] Galbam, Othonem, Vitellium intelligit, quorum Galba septimo imperii mense occisus est, Otho nonagesimo quinto die, Vitellius octavo mense. Tres certe annos trini principes in imperio non impleverunt, quod eleganti carmine comprehensum est ab Ausonio: *Galba senex, Otho lascive, et famose Vitelli, Tertia vos Latio regnantes nesciit æstas.* Nisi hoc potius referri velimus ad Æl. Pertinacem qui duobus mensibus et diebus 25. et ad Didium qui duobus mensibus et quinque diebus in imperio fuere; quod certius convenit cum spatio Ambrosiano. Ita Nannius.

[l] Idem Nannius ad hæc verba: Id haud dubie, inquit, de Lic. Valeriano, et filio ejus Gallieno intelligendum, quorum pater captus a rege Persarum Sapore, cui ascensuro cervicem pro scabello subjiciebat, in miserabili servitute consenuit; alter orbem terrarum luxu et nequitia perdidit; adeo ut triginta tyranni provincias occupaverint, et fœminæ quoque contra eum diadema sumserint.

[m] Mss. aliquot *fefellitque quæ victoriam promittebant.* Minus commode.

solum habebam commune cum barbaris, quia Deum antea nesciebam. Sacrificium vestrum ritus est bestiarum cruore respergi. Quid in mortuis pecudibus quæritis Dei voces? Venite, et discite in terris cœlestem militiam: hic vivimus, et illic militamus. Cœli mysterium doceat me Deus ipse, qui condidit; non homo, qui se ipsum ignoravit. Cui magis de Deo, quam Deo credam? Quomodo possum vobis credere, qui fatemini vos ignorare, quod colitis?

VIII. Uno, inquit, itinere perveniri non potest ad tam grande secretum. Quod vos ignoratis, id nos Dei voce cognovimus. Et quod vos suspicionibus quæritis, nos ex ipsa Sapientia Dei et veritate compertum habemus. Non congruunt igitur vestra nobiscum. Vos pacem Diis vestris ab Imperatoribus obsecratis: nos ipsis Imperatoribus a Christo pacem rogamus. Vos manuum vestrarum adoratis opera: nos injuriam ducimus omne quod fieri potest, Deum putari. Non vult se Deus in lapidibus coli. Denique etiam ipsi philosophi vestri ista riserunt.

IX. Quod si vos ideo Christum Deum negatis, quia illum mortuum esse non creditis,[n] (nescitis enim quod mors illa carnis fuerit, non divinitatis, quæ fecit ut credentium jam nemo moriatur,) quid vobis imprudentius qui contumeliose colitis, et honorifice derogatis? vestrum enim Deum lignum putatis. O contumeliosa reverentia! Christum mori potuisse non creditis. O honorifica pervicacia!

X. Sed vetera, inquit, reddenda sunt altaria simulacris, ornamenta delubris. Reposcantur hæc a consorte superstitionis. Christianus Imperator aram solius Christi didicit honorare. Quid manus pias et ora fidelia ministerium suis cogunt sacrilegiis exhibere?[o] Vox Imperatoris nostri Christum resonet, et illum solum, quem sentit, loquatur, 'quia cor regis in manu Dei.' (Prov. XXI. 1.) Numquid Imperator gentilis aram Christo levavit? Dum ea quæ fuerunt reposcunt, exemplo suo admonent, quantum Christiani Imperatores religioni, quam sequuntur, debeant deferre reverentiæ; quando gentiles superstitionibus suis omnia detulerunt.

XI. Dudum cœpimus, et jam sequuntur exclusos.[p] Nos sanguine gloriamur, illos dispendium movet. Nos hæc victoriæ loco ducimus, illi injuriam putant. Nunquam nobis amplius contule-

[n] Nonnulli Mss. *mortuum esse creditis;* reliqui et omnes edit. *non creditis.* Melius, ut docent sequentia, *Christum mori potuisse non creditis.*

[o] Pauculi Mss. *sacrificiis exhibere.*

[p] Vet. edit. *Dum cœpimus, sequamur*

runt, quam cum verberari Christianos, atque proscribi, ac necari juberent. PRÆMIUM fecit religio, quod perfidia putabat esse supplicium. Videte magnanimos. Per injurias, per inopiam, per supplicium nos crevimus:[q] illi cærimonias suas sine quæstu manere posse non credunt.

XII. Habeant, inquit, Vestales virgines[r] immunitatem suam. Dicant hoc qui nesciunt credere, quod possit esse gratuita virginitas: provocent lucris qui diffidunt virtutibus. Quantas tamen illis virgines præmia promissa fecerunt? Vix septem Vestales capiuntur puellæ. En totus numerus, quem infulæ vittati capitis, purpuratarum vestium murices, pompa lecticæ ministrorum circumfusa comitatu privilegia maxima, lucra ingentia, præscripta denique pudicitiæ tempora coëgerunt.

XIII. Attollant mentis et corporis oculos, videant plebem pudoris, populum integritatis, concilium virginitatis. Non vittæ capiti decus, sed ignobile velamen, usui,[s] nobile castitati: non exquisita, sed abdicata lenocinia pulchritudinis: non illa purpurarum insignia, non luxus deliciarum, sed usus jejuniorum: non privilegia: non lucra: omnia postremo talia, ut revocari a studio putes, dum exercentur officia. Sed dum exercetur officium, studium provocatur. Suis castitatis cumulatur dispendiis. NON EST virginitas, quæ pretio emitur, non virtutis studio possidetur. Non est integritas quæcumque tanquam in auctione nummario ad tempus licitatur[t] compendio. PRIMA CASTITATIS victoria est facultatum cupiditates vincere, quia lucri studium tentamentum pudoris est. Ponamus tamen subsidia largitatum conferenda virginibus. Quæ Christianis munera redundabunt? Quod tantas opes sufficiet ærarium? Aut si arbitrantur solis Vestalibus conferendum, non pudet, ut qui totum sibi sub Imperatoribus gentilibus vindicarunt, iidem sub principibus Christianis non putent nobis sortem debere esse communem?

exclusos. Rom. et Mss. nobiscum sentiunt, nisi quod retinuit *sequamur*, ubi illi prope ad unum ponunt *sequuntur*.

[q] Omnes edit. *nos credimus*; omnes Mss. *nos crevimus*.

[r] De Vestalibus vid. quæ a nobis (Monachis editoribus). observatum est ad lib. I. De Virgin. c. IV. n. 15. Quod autem infra dicitur 'Vestales capiuntur,' allusio est ad illam Pontificis novam virginem accipientis formulam: 'capio te, amata.'

[s] Edit. ac pauci Mss. *velamen, usui*, (Rom. edit. *usu*) *nobile castitatis*; Mss. plures et potiores ut in textu.

[t] Omnes edit. *tanquam in auctione .... sollicitatur*; omnes Mss. nobiscum faciunt, nisi quod pro *auctione* unus legit *actione*, alter *cautione*.

XIV. Sacerdotibus quoque suis, et ministris queruntur alimenta publica non deberi. Quantus hinc verborum tumultus increpuit? At contra, nobis etiam privatæ successionis emolumenta recentibus legibus denegantur,[a] et nemo conqueritur; non enim putamus injuriam, quia dispendium non dolemus. Si privilegium quærat Sacerdos, ut onus curiale[x] declinet, patria atque avita et omnium facultate possessionum cedendum est. Quomodo hanc gentiles si haberent, ingravarent querelam, quod Sacerdos ferias ministerii sui emat totius patrimonii sui damno, et privati universæ commoditatis dispendio usum publici mercetur obsequii; prætendens communis salutis excubias, domesticæ inopiæ se mercede soletur; quia ministerium non vendidit, sed gratiam comparavit.

XV. Conferte causas. Vos excusare vultis decurionem,[y] cum Ecclesiæ excusare non liceat Sacerdotem. Scribuntur testamenta templorum ministris, nullus excipitur profanus, nullus ultimæ conditionis, nullus prodigus verecundiæ: soli ex omnibus Clerico commune jus clauditur, a quo solo pro omnibus votum commune suscipitur, officium commune defertur: nulla legata vel gravium viduarum, nulla donatio. Et ubi in moribus culpa non deprehenditur; tamen officio mulcta præscribitur. Quod Sacerdotibus fani legaverit Christiana vidua, valet: quod ministris Dei, non valet. Quod ego, non ut querar, sed ut sciant, quid non querar, comprehendi; malo enim nos pecunia minores esse, quam gratia.

XVI. Sed referunt ea, quæ vel donata vel relicta sunt Ecclesiæ, non esse temerata. Dicant et ipsi quis templis dona detraxerit, quod factum est Christianis.[z] Quæ si facta essent gentilibus, redderetur potius quam inferretur injuria. Nunccine demum justitia prætenditur, æquitas postulatur? Ubi tunc erat ista senten-

[a] Volunt hic designari ab Ambrosio Valentiniani legem XX. De Episcopis, &c. ad Damasum Pont. Rom. destinatam, qua de facto Clerici prohibentur a piis mulieribus, quæ se illis adjunxerint, testamento quicquam accipere. Quod autem Ambrosius detrimento, quod eadem lex Clericis irrogabat, se non moveri testificatur, cum Hieronymo pulchre consentit; sed hic se graviter dolere non dissimulat, quod eidem legi causam præbuerit Clericorum avaritia. Lege secundam ejus Epistolam De vita Clericorum.

[x] De onere curiali vidend. ejusdem S. Præsulis Epistola ad Theodosium, quæ in hac edit. est XL.

[y] Intellige Theodosii legem CIV. De Decurionibus, de qua Ep. ante cit.

[z] Hanc Ecclesiarum direptionem sub Juliano factam fuisse constat. De qua Sozom. lib. V. Hist. cap. 5. Theodoret. lib. III. c. 12. et Tripart. Hist. lib. VI. c. 32.

tia; cum direptis Christianorum omnium facultatibus, ipsos vitales anhelitus inviderent, et nullis usquam negata defunctis inhiberent supremæ commercia sepulturæ? Quos gentiles præcipitarunt, maria reddiderunt. Fidei ista victoria est, quod et ipsi jam facta majorum carpunt, quorum gesta condemnant. Sed quæ malum ratio, ut eorum munera petant, quorum gesta condemnant?

XVII. Nemo tamen donaria delubris, et legata aruspicibus[a] denegavit: sola sublata sunt prædia; quia non religiose utebantur iis, quæ religionis jure defenderent. Qui nostro utuntur exemplo, cur non utebantur officio? Nihil Ecclesia sibi, nisi fidem possidet. Hos reditus præbet, hos fructus. POSSESSIO Ecclesiæ sumtus est egenorum.[b] Numerent quos redemerint templa captivos, quæ contulerint alimenta pauperibus, quibus exulibus vivendi subsidia ministraverint. Prædia igitur intercepta,[c] non jura sunt.

XVIII. En quod factum, quæ triste piaret nefas, fames, ut aiunt, publica vindicavit; quia usui omnium proficere cœpit, quod proficiebat commodis Sacerdotum. Propterea ergo detractis, ut aiunt, arbusta exuta corticibus, succo miserabili deficientium ora lambebant. Propterea Chaoniam frugem glande mutantes,[d] rursus in pecudum pastus, et ad infelicis victus alimenta revocati, concussa quercu, famem in sylvis miseram solabantur.[e] Nova videlicet

[a] Pro *legata aruspicibus*, legendum *legata æris speciebus* conjicit Samuel Petit lib. III. Var. lect. c. 7. non injuria 'infelix criticus' a Valesio vocitatus. Certe, ut omittamus Mss. ac edit. consensum, lectio illa minime Ambrosiana est; nec rationes, quibus nititur, satis idoneæ. Locum expende ac pronuntia.

[b] Hanc legem, qua Ecclesiam omnem teneri hoc loco testatur Ambrosius, quam perfecte ipsemet impleverit, cognosces ex iis, quæ ad lib. II. Offic. c. 15. et 28. observavimus.

[c] Mss. duo *præda igitur intercepta*. Et post secundum versum, ubi vet. edit. ac Mss. aliquam multi *quod*, nonnulli *quæ; triste piare nefas*, melius edit. Rom. cum reliquis, *quæ triste piaret nefas*. Est quippe imitatio illius versus ex Æneid. II. 'Effigiem statuere, nefas quæ triste piaret.'

[d] Hic Mss. et editi inter se conveniunt, excepto quod in illorum nonnullis dictio *glande* prætermittitur; sed tamen ulcus his verbis inest minime obscurum. Nam præterquam quod Ambrosium respexisse liquet ad versum illum ex Georg. I. 'Chaoniam pingui glandem mutavit arista;' vox Chaoniam ducitur a regione Epiri, in qua Dodone urbs condita erat. Non longe autem ab hac surgebat sylva Jovi sacra, et tota quercina, unde Symmachus in Relatione, et Ambrosius infra quercus 'Dodonæas arbores' vocant. Scribendum ergo vel *Chaoniam fruge glandem mutantes;* vel *Chaonia frugem glande, &c.*

[e] Non pauci Mss. *miseram solabamur*. Et istic alluditur etiam ad Virgilianum illud e lib. jam cit. 'Concussaque famem in sylvis solabere quercu.'

prodigia terrarum, quæ nunquam ante acciderant, cum superstitio gentilis toto orbe ferveret? Revera quando ante vacuis avenis seges avari vota lusit[f] agricolæ, et spem rusticæ plebis quæsita sulcis frugis herba destituit?

XIX. Et unde Græcis oracula habita[g] suæ quercus, nisi quia remedium sylvestris alimoniæ cœlestis religionis donum putarunt? Talia enim suorum munera credunt Deorum. Quis Dodonæas arbores nisi gentium populus adoravit; cum pabulum triste agri nemorum[h] honore donaret? Non est verisimile, quod indignantes eorum Dii id pro pœna intulerint, quod solebant placati conferre pro munere.

XX. Quæ autem æquitas, ut paucis Sacerdotibus dolentes victum negatum, ipsi omnibus denegarent; cum inclementior esset vindicta, quam culpa? Non est igitur idonea, quæ tantam ægritudinem mundi fallentis causa constrinxerit, ut virentibus segetibus subita spes anni adulta moreretur.

XXI. Et certe ante plurimos annos templorum jura toto orbe sublata sunt: modone demum Diis gentilibus venit in mentem suas injurias ultum ire? Propterea nec assueto cursu Nilus intumuit, ut urbicorum[i] Sacerdotum dispendia vindicaret, qui non vindicavit suorum?

XXII. Esto tamen si superiore anno Deorum suorum injurias vindicatas putant, cur præsenti anno contemtui fuere? Jam enim nec herbarum vulsis radicibus rusticana plebs pascitur, nec baccæ sylvestris explorat solatia, nec cibum de sentibus rapit;[k] sed operum læta felicium, dum messes suas et ipsa miratur, explevit voti satietate jejunium, usurarios nobis reddidit terra proventus.

XXIII. Quis ergo tam novus humanis usibus vices stupeat annorum? Et tamen etiam superiore anno plerasque novimus provincias redundasse fructibus. De Galliis quid loquar solito

[f] Virg. l. c. 'Expectata seges vacuis elusit avenis.'

[g] Ita Mss. edit. autem *oracula habitæ*. Utique ex Virg. Georg. II. ubi legitur: *Atque habitæ Graiis oracula quercus*. De Dodonæis porro quercubus hic agi constat, de quibus præter Virgilii Commentatores ad vs. cit. consulere etiam licet Erasmum Chil. I. Cent. I. Adagio 7.

[h] Omnes edit. *pabulum triste sacri nemoris*; omnes Mss. ut nos in textu.

[i] Quemadmodum Roma per antonomasiam Urbs, ita et Romanos Sacerdotes hoc loco urbicos vocat Ambrosius.

[k] Nonnulli Mss. *nec cibus de sentibus sapit*. Sequenti autem sensu parodia est ex illo Virg. I. Georg. 'Et ipsa suas mirantur Gargara messes.'

ditioribus? Frumentum Pannoniæ quod non severant, vendiderunt. Et secunda Rhetia[l] fertilitatis suæ novit invidiam; nam quæ solebat tutior esse jejunio, fœcunditate hostem in se excitavit: Liguriam Venetiasque Autumni frumenta paverunt. Ergo nec ille sacrilegio annus exaruit, et iste fidei fructibus annus effloruit. Negent etiam quod largo fœtu vineæ redundaverint. Itaque et messem fœneratam recepimus, et liberalioris vindemiæ beneficia possidemus.

XXIV. Postremus superest et maximus locus, utrum ea quæ vobis profuerint, Imperatores, restituere subsidia debeatis. Ait enim: Vos defendant, a nobis colantur. Hoc est, fidelissimi Principes, quod ferre non possumus; quia exprobrant nobis vestro se nomine Diis suis supplicare, et vobis non mandantibus sacrilegium immane committunt, dissimulationem pro consensu interpretantes. Sibi habeant præsidia sua: suos, si possunt, illa defendant. Nam si iis, a quibus coluntur, auxilio esse non possunt, quomodo possunt vos defendere, a quibus non coluntur?

XXV. Sed majorum, inquit, servandus est ritus. Quid quod omnia postea in melius profecerunt? Mundus ipse, qui vel primum coactis elementorum per inane seminibus,[m] tenero orbe, concreverat, vel confuso adhuc indigesti operis caligabat horrore; nonne postea distincto cœli, maris, terrarumque discrimine, rerum formas quibus speciosus videtur, accepit? Exutæ humentibus tenebris novum terræ stupuere solem. Dies in exortu non refulget, sed in processu temporis incremento luminis micat, et caloris exæstuat.

XXVI. Luna ipsa, quæ propheticis oraculis species Ecclesiæ figuratur, cum primum resurgens in menstruas reparatur ætates, tenebris noctis absconditur:[n] paulatimque cornua sua complens, vel e regione solis absolvens, clari splendore fulgoris irrutilat.

XXVII. Exerceri in fructus terræ ante nesciebant, post, ubi imperare arvis[o] solicitus cœpit agricola, et informe solum vestire vinetis, sylvestres animos domesticis mollitæ cultibus exuerunt.

[l] Omnes edit. *et fœcunda Rhetia;* omnes Mss. *et secunda Rhetia.* Hodie dividitur ea regio in superiorem et inferiorem; an autem Ambrosii ætate in primam et secundam distingueretur, nobis non constat. Vid. situm ejus apud Ptolemæum lib. II. et apud Geogr. recentiores.

[m] Compone, si lubet, totum hunc locum cum simili apud Virg. Ecl. VI. et alterum ex altero petitum non diffiteberis.

[n] Mss. aliquot *tenebris noctis absconditur.*

XXVIII. Anni ipsius ætas prima, quæ nos usu parili colorarit, nutu gignentium:[p] sed in processu lapsuris floribus vernat, postremis adolescit fructibus.

XXIX. Nos quoque ævi rudes sensus habemus infantiam;[q] sed mutati in annos ingenii rudimenta deponimus.

XXX. Dicant igitur in suis omnia manere debuisse principiis, mundum tenebris obductum, quia splendore solis illuxerit, displicere. Et quanto gratius est animi tenebras depulisse, quam corporis; fideique jubar emicuisse, quam solis! Ergo et mundi sicut omnium rerum primæva nutarunt;[r] ut venerabilis canæ fidei sequeretur senectus. Quos hoc movet, reprehendant messem; quia sera fœcunditas est: reprehendant vindemiam; quia in occasu anni est: reprehendant olivam, quia postremus est fructus.

XXXI. Ergo et messis nostra fides animorum est, Ecclesiæ gratia[s] meritorum vindemia est; quæ ab ortu mundi virebat in sanctis, sed postrema ætate se diffudit in populos; ut adverterent omnes non rudibus animis irrepsisse fidem Christi. (Nulla enim sine adversario corona victoriæ.) Sed explosa opinione, quæ ante convaluit, quod erat verum, fit jure prælatum.[t]

XXXII. Si ritus veteres delectabant, cur in alienos ritus eadem Roma successit? Omitto absconditam pretio humum, et pastorales casas auro degeneri renitentes. Quid, ut de ipso respondeam quod queruntur, captarum simulacra urbium, victoresque Deos, et peregrinos ritus sacrorum alienæ superstitionis æmuli receperunt? Unde igitur exemplum, quod currus suos[u] simulato Almonis in

[o] Mutuatus est etiam hunc locum Ambros. ex illo Virg. Georg. I. 'Exercetque frequens tellurem, atque imperat arvis.' Alios quoque versus e lib. II. hic expressi sunt, quos ipse per te facile deprehendes.

[p] Rom. edit. *nuda gignentium*: optimo sensu, sed Mss. atque edit. vet. præsidiis destituto. Idem vero est 'nutu gignentium,' ac gignentium arbitrio, seu lege.

[q] Omnes edit. *habemus infantiæ*; omnes prope Mss. *habemus infantiam*.

[r] Edit. cum paucissimis Mss. *primæva viam mutarunt*; alii Mss. magno numero *primæva nituerunt*; reliqui melius *nutarunt*, id est præ infirmitate vacillarunt.

[s] Rom. edit. *fides animarum, et in Ecclesia gratia, &c.*

[t] Omnes edit. *id quod erat verum, jure prælatum*; Mss. partim *quod erat verum, fit jure prælatum*; partim .... *injuriæ prælatum*; partim etiam *in jure prælatum*. Nec male forsitan legeremus, *id jure prælatum*.

[u] Mss. aliquot *cursus suos*. Est autem Almo, ut Nannius observat, fluvius Romæ in prima regione, apud quem olim Romani sacra Cybelis faciebant eodem ritu, quo Galli Sacerdotes in Phrygia. Tum subjectis de

flumine lavat Cybele? Unde Phrygii vates, et semper invisa Romanis non æquæ Carthaginis numina? Quam Cœlestem Afri, Mitram Persæ, plerique Venerem colunt,[x] pro diversitate nominis, non pro numinis varietate. Sic Deam esse et victoriam crediderunt, quæ utique munus est, non potestas: donatur, non dominatur, legionum gratia, non religionum potentia. Magna igitur Dea, quam militum multitudo sibi vindicat, vel præliorum donat eventus?

XXXIII. Hujus aram strui in urbis Romæ Curia petunt, hoc est, quo plures conveniunt Christiani. Omnibus in templis aræ, ara etiam in templo Victoriarum. Quoniam numero delectantur, sacrificia sua ubique concelebrant. Quid est nisi insultare fidei, unius aræ sacrificium vindicare? Ferendumne istud, ut gentilis sacrificet, et Christianus intersit? Hauriant, inquit, hauriant vel inviti fumum oculis, symphoniam auribus, cinerem faucibus, thus naribus, et aversantium[y] licet ora excitata focis nostris favilla respergat. Non illis satis sunt lavacra, non porticus, non plateæ occupatæ simulacris? Etiamne in communi illo concilio non erit communis conditio? Obstringetur pia Senatus portio obtestantium vocibus, adjurantium Sacramentis. Si refutet, videbitur mendacium prodere, si acquiescat, sacrilegium confiteri.

XXXIV. Ubi, inquit, in leges vestras et verba jurabimus? Ergo mens vestra, quæ legibus tenetur inclusa, cærimoniis gentium suffragium colligit, fidem stringit? Jam non solum præsentium, sed absentium etiam; et, quod est amplius, Imperatores, fides vestra pulsatur; vos enim cogitis, si jubetis? Constantius[z] augustæ

eodem fluvio nonnullis Ovidii ac Juvenalis versiculis, idem adjungit: 'Ad cujus similitudinem cum alibi sacra fiunt, proximum fluvium Almonem esse fingunt; siquidem mos est, ut quæ in sacris haberi nequeant simulentur; quod perinde accipitur, ac si vera essent. Virg. Æneid. IV. 'Sparserat et latices simulatos fontis Averni.'' Hæc Nannius. Porro de sacris peregrinis, quæ Romæ adoptata tradit Ambrosius, eleganter quoque Leo Pont. Rom. Fer. I. De Apostolis: 'Cum pæne omnibus,' inquit, 'dominaretur gentibus, omnium gentium serviebat erroribus,' &c. Verumtamen facta sæpius edicta de pellendis ex urbe religionibus peregrinis non ignoramus.

[x] Sumtum est ex illo Herodoti: Ἐπιμεμαθήκασι δὲ καὶ τῇ Οὐρανίῃ θύειν παρά τε Ἀσσυρίων μαθόντες καὶ Ἀραβίων· καλέουσι δὲ Ἀσσύριοι τὴν Ἀφροδίτην, Μύλιττα· Ἀράβιοι δὲ, Ἀλίττα· Πέρσαι δὲ, Μίτραν. Ita Nannius.

[y] Amerb. cum Mss. non paucis *et adversantium*; aliæ cum rel. *et aversantium*.

[z] Cod. Long. et Læt. *Constantinus*. Sed omnino legendum *Constantius*,

memoriæ, nondum sacris initiatus mysteriis, contaminari se putavit, si aram illam videret. Jussit auferri, non jussit reponi. Illud auctoritatem facti habet, hoc præcepti non habet.

XXXV. Nemo sibi de absentia blandiatur. PRÆSENTIOR EST[a] qui se animis inserit, quam qui oculis protestatur. Plus enim est mente connecti, quam corpore copulari. Vos Senatus cogendi concilii præsules habet, vobis coit:[b] vobis conscientiam suam, non Diis gentium præstat: vos liberis suis non tamen fidei suæ præfert. Hæc est caritas expetenda; hæc est caritas major imperio, si fides tuta sit, quæ servat imperium.

XXXVI. Sed fortasse aliquem moveat ita fidelissimum Principem destitutum:[c] perinde quasi meritorum pretium caducis æstimetur præsentium. Quis enim sapiens non in orbe quodam atque circuitu locata humanarum rerum novit negotia; quia non eosdem semper successus habent, sed variant status, et mutant vices?

XXXVII. Quem beatiorem Gn. Pompeio Romana templa miserunt? At is cum tribus triumphis terrarum cinxisset orbem, pulsus acie, bello profugus, et sui terminis exul imperii, Canopei manu spadonis occubuit.[d]

XXXVIII. Quem nobiliorem Cyro Persarum totius Orientis terræ regem dederunt? Is quoque cum Principes potentissimos adversantes vicisset, victos reservasset,[e] muliebribus armis fusus interiit. Et ille rex, qui superatos etiam confessus honore donaverat, exsecto capite, et intra utrem plenum cruoris satiari jussus[f] incluso, fœmineis imperiis ludibrio fuit. Adeo in istius vitæ curriculo non paria paribus, sed longe diversa referuntur?

de cujus baptismate scribit Socrates lib. II. c. 47. et alii.

[a] Ambros. supra Epist. XIV. n. 6. 'quorum frequenter præsentior absentia fuit;' et hæc sententia S. Præsuli erat admodum familiaris.

[b] *Vobis coit* in Mss. fere omnibus desideratur.

[c] Gratianus dubio procul hic designatur, de cujus morte adi Exposit. Psal. LXI. et quæ nos ibidem annotabamus.

[d] Pompeium amissa Pharsalica pugna, ad regem Ægypti perfugientem, cum e navi sua in Ægyptiam ingressus esset, Achillas regius eunuchus nefarie trucidavit, ut Plutarch. in illius vita, Sueton. in vita Jul. Cæsaris, atque alii commemorant. Canopeum autem Spadonem vocat a Canopo Ægypti urbe, quæ ab Alexandria CXX. stadiis dissita erat.

[e] De Cyro Persarum rege, qui devictum Cræsum perhumaniter, planeque regie tractaverat, a Thomyri capto et obtruncato scripsit Herodotus lib. I. Histor. Justin. lib. etiam I. atque alii.

[f] *Satiari jussus* deest in Mss. fere omnib. at contra in cunctis ed. invenitur.

XXXIX. Quem etiam magis sacrificiis deditum, quam Carthaginensium ducem Hamilcarem reperimus? Qui cum toto prælii tempore inter acies positus dimicantes, sacrificium faceret, ubi partem suorum victam esse cognovit, in ipsos, quos adolebat, se præcipitavit ignes: ut eos vel corpore suo restingueret,[r] quos sibi nihil profuisse cognoverat.

XL. Nam de Juliano quid loquar? qui cum responsis haruspicum male credulus esset, ademit sibi subsidia revertendi. Ergo in communi casu non est communis offensa. Neminem etenim promissa nostra luserunt.

XLI. Respondi lacessentibus tanquam non lacessitus; refellendæ etenim Relationis, non exponendæ superstitionis mihi studium fuit. Te tamen, Imperator, ipsa eorum Relatio faciat cautiorem. Nam cum de superioribus principibus tenuisset, quia prior eorum numerus cærimonias patrum coluit, recentior non removit; addidisset etiam: si exemplum religio veterum non facit, faciat dissimulatio proximorum: evidenter docuit, quid et fidei tuæ debeas, ut gentilitii ritus non sequaris exemplum, et pietati, ut fratris statuta non violes. Si enim pro suis duntaxat partibus eorum dissimulationem Principum prædicarunt, qui, cum essent Christiani, decreta tamen gentilium minime removerunt; quanto magis amori debes deferre fraterno, ut qui dissimulare deberes, etiamsi quid forsitan non probares, ne fraternis derogares statutis, et nunc teneas quod et fidei tuæ, et germanitatis necessitudini judicas convenire!

[r] Ita omnes Mss. paucis exemtis, *restringeret*; omnes vero edit. vel in quibus pro *restingueret* habetur *cruore suo restingueret*.

AURELII PRUDENTII

CLEMENTIS

CONTRA

SYMMACHI ORATIONEM

LIBER I.

PRÆFATIO.

Enarrata Pauli historia, quæ habetur Act. xxvii. xxviii. eam ad propositum suum hoc pacto accommodat Poëta. Sicut olim Paulo e naufragio vix elapso latens insidiatus est aspis, ita nunc Ecclesiæ e persecutionum tempestate emergenti Symmachus; haud tamen gravius mordens Christicolas, quam aspis manum Pauli.

Paulus, præco Dei, qui fera gentium
Primus corda sacro perdomuit stylo,
Christum per populos, ritibus asperis
Immanes, placido dogmate seminans,
Immansueta suas ut cærimonias
Gens pagana Deo sperneret agnito;
Actus turbinibus forte nigerrimis

Paulus prædicator Dei, qui, annuntians lege miti Christum gentibus feris ob mores asperos, ut eæ gentes idololatræ immites desererent suos cultus idolorum, cum agnoscerent Deum, primus convicit corda sacro eloquio; forte in nave jam debilitata

4 *placito* Bodl.—5 *et* Eg.—14 *Contractos* Weitz.—15 *e* Weitz.—19 *Ex-*

NOTÆ

5 *Immansueta*] Alii legunt: *Jam mansueta;* nec displicet.

7 *Actus turbinibus*] Paulus, a Tertullo accusatus, coram Felice præ-

Hybernum pelagus jam rate debili,
Et vim navifragi pertulerat Noti.
Sed cum cœrulei prælia gurgitis
Jussisset Domini dextra quiescere,
Ad portum fluitans cumba relabitur,
Exponitque solo littoris uvidi
Contactos pluvio frigore remiges.
Tunc de littoreis sepibus algidi
Arentum propere brachia palmitum
Cônvectant, rapidos unde focos struant:
Fascem quisque suum congerit ignibus,
Expectans calidi luxuriam rogi.

hyeme pulsus fuerat procellis densis per mare, et sustinuerat impetum venti frangentis naves. Sed, cum potestas Dei jussisset tempestates maris cærulei sedari, navis procedens invehitur in portum; et emittit in aream littoris humidi nautas gelatos frigore pluviali. Tum frigidi comportant celeriter e sepibus littoris ramos vitis aridæ, ex quibus exstruant ignem rapidum. Unusquisque expectans copiam flammarum calidarum congerit in struem suum fasciculum. Dum Paulus

NOTÆ

side suam causam agit et peragit ita ut Felix cupierit a Paulo fidem Christi audire. Qui tamen provinciam cedens Festo, ipsi Paulum vinctum assignat. Festus rogat Paulum, num causam dicere velit Hierosolymis. Ille negat, et Romam ad Cæsarem appellat. Centurioni Romam deducendus traditur. Cretam appellit; prædicit tempestatem et naufragium. Maltæ viperam e manu illæsa excutit; sanat patrem Publii; inde post tres menses navigat, pervenitque Romam. Hæc omnia Lucas, qui iis interfuit, fuse ac singillatim recenset Act. cap. XXV. XXVI. XXVII. et XXVIII.

Turbinibus nigerrimis] Sic Virg. Georg. III. 278. 'Aut unde nigerrimus Auster Nascitur, et pluvio contristat frigore cœlum.' Ubi Auster ob pluviam, tempestatem, et maris asperitatem dicitur nigerrimus.

8 *Hybernum pelagus*] Paulus enim aliique Cæsarea discesserant sub Septembrem, ut ante hyemem possent in Italiam appellere. Quia vero ventorum vi agitati fuerunt, deciderunt de spe, multosque menses in navigationem insumserunt.

Rate debili] Nam, ut Lucas testatur, forte 'inveniens Centurio navem Alexandrinam navigantem in Italiam, transposuit eos in eam.'

9 *Navifragi*] Ita 'saxa navifraga' apud Statium; 'Fretum navifragum' apud Ovid.

Noti] Notus, sive Auster, ventus est vehemens, qui flat a Meridie. Lucas tamen loc. cit. vult ventum Typhonicum, qui vocatur Euroaquilo, quod flet Orientem inter et Aquilonem, voluisse mare. De Cumba sup.

14 *Contractos pluvio frigore*] Eodem loco: 'Accensa pyra, reficiebant nos omnes, propter imbrem, qui imminebat, et frigus.' De Luxuria sup. Apoth. vs. 62.

Paulus, dum fragiles cogere surculos
Et densere foci congeriem studet,
Incautam cumulis inseruit manum,
Torpebat glacie pigra ubi vipera,
Sarmentis laqueos corporis implicans:
Quæ postquam intepuit fomite fumeo,
Laxavitque ferox colla rigentia,
Jam flecti facilis, retulit ad manum
Vibrato capite spicula dentium.
Hærentem digiti vulnere mordicus
Pendentemque gerens Paulus inhorruit.
Exclamant alii, quod cute livida
Virus mortiferum serpere crederent.
At non intrepidum terret apostolum
Tristis jam subiti forma periculi:
Attollens oculos, sidera suspicit,
Christum sub tacito pectore murmurans,
Excussumque procul decutit aspidem.
Abjectus coluber verberat aëra,

incumbit ad colligenda sarmenta fragilia, et augendam congeriem lignorum, imposuit improviso dextram in acervum, ubi vipera immobilis frigore languebat: atque involvebat laqueis corporis sarmenta. Posteaquam illa incaluit igne fumifero, et crudelis dilatavit collum rigidum, nunc se flectit, atque immittit, capite intorto, aculeos dentium in dextram. Paulus, eam trahens hærentem arcte in plaga digiti, et pendentem, infremuit. Alii exclamant; quia putant venenum letale irrepere in carnem lividam. Sed tristis aspectus periculi tam repentini non territat Apostolum impavidum. Is erigens oculos respicit cælum, et invocat Deum in imo corde, et dejicit longe viperam ablatam; quæ vipera dejecta pulsat aërem sibilis, et relaxat

pectant P.—20 *congere* Eg.—21 *densare* W. superscr. B. et Vulg.—34 *tam*

NOTÆ

21 *Densere*] Apud Virg. Æn. VII. 794. teste Servio, illud verbum in activa significatione legitur: 'Clypeataque totis Agmina densentur campis.'

32 *Virus mortiferum serpere crederent*] 'Illi' enim 'existimabant eum in tumorem convertendum, et subito casurum et mori.' cap. XXVIII.

36 *Christum murmurans*] Hæc phrasis tam insolens mihi videtur, tam dura et barbara, ut vix credam alium ea usum fuisse.

37 *Excussumque procul decutit aspidem*] 'Et ille quidem excutiens bestiam in ignem, nihil mali passus est.' Quare Melitæ divinitus impertitum est, ut in ea serpentes omnes veneno careant. Consule Cornelium a Lapide.

Atque oris patuli solvit acumina.
Mox omnis sanies deserit et dolor,
Ceu nullo laceram vulnere, dexteram,
Siccatusque perit vipereus liquor.
Hydrum præcipitem dum rotat impetus,
Arsurum mediis intulit ignibus.
  Sic nunc post hyemem, vimque trucis freti,
Quo jactata ratis tunc Sapientiæ est,
Cum sub sacricolis territa regibus
Vix panso poterat currere carbaso,
Afflictosque suos turbine sæculi
Vectarat, rabidis fluctibus innatans,
Morsum vulnificum lex pia pertulit.
Occultabat enim se prius abditum
Virus, nec gravidum protulerat caput,

aculeos oris patentis. Tum omnis tabes et dolor depellitur de manu: non secus ac si nullo saucia fuisset vulnere, et venenum viperæ siccatum evanescit. Dum vipera præceps agit gyros vi impetus, Paulus eam projicit in medium ignem, ut cremetur. Ita lex Christiana nunc saucia est morsu funesto, posteaquam hyems, et procella maris irati discessit, per quam navis Sapientiæ fuit agitata, cum conturbata sub imperatoribus idololatris, vix poterat ferri velis pansis, et procedens per fluctus furiosos vexerat suos vectores actos tempestate mundi. Nam antea impietas latebat re-

quidam.—37 *discutit* Eg. P.—50 *rapidis* F. W. Weitz.—55 *quo premeret*

NOTÆ

41 *Nullo laceram vulnere dexteram*] Christus id promiserat Marc. cap. XVI. 'Serpentes tollent: et si mortiferum quid biberint, non eis nocebit.' Unde Tertullianus in Scorpiaco cap. 1. 'Hoc modo etiam Ethnicis sæpe subvenimus, donati a Deo ea potestate, quam Apostolus dedicavit, cum morsum viperæ sprevit.'

47 *Sub sacricolis territa regibus Vix panso poterat currere carbaso*] Nam, licet Alexandro, rerum potiente, qui Christianis favisse dicitur, et Constantino, pacem habuerit Ecclesia, graves tamen et continuæ persecutiones usque ad Theodosii tempus commotæ sunt; in quibus plures acti in exilium, plures variis modis vexati, non pauci extrema passi sunt. De Carbaso Psych. vs. 186.

52 *Occultabat enim se prius abditum Virus*] Id jam intellige de Joviani temporibus, qui milites Christianam ad religionem transtulit, Valentiniani, qui ab Juliano propter Christianam constantiam fidei pulsus fuit, Gratiani, qui præclara fuit ad omnem virtutem et honestatem indole, denique Theodosii, qui omnibus fuit Imperatore Christiano dignis ornatus virtutibus. Per tot enim annos idolorum fana disjici, confringi statuas, ac cærimonias aboleri jusserunt Imperatores, ita ut idololatria 'Conten-

Contentum involucris atque cubilibus
Subter comprimere clausa silentia.
Sed, dum forte latens Impietas riget,
Dextram Justitiæ pigra momorderat
Succensi stomacho fellis inæstuans.
Heu, quam catholicam nil prope profuit
Puppim nasse sacri remigio styli,
Quem Paulus variis gentibus edidit!
Vix portu placido tuta quieverat
Victrix, edomitis mille furoribus;
Vix astricta suis jam retinaculis
Vectores stabili condiderat solo;
Erumpit subito triste periculum.
Nam, dum præcalidos igniculos sibi
Solvendis adolent et senio et gelu,
Dum virgas steriles atque superfluas
Flammis de fidei palmite concremant,

trusa, nec exeruerat caput plenum veneni, contenta integumentis et latebris, in quibus teneret silentium taciturnum. Sed, dum impietas forte abscondita languet, illa languida momordit manum Sapientiæ, inflammata igne fellis invidi. Eheu, quam prope nihil profuit navem Christianam quasi remis properasse sacro Evangelio, quod Paulus tulit multis populis! Vix navis victrix, quamplurimis procellis superatis, quieverat tuta in portu tranquillo; vix retenta suis funibus emiserat in terram solidam vectores; statim periculum metuendum oritur. Nam, dum accendunt ignem calidum, ut se expediant et a squalore et frigore; dum conjiciunt in flammas surculos aridos et superfluos ex vite fidei, ut vitis referta surculis luxurio-

W. superscr. Vulg. *cum premeret* P.—59 *propero fuit* Eg. *properum* P.—

NOTÆ

ta involucris atque cubilibus Subter comprimeret clausa silentia.' De involucris, penultima correpta, Hamart. vs. 922.

63 *Edomitis mille furoribus*] Innumeræ sane hæreses primis Ecclesiæ sæculis Catholicam fidem oppugnaverunt.

64 *Vix astricta suis jam retinaculis*] Quia, imperante Constantio, hæreses, præter Arianam, emerserant, Semiarianorum, Marcellianorum, Photinianorum, Macedonianorum, Anomæorum, Audianorum, et Aëriorum: quarum, ætate Prudentii, nonnulli adhuc erant studiosi ac fautores. Quia Julianus, simul ac rerum potitus fuerat, idolorum fana reseraverat: ejuratisque Christianæ fidei sacramentis omnibus in Pontificem maximum profanis ritibus consecratus fuerat.

Retinaculis] Retinacula navium dicuntur funes, quibus naves retinentur, alliganturque continenti.

69 *Dum virgas steriles atque superfluas Flammis de fidei palmite concremant*] Tangit illud Joan. cap. xv.

Ut concreta vagis vinea crinibus
Sylvosi illuviem poneret idoli;
Palpavit nimius perniciem tepor;
Seps insueta subit serpere flexibus,
Et vibrare sagax eloquii caput:
Sed dextra impatiens vulneris, irritos
Oris rhetorici depulit halitus:
Effusum ingenii virus inaniter
Summa Christicolis in cute substitit.
  Salvator generis Romulei, precor,
Qui cunctis veniam das pereuntibus,
Qui nullum statuis non operis tui
Mortalem, facili quem releves manu;
Hujus, si potis est, jam miserescito,
Præruptam in foveam præcipitis viri.

sis deponeret sordes simulacri lignei; nimius calor expergefacit Impietatem. Nova sepes cœpit fundi circuitionibus, et movere caput eloquentiæ argutæ. Sed manus impatiens plagæ avertit vanos flatus oris rhetorici, et venenum fucatæ eloquentiæ effusum frustra subsedit in superficie cutis Christianorum. O servator populi Romani, qui ignoscis omnibus peccatoribus, qui, ut tuo opere creas omnes homines, ita potes illos erigere manu facili, jam respice, quæso, si id potest fieri, hunc Symmachum lapsum in foveam erroris præruptam. Is inscius exhalat aërem abominan-

60 *enasse* G.—66 *erupit* A.—74 *Spes* W. B. Vulg.—84 *potis es* Ro. 2.

NOTÆ

'Ego sum vitis, vos palmites. Si quis in me non manserit, mittetur foras sicut palmes, et arescet; et colligent eum, et in ignem mittent, et ardet.'

71 *Vagis crinibus*] Quia coma per metaphoram de arboribus dicitur a poëtis. Ovid. 'Frigidaque arboreas mulceat aura comas.' Prudentius surculos vitis luxuriosos appellat crines: sed improprie.

72 *Idoli*] Semel atque iterum corripuit penultimam hujus nominis. Vide Perist. XIV. 13.

74 *Seps*] Non *Spes insueta*. Ita Jacobus Sirmondus, homo præclara eruditione atque doctrina, jampridem castigandum esse monuit.

81 *Veniam das pereuntibus*] Modo petant veniam. In quo divina bonitas maxime elucet: ac mirum est quod quidam hæretici id negare ausi fuerint.

84 *Si potis est*] Quod Giphanius ad Lucretium tuetur vocabulo *viridans*, exemplo Terentii et veterum, apud quos frequenter occurrit, 'si potest,' 'si poterit.' Sed tunc potius dicendum foret, *si pote est*. Hæc Heinsius. Quare mallem: *Si potis es*. Sic Hymn. S. Eulaliæ: 'Si potis es, revocare tuam, Torva puellula, nequitiam.'

Spirat sacrilegis flatibus inscius,
Erroresque suos indocilis fovet.
Obtestor, jubeas, ne citus impetus
Arsurum mediis inferat ignibus.

dum, et indoctus perseverat in suis erroribus. Impedi, oro te, quominus impetus vehemens abripiat in medias flammas, quibus cremaretur.

Miratur Poëta, depulsa per anteriores Principes erroris caligine, aliquem adhuc esse, qui pristinum religionis statum requirat; quem ut in contemtum adducat, omnem Deorum colluviem suis coloribus depingit: fontes errorum aperit: ostenditque inanem esse priscæ superstitionis restituendæ spem; cum eo res processisset, ut in ipsa urbe Roma omnes ferme Christianam religionem publice palamque profiterentur.

CREDEBAM vitiis ægram gentilibus urbem
Jam satis antiqui pepulisse pericula morbi,

Putabam Romam, vexatam erroribus paganorum, jam abesse omnino a periculo

NOTÆ

Notum quidem est omnibus disertissimum Symmachum de ara Victoriæ instauranda Imperatores interpellavisse, Ambrosiumque et Prudentium ad singula ipsius orationis capita acute respondisse. Multa tamen facessunt negotium, nisi nonnulla referam et exponam. Colligimus ex Suetonio lib. II. de Octavio Augusto: 'Senatus et in funere ornando, et in memoria honoranda eo studio certatim progressus est, ut inter alia complura censuerint quidam funus triumphali porta ducendum, præcedente Victoria, quæ est in curia.' Atque ex Ælio Lamprid. in Severo: 'Pater eadem nocte in somnis vidit, alis se Romanæ Victoriæ, quæ est in senatu, ad cœlum vehi.' Victoriæ simulacrum in senatu positum fuisse; quod transferebatur in quamcumque ædem, pro ratione loci, in quo habitus senatus. Hanc enim tanta religione Deam colebant Senatores, ut in ipsius tutela se esse crederent, teste Claudiano Carm. XXVIII. 597. 'Affuit ipsa suis ales Victoria templis Romanæ tutela togæ, quæ divite pompa Patricii reverenda fovet sacraria cœtus.' Constantinus liberos tres imperii reliquerat hæredes. Constans minimus natu, qui Romam sortitus fuerat, primus illud Victoriæ simulacrum et aram confringi edixit; cujus exemplum paulo post secutus est Constantius. At Magnentii tyranni Valentinianique senioris permissu ara fuit posita, erectaque statua. Gratianus rursum Victoriam e Senatu sustulit; quam Maximus tyrannus restituit. Porro Symmachus, tum præfectus Urbi, anno 384. Gratiano mortuo, Senatus nomine abusus, libellum obtulit Valentiniano adhuc puero, pro restituendo, damnato legibus Gratiani Deorum, cultu, præcipue vero Victoriæ in Senatu positæ. Verum S. Ambrosius illius conatum refutavit, literas ad Imperatorem scripsit, et intercessit ne quid ab illo extorqueretur.

Nec quicquam restare mali, postquam medicina

veteris idololatriæ, et nullum superesse malum; posteaquam Imperator levarat

NOTÆ

Unus adhuc Ambrosius in eo negotio operam navavit. Denique Theodosius magnus, Catholicæ Religionis incensus amore, ad eam tuendam ornandamque omnem adhibuit operam. Igitur post necem Maximi idolorum fana et statuas disjici, ac profanos cultus aboleri jussit; ac præcipue Victoriæ statuam. Nam, Maximo devicto, Romam petiit, egitque triumphum. Tunc Pacatus, coram imperatore, necnon spectante Senatu, pronuntiavit panegyricum; Symmachus quoque multam de hoc triumpho habuit orationem; qui, inter perorandum petiit ut ara Victoriæ in Senatu restitueretur. Iratus Imperator et offensus Symmacho, 'ipsum statim a suis aspectibus pulsum in centesimo lapide rhedæ non stratæ impositum ea die manere præcepit,' ut ait S. Prosper. Rediit tamen in gratiam cum Theodosio; atque, duobus annis nondum elapsis, consulatum gessit. Anno tamen 392. cum jam Theodosius esset in Oriente, cujus metu se represserant senatores Gentiles, Symmachus iterum Valentinianum Imperatorem in Galliis agentem convenit, ut ab eo impetraret vetera sacra restitui, quæ pluribus legibus Theodosius abstulerat. Quam legationem multi confundunt cum priore, sub Symmachi præfectura. Mortuo autem Theodosio, Prudentius, actam licentius vitam Christianæ pœnitentiæ laboribus expiaturus, domum reversus est. Quo in secessu animum ad poësim applicans, multa vario carmine scripsit. Inter cetera contra Symmachum composuit; eandemque Orationem, quam Ambrosius refutaverat, refellit Arcadio et Honorio imperantibus. Hinc, quæ de Christiano imperatore priore libro dicuntur, ad Theodosium, non vero ad Constantinum referenda esse certum est, et indubitatum. Nam Poëta ad calcem libri: 'Ipse magistratum tibi Consulis, ipse tribunal Contulit, auratumque togæ donavit amictum.' Quæ, nisi fallor, nemo de Constantino intelliget. Quod si mihi liceret aliquid addere, Symmachum jam senio confectum ab Arcadio atque Honorio aram Victoriæ postulasse dicerem. Symmachus enim posteriore libro Theodosii liberos compellat et alloquitur, ac Poëta utrumque fratrem Symmacho respondentem inducit. Forte etiam hac expostulatione iratus Arcadius Symmachum amplissimis orbavit dignitatibus, ut ipsemet testatur Epist. x. 34. 'Jamdudum me Divus genitor numinis tui præcipuo honore dignatus est: ille meritorum arbiter singularis, cujus imperium cum moribus recepisti. Paternum sequere, tuum tuere judicium. Qui præfecturam sine ambitu meruimus, sine offensione ponamus.' Qua data occasione Prudentius animum impulit ad Symmachi argumenta Heroico carmine colligenda solvendaque. Et sane, quis credat, viginti annis et amplius elapsis, poëtam eum fuisse, qui adversarium quietum per tot annos et obmutescentem oppugnaret?

1 *Ægram urbem*] Ægrotare enim et consenescere civitates dicuntur. Varro lib. 1. de Vita Pop. Rom. 'Distractione civium elanguescit bonum proprium civitatis, atque ægrotare incipit et consenescere.' Impietas autem et idololatria morborum maximus.

Principis immodicos sedarat in arce dolores.
Sed, quoniam renovata lues turbare salutem
Tentat Romulidum, Patris imploranda medela est,
Ne sinat antiquo Romam squalere veterno,
Neve togas procerum fumoque et sanguine tingi.
Inclytus ergo parens patriæ, moderator et orbis,
Nil egit prohibendo, vagas ne pristinus error
Crederet esse Deum nigrante sub aëre formas,
Aut elementorum naturam, quæ patris ars est

remediis calamitates intolerabiles Romæ. Sed, cum hæc pestis redintegrata conetur nocere saluti Romanorum, petendum est auxilium a Deo, ne permittat Romam sordere antiquo stupore, aut togas senatorum infici et igne et sanguine sacrificiorum. An igitur illustris imperator, pater patriæ, et rector mundi nihil profecit, quando vetuit ne priscus error numeraret adhuc inter Deos dæmones volitantes per aërem obscurum, neque coleret, quasi altum Numen, elementa, quæ sunt opera Dei omni-

10 *vagus* P. Eg.—11 *Credent* Eg. P.—18 *favente* Eg. P.—23 *Quis* Eg. P.

NOTÆ

4 *Principis*] Theodosii, qui, ut diximus, devicto Maximo ac mortuo, pluribus legibus Romæ latis falsorum Deorum cultum abstulerat.

6 *Romulidum*] Romulidæ a Romulo appellantur Romani. Virg. Æn. VIII. 637. 'Subitoque novum consurgere bellum Romulidis.' De Veterno sup.

8 *Togas*] Nam ut pallium Græcorum, ita toga Romanorum propria fuit. Cujus varium genus fuit et multiplex. Erat toga prætexta, virilis, candida, pulla, sordida, purpurea, picta, sive palmata.

Procerum] Senatorum, qui ita in civitate eminent, sicut proceres sive mutuli in ædificiis.

9 *Parens patriæ*] Post detectam enim vindicatamque Catilinæ conjurationem Cato, qui tum tribunus erat, Ciceronem pro Rostris oratione luculenta laudavit, illumque patrem patriæ primum appellavit. Deinde hujuscemodi appellatio optimis Imperatoribus delata fuit. Ov. Fast. II. 127. tradit Senatores, Equites, et Plebem hoc Augusto nomen dedisse Nonis Februarii: 'Sancte pater patriæ, tibi plebs, tibi curia nomen Hoc dedit, hoc dedimus nos tibi nomen eques.'

Moderator et orbis] Gotthis enim victis profligatisque pacem restituit; Gratiani necem ultus est; pulsum Italia Valentinianum juniorem in imperium restituit; Maximum ad Aquileiam superavit et occidit; Eugenium victum captumque sustulit. De Dæmonibus per aërem vagantibus sup.

12 *Elementorum naturam*] Certum est ignem a Persis cultum fuisse, teste Herodot. lib. III. qui perpendens cur corpora inter illos non cremarentur, 'Nefas,' ait, 'duxerunt ut Deus ignis cadaveribus depasceretur.' A Medis, Sauromatis, et Indis. Aërem ab Assyriis et Afris. Firmic. lib. Prof. Rel. 'Assyrii, et pars Afrorum Aërem ducatum habere elementorum volunt, et hunc imaginata veneratione venerantur. Aquam a

Omnigeni, summa pro majestate sacraret?
Vir solus, cui cura fuit, ne publica morum
Plaga cicatricem summa leviter cute clausam
Duceret, et latebram tabentis vulneris alte
Impressam, penitusque putri de pure peresam,
Juncta superficies medico fallente foveret.
Sed studuit, quo pars hominis generosior intus
Viveret, atque animam letali peste piatam
Nosset ab interno tutam servare veneno.
Illa tyrannorum fuerat medicina, videre,
Qui status ante oculos præsentibus ac perituris
Competeret rebus, nec curam adhibere futuris.
Heu, male de populo meriti, male patribus ipsis

geni? Is princeps, ne vulnus commune religionis contraheret cicatricem obductam paululum circa superficiem cutis, ne superficies contracta tegeret, medico decepto, foramen plagæ tabidæ inflictum profunde, et vitiatum intrinsecus sanie putrida, unus curavit ut pars hominis nobilior viveret intrinsecus, et retineret incolumem a veneno occulto animam, quæ polluta erat sanie mortifera. Alii principes intenderant suas cogitationes in statum consentaneum rebus cadentibus sub aspectum et caducis: nec contulerant curam ad futura. Eheu male meriti sunt de populo; et

NOTÆ

Scythis, Celtis, præcipue vero ab Ægyptiis. Hoc disertim testatur Athanasius Orat. contra Gent. 'Alii fluvios et fontes et omnium maxime Ægyptii Aquam præcipue venerati, Deosque appellant.' Terram ab omnibus fere Gentibus. Macrob. Sat. I. 20. 'Juncta religione colebatur Terra, vel natura rerum subjacens soli: hinc est quod continuatis uberibus corpus Deæ omne densetur, quia Terræ vel rerum naturæ altu nutritur universitas.' Hæc eadem elementa Græci Romanique nomine Vulcani et Vestæ, Junonis et Jovis, Neptuni, Magnæ Matris, Matris Deorum, Cybeles, Levanæ, Opis, Rheæ consecrarunt.

13 *Omnigeni*] Sæpe enim Prudentius paganos irridet, quod inter Deos, uti inter homines, marem et fœminam esse crederent.

14 *Publica morum Plaga cicatricem summa leviter cute clausam Duceret*] Constantini quidem auspiciis et favore dilata Christi religio longius se Romanis finibus extenderat. Sed Constantio, Valenteque, Ariana imbutis hæresi, ac Juliano Apostata imperantibus, misera fuit Ecclesiæ facies; ita ut superficies contracta tegeret vulnus profunde inflictum, et vitiatum intrinsecus sanie putrida.

22 *Tyrannorum*] Constantii scilicet, Juliani, Valentis, Valentiniani senioris rituum veterum, teste Symmacho, fautoris; qui subjectorum saluti non consuluerunt.

25 *Patribus*] Senatores ita dictos esse vult Festus a paterno affectu, quod tenuioribus, tanquam liberis, et agros attribuerent et pecunias largirentur. Alii, ab auctoritate, alii ab ætate pietateque, alii aliter. De Tartaro, sup. Psych. vs. 90.

Blanditi! quos præcipites in Tartara mergi
Cum Jove siverunt, multa et cum plebe Deorum:
Ast hic imperium protendit latius ævo
Posteriore, suis cupiens sancire salutem:
Nimirum pulchre quidam doctissimus, Esset
Publica res, inquit, tunc fortunata satis, si
Vel reges saperent, vel regnarent sapientes.
Estne ille e numero paucorum, qui diadema
Sortiti ætheriæ coluerunt dogma sophiæ?
Contigit ecce hominum generi, gentique togatæ
Dux sapiens. Felix nostræ respublica Romæ
Justitia regnante viget: parete magistro
Sceptra gubernanti: monet, ut deterrimus error,

prave conniverunt in erroribus senatorum ipsorum, quos passi sunt mergi præcipites in Inferos cum Jove, et cum magna multitudine Deorum. Sed Theodosius, optans consulere sanctitati suorum subditorum, dilatavit imperium usque ad sæcula futura. Sane nescio quis peritus rite dixit res publicas fore satis beatas, si aut reges essent sapientes, aut sapientes essent reges. An hic unus est ex illis paucis, qui facti imperatores secuti sunt dogmata divinæ Sapientiæ? En sapiens imperator præpositus est omnibus hominibus, et populo Romano. Beata Respublica Romana nunc floret; et Justitia est in auctoritate; omnes obediant principi tenenti sceptrum. Monet ut

NOTÆ

27 *Plebe Deorum*] Plebem vocat multitudinem Deorum minorum. Ita Ov. Met. I. 171. 'Dextra lævaque Deorum Atria nobilium valvis celebrantur apertis: Plebs habitant diversa locis.'

30 *Esset Publica res tunc fortunata satis*] Cicero in epist. ad Quintum Fratrem: 'Ille quidem princeps ingenii et doctrinæ Plato tum denique fore beatas respublicas putavit, si aut docti aut sapientes homines eas regere cœpissent, aut qui regerent, omne suum studium in doctrina ac sapientia collocassent.' Quæ sententia Platonis lib. v. de Republ. in ore M. Antonini Philosophi, teste Capitolino, 'semper fuit, florere civitates, si aut Philosophi imperarent, aut imperatores philosopharentur.' Poëtæ quoque, cum fingunt fuisse in fatis evertendam esse Trojam, ablato Palladio, ad illud effatum alludere videntur. Tamdiu enim stant ac florent Respublicæ quamdiu ibi regnat Pallas, id est, sapientia et consilium: ea autem amissa concidunt et evertuntur.

34 *Ætheriæ sophiæ*] Astræa enim, seu Justitia, Jovis et Themidis filia fingitur a poëtis: quæ finito aureo sæculo, quo Dii cum hominibus habitaverant, Diis propter hominum iniquitatem abeuntibus, terram reliquit, sed omnium ultima. 'Victa jacet Pietas; et Virgo cæde madentes Ultima cœlestum terras Astræa reliquit.' De Sophia, penultima producta, sup. De Gente togata, sup.

37 *Justitia regnante viget*] 'Nihil tam inimicum est civitati,' inquit Augustinus, 'quam injustitia: quippe justitia sola respublica sustentatur.'

Utque superstitio veterum procul absit avorum,
Nec putet esse Deum, nisi qui super omnia summus
Emineat, magnique immensa creaverit orbis.
  Num melius Saturnus avos rexisse Latinos
Creditur? edictis qui talibus informavit
Agrestes animos, et barbara corda virorum?
Sum Deus: advenio fugiens: præbete latebras,
Occultate senem, nati feritate tyranni
Dejectum solio: placet hic fugitivus et exul
Ut lateam: genti atque loco Latium dabo nomen.
Vitibus incurvum, si qua est ea cura, putandis
Procudam chalybem, necnon et mœnia vestri
Fluminis in ripa statuam Saturnia vobis.

deponamus insanos errores, et superstitiones veterum majorum, et credamus unum esse Deum, qui summus eminet super omnia, et condidit magna opera ampli mundi. An credibile est veteres Latinos gubernatos fuisse sapientius a Saturno, qui excoluit animos rudes, et corda ferocia hominum his legibus? Date loca occulta: abscondite senem ejectum e regno sævitia filii tyranni. Ego sum Deus; fugiens venio; exul et fugitivus volo hic latere; et imponam nomen Latium populo et regioni. Fabricabo falcem curvam ad amputandam vitem, si cura vitis vobis placet; atque etiam vobis condam ad ripam vestri fluminis urbem Saturniam. Vos vero, siquidem duco

—38 *teterrimus* B.—42 *avus* Eg.—49 *potandis* Eg. P.—51 *nobis* Bodl.—54

NOTÆ

42 *Melius*] Quia propter sanctitatem legum et æquitatem e cœlo venisse creditus est, et aureum nomen suo sæculo fecit.

Rexisse Latinos] Nam occupatus a Jove, et e regno ejectus, navi in Italiam venit: ibique exceptus a Jano antiquissimo Rege populos cum eo composuit legibus. Virg. Æn. VIII. 320. 'Primus ab æthereo venit Saturnus Olympo, Arma Jovis fugiens, et regnis exul ademtis. Is genus indocile ac dispersum montibus altis Composuit, legesque dedit.' Vide sup.

46 *Nati feritate tyranni*] Nempe Jovis: cui Saturnus, monente Oraculo, ut a filio sibi caveret, struxerat insidias.

48 *Genti atque loco Latium dabo nomen*] Ovid. tamen scribit gentem Saturniam denominatam fuisse, regionem vero Latium. 'Inde diu genti mansit Saturnia nomen; Dicta quoque est Latium terra, latente Deo.' Fast. VII. 237. Vide sup. Perist. XI. 191.

49 *Vitibus incurvum, si qua est ea cura, putandis Procudam chalybem*] Primus cultum agrorum, plantationes arborum et insitiones, et vitis putationem Italis ostendit. Hinc falcifer Deus dicitur. 'Thuscum rate venit in amnem Ante pererrato falcifer orbe Deus.' Fast. I. 233.

50 *Mœnia vestri Fluminis in ripa statuam Saturnia vobis*] Saturnia olim urbs fuit in Capitolino monte. Virg.

Vos nemus appositasque meo sub honore sacrantes
(Sum quianam Cœlo genitus) celebrabitis aras.
Inde Deos, quorum patria spectata sepulcra
Scimus, in ære hebetes informavere minores:
Advena quos profugus gignens, et equina libido
Intulit Italiæ: Tuscis namque ille puellis
Primus adhinnivit simulato numine mœchus.

ortum a cœlo, mihi consecrabitis lucum, et sacrificantes ponetis aras meo nomine. Hinc posteri rudes insculpserunt in ære Deos, quorum novimus sepulcra esse nobilitata in patria: quosque Deos alienigena fugitivus gignens, et libido equina induxit in Italiam. Nam is adulter, divinitate occulta, concupivit primus virgines Etrus-

patrias Weitz. W. B. *spectare* Weitz. Eg. P. *in patria spectata* C.—58

NOTÆ

Æn. VIII. 356. 'Hanc Janus pater, hanc Saturnus condidit urbem: Janiculum huic, illi fuerat Saturnia nomen.' Tibri enim interfluente discreti sunt Janiculum et Capitolinus mons.

52 *Appositasque meo sub honore sacrantes celebrabitis aras*] Ara fuit in clivo Capitolino sacrata ab Hercule, ubi Græco ritu ab illo tradito adolebantur victimæ. Macrobius quoque scribit Tull. Hostilium, cum bis de Albinis triumphasset, de Sabinis tertio, fanum Saturno ex voto consecrasse, et tunc primum Romæ instituta fuisse Saturnalia. De quibus jam egi sup. Romæ vero in descriptione trium ædium Saturno positarum fit mentio; duarum ararum, et unius luci.

53 *Cœlo genitus*] Cœli et Vestæ filium esse diximus loc. mox cit. Non defuerunt tamen qui modo Oceani et Tethyos, modo Cœli et Terræ filium fuisse tradiderint. Orpheus: 'Progenies Terræ pariter Cœlique nitentis.'

54 *Inde Deos, quorum patria spectata sepulcra Scimus, in ære hebetes informavere minores*] Eodem utitur argumento Octavius ut aniles paganorum fabulas refellat: 'Homo igitur utique qui fugit, homo utique qui latuit, et pater hominis et natus ex homine. Terræ enim et Cœli filius, quod apud Italos esset ignotis parentibus proditus. Ut in hodiernum inopinato visos, Cœlo missos; ignobiles et ignotos, Terræ filios nominamus. Ejus filius Jupiter Cretæ, excluso parente, regnavit; illic obiit; illic filios habuit; adhuc antrum Jovis visitur, et sepulcrum ejus ostenditur.'

57 *Tuscis*] Tusci sive Etrusci, Italiæ populi antiquissimi, quorum regio a Liguria, Macra fluvio; a Latio, Tiberi; a Gallia Togata, Apenninis montibus et Mari Tyrrheno discreta.

58 *Adhinnivit simulato numine mœchus*] Quia Saturnus, cum Philyram, Oceani filiam, amore insequeretur, Ope uxore superveniente, in equum se convertit. Virg. Georg. III. 92. 'Talis et ipse jubam cervice effudit equina Conjugis adventu pernix Saturnus, et altum Pelion hinnitu fugiens implevit acuto.'

Mox patre deterior sylvosi habitator Olympi
Jupiter incesta spurcavit labe Lacænas:
Nunc bove subvectam rapiens ad crimen amatam,
Nunc tener ac pluma levior, blandosque susurros
In morem recinens suave immorientis oloris;

cas. Deinde Jupiter incola Olympi sylvosi pejor patre vitiavit labe infami mulieres Laconicas. Nunc rapiens ad stuprum Europam sibi dilectam, quam taurus portat: nunc factus mollis, et ocyor ob pennas, atque fundens dulciter cantus amœnos instar

---

nomine Eg.—59 *sinuosi* Weitz. Beckman.—60 *incestas* A. G.—61 *boe* Weitz. Coler. ad Val. Max. p. 568. fuit et in W. sed mutatum. *subjectam* W. B.—

NOTÆ

59 *Patre deterior*] Sub Jovis enim imperio deflexerunt omnia in pejus. Virg. Æn. VIII. 326. 'Deterior donec paulatim ac decolor ætas, Et belli rabies, et amor successit habendi.' Tibul. lib. I. 'Nunc Jove sub Domino cædes et vulnera semper: Nunc mare, nunc leti mille repente viæ.'

Sylvosi habitator Olympi] Incola scilicet montis Lycæi arboribus obsiti. Qui enim in Arcadia Jovem natum esse volunt, Olympium vocant a Lycæo, monte Arcadiæ, in Peloponneso, excelso, qui et Olympus dicitur. Callimachus: 'Dictæumne Jovem cantabimus, anne Lycæum? Sum dubius, genus est quando certamine plenum.' Plura Jovis Olympii templa olim in Græcia fuere; sed Athenis præcipuum fuit, Augusti tempore, teste Suetonio, nondum perfectum, dedicatum demum ab Hadriano. Hinc nummus Augusti Romæ cusus, cujus in aversa parte conspicitur templum sex columnarum, cum hac inscriptione: JOVI. OLYM. Quodsi hic Olympum pro cœlo sumi putas, legas velim; *Sinuosi habitator Olympi.*

60 *Spurcavit Lacænas*] Intellige Ledam, Tyndarei Spartani regis uxorem. De qua sup. Perist. XI. 221. Euripides: 'Quod Jupiter volavit ad matrem meam Ledam, oloris alitis forma obsitus. Fugaque ficta quod volucris nuntia Jovis sit insecuta, mox compressit hanc.'

Lacænas] Lacæna fœmininum, a Lacon, incola Laconiæ, quæ et Lacedæmonia dicitur, extrema Peloponnesi pars. Virg. Georg. II. 486. 'O ubi campi, Sperchiusque, et virginibus bacchata Lacænis Taygeta.'

61 *Nunc bove subvectam, &c.*] Sæpe in nummis Augusti Hadrianique Europa Agenoris filia, de qua egi sup. Perist. XI. 222. tauro insidet, quem cornu sinistro apprehensum tenet.

62 *Nunc tener ac pluma levior*] Quia de Leda mox locutus est, mallem ego ea referre ad Jovem mutatum in cuculum, qui Junone adhuc adolescentula potitus est. Illa matris metu abnuebat; sed tandem victa precibus et blandis verbis allecta stuprum passa est. Vel ad Jovem in aquilam conversum, ut Asteriem comprimeret. Ov. Met. VI. 108. 'Fecit et Asterien aquila luctante teneri.'

63 *In morem recinens suave immorientis oloris*] Plinius X. 33. sugillat Aristotelem, qui Hist. An. IX. 16. experimentis aliquot cantum olorum certissime comprobatum scribit. Nam res est ea discrepantibus inter se scriptorum sententiis dudum agitata.

Capta quibus volucrem virguncula ferret amorem.
Nunc foribus surdis, sera quas vel pessulus arctis
Firmarant cuneis, per tectum dives amator
Imbricibus ruptis, undantis desuper auri
Infundens pluviam gremio excipientis amicæ:
Armigero modo sordidulam curante rapinam,
Compressu immundo miserum afficiens catamitum,
Pellice jam puero magis indignante sorore.
Hæc causa est et origo mali, quod sæcla vetusto

cycni morientis, quibus virgo decepta non horresceret amorem avis: nunc amans, opulentus, immittens per tectum, tegulis confractis, pluviam auri cadentis desuper in sinum amicæ Danaës illud excipientis; nam januam, quam sera aut pessulus occluserat firmis obicibus, non poterat reserare: nunc, aquila rapiente prædam turpem, comprimens obscœne miserum Ganymedem; quare Juno magis indignatur, quod puer jam Jovi succumbat. En causa et fons mali. Stupiditas crassa sibi

62 *tenera pluma* Weitz.—66 *Firmarat* Weitz.—69 *causante* Eg. P.—70 *affigens* Weitz. Gif. Ind. Lucr. p. 302. *cupiens* A.—71 *Pælice* Weitz.—77

NOTÆ

66 *Per tectum dives amator, &c.*] Acrisius, Abantis Argivorum regis filius, Oraculum consuluerat maremne pareret uxor, an fœminam. Respondit Oraculum nullum se habiturum filium; nepotem aliquando e filia, a quo ipse occideretur. Danaën itaque filiam cum nutrice inclusit thalamo æneo subterraneo in specu; cui se immisit Jupiter in aureum imbrem conversus, Danaënque stupravit. Ov. Met. IV. 696. 'Perseus Jove natus, et illa, Quam clausam implevit fœcundo Jupiter auro.'

67 *Imbricibus*] Imbrices, genus tegularum incurvum, per quas imber defluit.

69 *Armigero*] Fulmen, teste Plinio lib. II. non percutit e volucribus aquilam, quæ ideo ministra fulminis Jovisque a poëtis fingitur. Virg. Æn. V. 255. 'Quem præpes ab Ida Sublimem pedibus rapuit Jovis armiger uncis.' Eo fit, ut in nummis Aquila passim fulmini trisulco insistere videatur.

Sordidulam rapinam] Ganymedes, formosus puer, Trois filius, cum in Ida monte venaretur, in cœlum ab aquila sublatus est. Ad eum munus ministrandi pocula in Deorum conviviis translatum est ab Hebe, Dea juventutis.

71 *Magis indignante sorore*] Quare Stat. Sylv. III. 'Nempe dedit Superis illum,' (Ganymedem,) 'quem turbida semper Juno videt, refugitque manum, nectarque recusat.' Vide sup. Perist. X. 184.

72 *Hæc causa est et origo mali*] Lucianus quoque in Dialogo de Mercurio et Sole Jovem facete exagitat, ut adulteriorum auctorem. Quare Juven. Sat. VI. 1. 'Credo pudicitiam Saturno rege moratam In terris, visamque diu.' Et paulo post: 'Multa pudicitiæ veteris vestigia forsan, Aut aliqua extiterant, et sub Jove, sed

Hospite regnante crudus stupor aurea finxit:
Quodque novo ingenio versutus Jupiter astus
Multiplices variosque dolos texebat, ut illum,
Vertere cum vellet pellem faciemque, putarent
Esse bovem, prædari aquilam, concumbere cycnum,
Et nummos fieri, et gremium penetrare puellæ.
Nam quid rusticitas non crederet indomitorum
Stulta virum, pecudes inter ritusque ferinos
Dedere sueta animum diæ rationis egenum?
In quamcumque fidem nebulonis callida traxit
Nequitia, infelix facilem gens præbuit aurem.
  Successit Jovis imperio corruptior ætas,
Quæ docuit rigidos vitiis servire colonos,
Expertes furandi homines. Hac imbuit arte
Mercurius, Maia genitus: nunc magnus habetur

finxerat esse secula aurea, dum Saturnus, antiquus hospes, regnabat; callidus autem Jupiter struebat novo ingenio mille fallacias et diversos dolos, ut homines crederent ipsum esse taurum, aquilam rapientem, cycnum comprimentem, et versum in aurum, se immittere in sinum virginis, cum vult mutare pellem et formam. Nam rusticitas imperita hominum non excultorum, et assueta ducere vitam expertem rationis cœlestis inter belluas et mores ferinos, credidit omnia. Lascivia callida Jovis mendacis adduxit eos in quamcumque opinionem. Miser vero populus audivit libenter. Ætas deterior secuta est ætatem Jovis. Illa docuit homines tum agricolas, stolidos et nescios furari, dedere se criminibus. Mercurius ortus a Maia, cujus

Confingere A. G. Celer.—78 *serere* Weitz. Ro. 2. Vat. un.—80 *rictusque* B.

NOTÆ

Jove nondum Barbato,' i. e. nondum tot adulteriis famoso, quibus se postea contaminavit.

78 *Nummos*] Nempe, auri guttas; quas cudimus, et vertimus in nummos.

81 *Diæ rationis*] Jam monui non audiendos esse Erasmum Giphaniumque reponentes, *divæ rationis*.

84 *Successit Jovis imperio corruptior ætas*] Quæ ideo ænea appellatur a poëtis. 'Tertia post illas successit aënea proles, Sævior ingeniis, et ad horrida promtior arma.'

85 *Rigidos colonos*] Quia ante Jovis tempora nemo exercebat agros. Ovid. Met. I. 121. 'Tum primum subiere domos; domus antra fuerunt, Et densi frutices, et vinctæ cortice virgæ. Semina tum primum longis Cerealia sulcis Obruta sunt, pressique jugo gemuere juvenci.' Et Virg. Georg. I. 125. 'Ante Jovem nulli subigebant arva coloni; Nec signare quidem, aut partiri limite campum Fas erat.'

Vitiis servire] Modo tamen Ovidio fidem habeamus, hæc tertia ætas fuit quoque scelerum immunis. 'Ad horrida promtior arma; Nec scelerata tamen.'

87 *Mercurius Maia genitus*] Mercu-

Ille Deus, cujus dedit experientia fures:
Necnon Thessaliæ doctissimus ille magiæ
Traditur extinctas sumtæ moderamine virgæ
In lucem revocasse animas, Cocytia leti
Jura resignasse, sursum revolantibus umbris:

exemplum fures sequuntur, docuit hanc artem. Is tamen creditur magnus Deus. Quinetiam instructus magia Thessalica dicitur revocasse ad vitam tactu virgæ assumtæ animas mortuorum, et, animis redeuntibus in terram, violasse leges tristes

Vulg.—81 *diæ* P.—82 *struxit* P.—89 *Thesalicæ* Weitz.—93 *alia* P. Eg.—

NOTÆ

rium Jove genitum esse, et Maia Atlantis filia, quæ inter Pleiades stellas numeratur, et editum in Cyllene, Arcadiæ monte, dicunt poëtæ.

Magnus habetur Ille Deus] Deus eloquentiæ, palæstræ, mercatorum, præstigiatorum, ac furum: nuntius Deorum.

88 *Cujus experientia*] Vulcani instrumenta fabrilia abstulit de officina; Veneri cingulum furatus est; sustulit Jovi sceptrum; Admeti regis boves pascenti Apollini surripuit. Aliaque permulta latrocinia refert Lucianus Dialogo Apollinis et Vulcani. Hinc Homerus in Hymnis: 'Hunc Superos inter post hæc retinebis honorem, Latronum princeps diceris tempus in omne.' Hinc Lactant. I. 10. 'Fur ac nebulo Mercurius, quid ad famam sui reliquit, nisi memoriam fraudum suarum?'

Dedit fures] Autolycum, avum Ulyssis, artem furandi docuit; qui brevi, licet omnium prope mortalium pauperrimus esset, ditissimus evasit. Martial. lib. VIII. 'Non fuit Autolyci tam piceata manus.'

89 *Thessaliæ doctissimus ille magiæ*] Zezes scribit Autolycum, qui hanc artem a Mercurio quoque didicerat, asinum, scabie corrosum, cum optimum equum furatus esset, restituisse, effecisseque, ut nemo id sentiret. Natal. Comes, v. 5. De Thessalicis incantationibus sup. Apoth. vs. 477.

90 *Extinctas sumtæ moderamine virgæ In lucem revocasse animas*] Respexit hunc locum Virg. Æn. IV. 242. 'Tum virgam capit: hac animas ille evocat Orco Pallentes, alias sub tristia Tartara mittit, Dat somnos adimitque, et lumina morte resignat.' Æschylus vero ita Mercurium invocat: 'Tellus, Mercuri, et inferum rex, in lucem animam remittite.'

Virgæ] Quam dono accepit ab Apolline, cum ei lyram dedisset. Hac instructus incidit in serpentes duos ad pugnam comparatos, projectaque virga statim compescuit. Unde illa duobus implexa serpentibus pacis symbolum evasit. A Græcis κηρύκιον dicitur, a Latinis, caduceum. Neque quis credebatur posse mori, nisi Mercurius animam divinitus corpori alligatam a mortali vinculo solvisset.

92 *Jura resignasse*] Alludit ad illos, qui dicti sunt resignatores mysteriorum: quo sensu et Ambrosius dixit lib. I. de Virg. 'Caveamus diligenter, ne quod accepimus pignus in cordibus nostris, aut morum levitas, aut ullius adulterii fraus resignet.' Ubi vult a nemine castitatem resignari, i. e. profanari.

Ast alias damnasse neci, penitusque latenti
Immersisse chao. Facit hoc, ad utrumque peritus
Ut fuerit, geminoque armarit crimine vitam;
Murmure nam magico tenues excire figuras,
Atque sepulcrales scite incantare favillas,
Vita itidem spoliare alios, ars noxia novit.
Artificem scelerum simplex mirata vetustas
Supra hominem coluit, simulans per nubila ferri,
Aligerisque leves pedibus transcurrere ventos.

mortis: aliis vero attulisse mortem, et eas mersisse omnino in nigros Inferos. Illud demonstrat quam gnarus fuerit utriusque rei, et quam sæpe fœdarit vitam his duobus criminibus. Nam ars magica poterat incantamentis evocare phantasmata aëria, et scite incantare cineres mortuorum, atque etiam adimere vitam nonnullis. Majores simplices stupefacti putarunt Mercurium volare per aërem, et superare alis

NOTÆ

93 *Latenti Immersisse chao*] Unde Hor. lib. II. illum vocat 'Orci satellitem;' et S. Ambrosius, 'emissarium.' Apud Valerium II. 4. animabus mortuorum præesse aperte dicitur. 'Forte enim evenit, ut tunc summæ dignitatis ibi fœmina, sed ultimæ jam senectutis, reddita jam ratione civibus, cur excedere vita deberet, veneno consumere se destinarit, &c. Tum defusis Mercurio delibamentis, et invocato numine ejus, ut se placido itinere in meliorem sedis infernæ deduceret partem; cupido haustu mortiferam traxit potionem.' De murmure magico, sup. Apoth. vs. 477.

100 *Supra hominem coluit*] Ædiculas, aras, templum prope Circum maximum, et alia Mercurius habuit per Urbem loca sibi consecrata. Ovid. Fast. v. 'Pacis et armorum superis imisque Deorum Arbiter, alato qui pede carpis iter: Læte lyræ pulsu, nitida quoque læte palæstra, Quo didicit culte lingua favente loqui. Templa tibi posuere patres spectantia Circum Idibus. Ex illo est hæc tibi festa dies. Te, quicumque suas profitentur vendere merces, Thure dato, tribuas ut sibi lucra, rogant.'

101 *Aligerisque pedibus*] Capite quoque alatus pingitur. Sunt et multa alia illius Dei insignia. Postumus Mercurium marsupium et caduceum tenentem nummo suo impressit. 'Mercurium,' inquit Georg. Codinus de orig. Constant. 'lucri auctorem perhibent, et præsidem mercaturæ, eamque ob causam simulacrum ejus marsupium gestare faciunt.' M. Aurelius, cum patera; quia, teste Diod. Sic. de Mercurio I. 'Literas invenit, Deorum cultus et sacrificia ordinavit.'

Transcurrere ventos] Virg. Æn. IV. 239. 'Pedibus talaria nectit Aurea: quæ sublimem alis, sive æquora supra, Seu terram, rapido pariter cum flamine portant.' Illo autem volatu intelligebant Gentiles Astrologiam. Quare hisce versibus Prudentius vult Mercurium operam dedisse et Magiæ et Astrologiæ. Quam utriusque artis societatem vide apud Greg. Naz. Orat. 3. ubi loquens de Juliano: 'Ipsi porro Asia impietatis schola erat, tam quæ circa siderum scientiam et genituras, inanemque præscientiæ speciem vanissime occupa-

Ecce Deum in numero formatus et æneus astat
Graius homo, augustaque Numæ præfulget in arce.
Strenuus exculti dominus quidam fuit agri,
Hortorumque opibus memorabilis: hic tamen idem
Scortator nimius, multaque libidine suetus
Rusticolas vexare lupas, interque salicta,
Et densas sepes obscœna cubilia inire:
Indomitum intendens animum, semperque paratum
Ad facinus, nunquam calidis dabat otia venis.
Hic Deus e patrio prænobilis Hellesponto

pedum ventos veloces. En homo Græcus sculptus et æneus collocatur in numero Deorum, atque resplendet in augusta domo Numæ. Priapus olim fuit possessor navus agri exculti, et clarus hortis fœcundis: fuit quoque nimium lascivus, et assuetus obscœna petulantia comprimere meretrices rusticas, aut committere sordida adulteria inter salices et dumos spissos. Defigens in id animum effrænatum, et semper paratum ad crimen, nunquam permittebat otium suis venis ustis amore. Ille Deus insignis venit, ipsiusque obscœna sacrificia ex Hellesponto patrio in hortos

98 *idem* P.—102 *foratus* Bodl. *tornatus* Heins. ex conj.—104 *quondam* Vulg.—107 *Ruricolas* F. *Rusticulas* Weitz. Delph. Heins.—109 *Indomito i. animo s. parato* Heins. ex conj. *Indomitum i. nervum* Gronov. ex conj.—111

NOTÆ

tur, quam quæ circa præstigiarum artem earum asseclam versatur.'

102 *Formatus et æneus astat*] Heinsius opinatur scribendum esse, *tornatus*, ut æneus et ligneus, sive saxeus, conjungantur. Tornari enim non ligna tantum, sed saxa quoque dicebantur, teste Plin. XXXVI. 22. Lucret. lib. IV. Quod elegantissimum utique est, et verissimum. Nam Priapus in templis stabat æneus: in hortis ligneus aut saxeus. Unde Martial. lib. VI. 'Fur notæ nimium rapacitatis Compilare Cilix volebat hortum. Ingenti sed erat, Fabulle, in horto Præter marmoreum nihil Priapum. Dum non vult vacua manu redire, Ipsum surripuit Cilix Priapum.'

103 *Graius homo*] Priapus scilicet, Veneris et Bacchi filius, Lampsaci, quæ urbs est in littore Hellesponti, in ora Asiatica, natus et inprimis cultus.

Numæ præfulget in arce] I. e. in Janiculo monte, ubi Numa sepultus est; vel in Numæ domo, quæ in Vestæ templum mutata fuit. De Numa sup.

106 *Scortator nimius*] Propter fœda adulteria et frequentia Lampsacenorum decreto a patria sua exulavit. De Lupa, sup. Psych. vs. 47.

Multa libidine suetus] Nonne apud Ov. Fast. I. 390. cum Dii omnes ad festum Matris magnæ convenissent, epulisque satiati noctem lusibus ducerent; Priapus somno Vestæ, quæ humi quiescebat, ac pudicitiæ insidiatus est? Sed illa clamore aselli, quo Silenus vehebatur, excitata fuit; libido vero insidiatoris decepta.

111 *Patrio Hellesponto*] Quia, ut jam dixi, Lampsacum est ad Hellespontum. Hellespontus autem, Ægæ-

Venit adusque Italos sacris cum turpibus hortos:
Sinum lactis, et hæc votorum liba quotannis
Accipit, ac ruris servat vineta Sabini,
Turpiter affixo pudeat quem visere ramo.
Herculeus mollis pueri famosus amore
Ardor, et in transtris jactata efferbuit Argo.
Nec maris erubuit Nemea sub pelle fovere
Concubitus, et Hylan pereuntem quærere cœlebs.

Latii. Singulis annis homines ipsi dant vas lactis, et placentas votivas. Is vero custodit vineas agri Sabinorum, cauda disposita impudenter, quam nefas est respicere. Lascivia Herculis nota fuit amore in Hylan puerum effœminatum, et crevit super transtra Argus agitatæ. Nec Herculem puduit habentem pellem leonis Nemeæi concumbere cum puero, et orbatum illo quærere pereuntem. Nunc familia

et patrio Weitz.—112 *sacris cultoribus* Eg. P.—113 *quodannis* Eg. Weitz.—115 *puderat* Eg. P.—117 *jactatæ* A. F. P. *ferbuit* A. T. *fervuit* P. *efervuit* Weitz. Eg.—118 *Nemææ pelle* vulg. *foveri* Bodl.—127 *multoque* Vulg. B.

NOTÆ

um mare Propontidi committens, Asiam ab Europa dirimit. Dictus ab Helle Phryxi sorore in eo summersa.

112 *Sacris cum turpibus*] De iis hæc habet Juvenalis Sat. VI. 314. 'Et cornu pariter, vinoque feruntur Attonitæ, crinemque rotant, ululantque Priapi Mænades.'

113 *Sinum lactis*] Tale illud Virgil. Ecl. VII. 33. 'Sinum lactis, et hæc te liba, Priape, quot annis Expectare sat est: custos es pauperis horti.' Sinum vas est a sinu dictum, 'quod majorem cavationem, quam pocula habeat:' inquit Varro: 'Dii autem agrestes minoresque, qualis erat Priapus, non victimis et vino placabantur, sed lacte, libo, et frugibus.' De Libo, sup.

114 *Servat vineta*] Priapo hortorum, quorum erat custos, in limine statuam rudem et quasi informem cum falce ponebant veteres. Hor. Sat. I. 8. 'Nam fures dextra coërcet, Ast importunas volucres in vertice arundo Terret fixa, vetatque novis considere in hortis.'

Sabini] Sabinorum regio Aniene, Tiberi, Nare, et Velino fluviis claudebatur.

116 *Mollis pueri*] Intellige Hylan, delicias Herculis, Theodamantis filium, quem amisit in Ionia juxta Mysiam. Cum autem compertum fuerit, quod extinctus fuisset in fonte, instituta sunt sacra, in quibus ejus nomen clamabatur in fontibus. Unde adagium illud, 'Hylan, inclamas.'

117 *In transtris*] Transtra in navibus sunt scamna remigum.

Argo] Navis illa celebris, constructa ad expeditionem Colchicam, ex pinis Pelii; sic dicta vel ab Argo architecto, vel ab Argivis, quos vehebat, vel a celeritate, ἀργὸς enim velox est. De Hercule et pelle Nemea, sup. Perist. X. 215.

119 *Maris Concubitus*] Occiso enim Theodamante, Hercules Hylan secum abduxit, secumque cum reliquis Argonautis Colchos navigans duxit.

Hylan pereuntem] Ad hauriendam aquam profectus, cum ad flumen se inclinaret, simul cum urna undis

Nunc Saliis cantuque domus Pinaria templum
Collis Aventini convexa in sede frequentat.

Pinariorum adit saltando et canendo templum positum in loco declivi montis Aven-

NOTÆ

abreptus est. Ab Nymphis raptum fabulantur poëtæ ob pulchritudinem. Juv. Sat. I. 164. ‘Aut multum quæsitus Hylas, urnamque secutus.’ Virg. Ecl. VI. 43. ‘His adjungit, Hylan nautæ quo fonte relictum Clamassent.’

120 *Saliis*] Sic apud Evandrum in honorem Herculis Salii inducuntur a Virgilio: ‘Tum Salii ad cantus, incensa altaria circum, Populeis adsunt evincti tempora ramis.’ In quo magnopere Virgilium errasse contendit Macrobius Saturn. c. 12. quod a Numa instituti sint, et in honorem Martis. Sed quis putet rem tam tritam, tam vulgarem Maroni latuisse? Dico igitur aut vim nominis, non rationem temporis spectasse; modo enim Salii a saliendo et saltando dicantur, omnes sacerdotes, qui saltant, Salii appellari possunt; aut propius ad historiæ veritatem accessisse. Et sane Polemon, vetus rerum Italicarum scriptor, ait Arcada quendam fuisse nomine Salium, quem Æneas a Mantinea in Italiam deduxit; qui juvenes Italicos ἐνόπλιον saltationem docuit. Quodsi ita se res habet, verisimile est Salium, qui apud Evandrum commoratus est et affuit solenni sacrificio, quod Herculi offerebatur, tum ei choros instituisse; urbe autem condita Numam hos choros ad Martem transtulisse, elegisseque duodecim Salios, e patritio genere, qui Collini, Quirinales, et Agonenses cognominati sunt. Apud te sit judicium: et consule Virg. Æn. VIII. 285. et Sextum Pomp. Fest. lib. XVII.

Domus Pinaria] Pinariorum historia ita texitur a Livio aliisque Historicis. Simul ut Cacum ob amotas per fraudem boves clava cecidit Hercules, Evander continuo aram exstrui jubet, et bove eximia sacrum fieri, adhibitis ad ministerium dapemque Potitiis et Pinariis, quæ tum familiæ maxime inclytæ ea loca incolebant. Virg. Æn. VIII. ‘Et domus Herculei custos Pinaria sacri Hanc aram luco statuit.’ Cerdanus Pinariam familiam censet durasse adusque Maximini tempora. Sed Livius aperte scribit lib. I. ætate sua illam fuisse excisam: ‘Inde institutum mansit, donec Pinarium genus fuit, ne extis solennibus vescerentur.’

Templum] Rhea enim sacerdos in sylva collis Aventini Aventinum Herculis filium pepererat. Virg. Æn. VII. 656. ‘Victoresque ostentat equos satus Hercule pulchro Pulcher Aventinus; clypeoque insigne paternum Centum angues cinctamque gerit serpentibus hydram; Collis Aventini sylva quem Rhea sacerdos Furtivum partu sub luminis edidit auras, Mixta Deo mulier.’ Alia quoque Romæ templa habuit Hercules. Alterum in Circo Flaminio. Ov. Fast. VI. 209. ‘Altera pars circi custode sub Hercule tuta est.’ Et fragmentum veteris Kalendarii: HERCULI MAGNO CUSTODI IN CIRCO FLAMINIO. Alterum in monte Quirinali. Ovid. Fast. VI. 213. ‘Quærebam Nonas Sanco Fidione referrem, An tibi, Semo pater: tunc mihi Sancus ait: Cuicumque ex istis dederis, ego munus habebo. Nomina trina fero: sic voluere Cures. Hunc igitur veteres donarunt æde Sabini, Inque Quirinali constituere jugo.’ Vide Oiselium pag. 240. ubi interpretatur literas D. S. S. nummi Familiæ Romanæ.

121 *Collis Aventini*] Aventinus, unus e collibus quibus insidet Roma.

Thebanus juvenis superatis fit Deus Indis,
Successu dum victor ovans lascivit, et aurum
Captivæ gentis revehit, spoliisque superbus
Diffluit in luxum cum semiviro comitatu;
Atque avidus vini multo se proluit haustu,
Gemmantis pateræ spumis, mustoque Falerno
Perfundens bijugum rorantia terga ferarum.

tini. Bacchus Thebanus, quod domuit Indos, colitur ut Deus, cum lætus de victoria lascivit fortuna, et asportat opes populi domiti, et superbus præda fluit luxuria cum comitatu virorum effœminatorum, et vinosus se ingurgitat multis haustibus, conspergens musto fervido, et spumis vini effluentibus ex cantharo gemmeo, terga

NOTÆ

Dictus est ab Aventino 12. rege Albanorum, qui ibi bello extinctus, atque sepultus est, teste Livio lib. I. 'Is,' Aventinus, 'sepultus in eo colle, qui nunc est pars Romanæ urbis cognomen colli fecit.' Varro lib. IV. plures alias nominis rationes affert. A Remo Remurius, a Murcia Socordiæ Dea Murcius etiam nuncupatus fuit. Nunc *Monte di S. Sabina.*

122 *Thebanus juvenis*] Quia Jupiter ex Semele, Cadmi Thebarum regis filia, Bacchum genuit. Hor. Od. I. 19. 'Mater sæva cupidinum, Thebanæque jubet me Semeles puer.' Vide sup. Perist. X. 279.

Superatis Indis] Idem Lactant. I. 10. 'Liberum patrem necesse est in senatu Deorum summæ auctoritatis, primæque esse sententiæ; quia præter Jovem solus omnium triumphavit, exercitum duxit, Indos debellavit.' Ovid. Fast. III. 729. 'Te memorant, Gange totoque Oriente subacto, Primitias magno seposuisse Jovi.'

Indis] Asiæ populi: ab Occidente Indum habent fluvium, a Septemtrione Parapamisum, Imaum, Emodum, aliosque montes; ab Oriente Sinas cum Orientali Oceano: ad Meridiem Indico terminantur.

125 *Cum semiviro comitatu*] Ita Lactant. I. 10. Vide inf. vs. 186. Ita Virg. Æn. IV. 215. 'Et nunc ille Paris cum semiviro comitatu.' Quinam autem Bacchi sit ille comitatus, accipe. 'Bacchæ Satyrique sequuntur: Quique senex ferula titubantes ebrius artus Sustinet; et pando non fortiter hæret asello. Quacumque ingrederis, clamor juvenilis, et una Fœmineæ voces, impulsaque tympana palmis, Concavaque æra sonant.' Ov. Met. IV. 25.

126 *Multo se proluit haustu*] Virg. Æn. I. 742. 'Ille impiger hausit Spumantem pateram, et pleno se proluit auro.'

127 *Mustoque Falerno*] Male quidam, *multoque Falerno;* jam proxime, 'multo,' præcedebat. De Falerno, sup.

128 *Bijugum ferarum*] Intellige tigres, lynces, aut pantheras; quæ feræ sunt Baccho dicatæ. Ov. Met. III. 666. 'Pampineis agitat velatam frondibus hastam. Quem circa tigres, simulacraque inania lyncum, Pictarumque jacent fera corpora pantherarum.' Virg. Æn. VI. 804. 'Nec qui pampineis victor juga flectit habenis Liber, agens celso Nisæ de vertice tigres.' Syl. Italic. Punic. XVII.

His nunc pro meritis Baccho caper omnibus aris
Cæditur, et virides discindunt ore chelydros,
Qui Bromium placare volunt: quod et ebria jam tunc
Ante oculos regis Satyrorum insania fecit:
Et fecisse reor stimulis furialibus ipsas
Mænadas, inflammante mero in scelus omne rotatas.

stillantia Lyncum bijugum. Nunc caper immolatur Baccho in omnibus altaribus ob hæc merita: et ii, qui cupiunt expiare numen Bacchi, lacerant dentibus serpentes virides, quia Satyri insipientes ebrietate jam illud fecerunt coram suo rege; et, ut puto, Bacchæ ipsæ actæ thyrso furiali, et vino impellente ad omnia crimina, fece-

W. sed in W. *novo* superscr.—130 *celindros* B. W.—134 *rotatus* P.—138

NOTÆ

'Qualis odoratis descendens Liber ab Indis Egit pampineos frænata tigride currus.' Hoc spectat Trajani nummus, qui Bacchi triumphum exprimit. Illum sublimi currui insidentem, hedera coronatum, advolans Victoria laurea donat. Currus duabus tigridibus trahitur. Pompa varia Bacchi currum præcedens δίαυλον inflat. Belluas Silenus Satyrusque colludens ducunt ad Deum intenti. Infimo loco tres calvariæ, aut personæ, cyathique conspiciuntur. Ita Occo.

129 *Baccho caper omnibus aris Cæditur*] Præclare hunc ritum expressit Virg. Georg. II. 378. 'Quantum illi nocuere greges durique venenum Dentis, et admorso signata in stirpe cicatrix. Non aliam ob culpam Baccho caper omnibus aris Cæditur, et veteres ineunt proscenia ludi.' Ovid. quoque Met. XV. 113. 'Vite caper morsa Bacchi mactandus ad aras Ducitur ultoris.' Caper enim est animal maxime vitibus infestum.

130 *Virides discindunt ore chelydros*] Porphyrio quidem scribit Bacchas manibus serpentes gestasse; ac Muretus in hæc Catulli: 'Pars sese tortis serpentibus incingebant,' fuisse serpentibus coronatas in honorem Liberi, ostendit ex Euripide. Arnobiusque lib. V. 'Bacchanalia etiam prætermittamus immania: in quibus furore mentito, et sequestrata pectoris sanitate, circumplicatis vos anguibus.' At de iisdem laniatis devoratisque apud unum Prudentium fit mentio.

Chelydros] Apud Virg. Georg. II. 214. quoque chelydri sunt serpentes, qui modo in paludibus, modo in arboribus latent. 'Et tophus scaber, et nigris exesa chelydris Creta.'

131 *Bromium*] Bacchus dicitur Bromius ἀπὸ τοῦ βρέμειν, h. e. a fremendo.

132 *Satyrorum insania fecit: Et fecisse reor Mænadas*] Claudianus Carm. VIII. 605. idem cecinit: 'Talis Erythræis intextus nebrida gemmis Liber agit currus, et Caspia flectit eburnis Colla jugis: Satyri circum, crinemque solutæ Mænades astringunt hederis victricibus Indos.' Vide sup. vs. 128. ubi agitur de Trajani nummo.

Satyrorum] Monstra libidinosissima fuere Satyri, vultu humano, capite cornuto, pedibus caprinis, quæ ut numina rustica coluit antiquitas.

134 *Mænadas*] Mænades sive Bacchæ, sive Bassarides, Thyiadesque; Bacchi sacrificulæ, ita dictæ ἀπὸ τοῦ μαίνεσθαι, 'furere.'

Hoc circumsaltante choro, temulentus adulter
Invenit expositum secreti in littoris acta
Corporis egregii scortum, quod perfidus illic
Liquerat, incesto juvenis satiatus amore.
Hanc jubet assumtam, fervens post vina, Neæram

runt. Illis comitibus circumsaltantibus, is adulter vinolentus reperit meretricem pulchritudine eximia stantem in littore remoto plagæ. Juvenis infidelis hanc deseruerat illic satiatus amore impudico. Sed inflammatus amore propter compotatio-

NOTÆ

In scelus omne] De Bacchanalibus per autumnum de nocte celebratis, quibus viri nudi cum mulieribus itidem nudis, omnes pariter omnia membra pampinis et racemis impediti, huc et illuc varia gesticulatione discurrentes inconditum carmen Baccho cantitabant, donec ebrii omnes procumberent, videatur Liv. lib. XCIV. ubi in concione Portius Cato Consul, 'Primum,' inquit, 'mulierum magna pars est. Deinde simillimi fœminis mares constuprati, et constupratores, fanatici, vigiles, vino, strepitibus clamoribusque nocturnis attoniti.' Ex quibus colligimus stupra hic fuisse promiscua, et cædes infandas. Jure ergo ac merito Scythæ illa sacra non admiserunt, 'quod nefas ducerent Deum colere, qui ad insaniam adigeret,' ait Herodot. lib. IV. Ac Romani, teste Tertulliano Apolog. cap. 6. sustulerunt: 'Etiam circa Deos vestros, quæ perfecte decreverunt Patres vestri, idem vos obsequentissimi rescidistis. Liberum patrem cum mysteriis Consules, Senatus auctoritate, non modo Urbe, sed universa Italia eliminarunt.'

136 *Invenit expositum, &c.*] Lactant. I. 10. 'Sed invictus ille imperator Indicus maximus ob amorem ac libidinem turpissime victus est. Delatus enim Cretam cum semiviro comitatu, nactus est impudicam mulierem in littore. Ac fiducia victoriæ Indicæ vir esse voluit, ne nimium mollis videretur. Atque illam patris proditricem, fratris interemtricem, ab alio relictam et repudiatam, in conjugium sibi vendicavit, et liberam fecit, et cum ea pariter ascendit in cœlum.'

Secreti in littoris acta] In Dia, insula maris Cretici. Ov. Met. VIII. 174. 'Protinus Ægides, rapta Minoide, Dian Vela dedit: comitemque suam crudelis in illo Littore deseruit.' Vel in Naxo, ut vult Statius I. Sylv. Epithal. Stellæ: 'In littore Naxi Theseum juxta foret hæc conspecta cubile, Gnossida desertam profugus liquisset et Evan.'

Acta] Acta littus est, ab ἀκτή. Qua voce etiam Cicero Verr. v. 'Uxorem tot in acta,' in Siculo littore, 'dies secum habere,' usus est: et Virg. Æn. v. 613. 'At procul in sola secretæ Troades acta Amissum Anchisen flebant.'

137 *Corporis egregii scortum*] Ariadnam, filiam Minois regis Cretæ.

Perfidus] Nam Ariadne dederat filum Theseo, quo sciret e labyrintho regredi. At ille non retulit beneficii gratiam. Ov. Fast. III. 462. 'Quæ dedit ingrato fila legenda viro.'

138 *Incesto amore*] Theseus enim Ariadnæ amore captus, occiso Minotauro, cum in patriam reverteretur, eam abduxit.

Juvenis] Theseus scilicet Ægei regis Athenarum et Æthræ filius.

139 *Neæram*] Jam monui sup. Pe-

Secum in deliciis fluitantis stare triumphi,
Regalemque decus capitis gestare coronam.
Mox Ariadnæus stellis cœlestibus ignis
Additur: hoc pretium noctis persolvit honore
Liber, ut ætherium meretrix illuminet axem.
Tantum posse omnes illo sub tempore reges,
Indocilis fatui ducebat ineptia vulgi,
Ut transire suis cum sordibus induperator
Posset in æternum cœli super ardua regnum.
Regia tunc omnis vim majestatis, et omnis,
Parva licet, cœli imperium retinere potestas

nem vult ut meretrix adducta stet cum ipso in deliciis triumphi effrenati, et habeat coronam regificam, quæ est ornamentum capitis. Deinde Ariadne ponitur in numero stellarum cœli. Bacchus compensat illo honore pretium noctis, ut Ariadne luceat cœlo æthereo. Insulsitas agrestis vulgi simplicis putabat hac ætate omnes reges habere tantam potestatem, ut principes possent ducere suas concubinas in regnum perenne super loca altissima cœli. Tum omnis potestas regia, atque alia potestas, quamvis parva esset, credita fuit habere virtutem Deorum, et imperium cœlo-

ingesto Eg.—139 *Neætram* B.—143 *honoræ* Heins. ex conj.—145 *illo sed t.* T.

NOTÆ

rist. x. 40. Neæram communi vocabulo dici mulierem lascivam et infamem.

141 *Coronam*] Loquitur de corona a Vulcano facta ex auro et Indicis gemmis, quam, ut ait Hyginus, quo tempore Bacchus ad Minoa venit, Ariadnæ muneri dedit. Ov. Fast. III. 513. 'Sintque tuæ tecum faciam monumenta coronæ; Vulcanus Veneri quam dedit, illa tibi.'

142 *Ariadnæus stellis cœlestibus ignis Additur*] Vide Ov. Met. VIII. 176. 'Desertæ et multa querenti Amplexus et opem Liber tulit. Utque perenni Sidere clara foret, sumtam de fronte coronam Immisit cœlo. Tenues volat illa per auras; Dumque volat, gemmæ subitos vertuntur in ignes, Consistuntque loco, specie remanente coronæ. Qui medius nixique genu est, anguemque tenentis.' Ubi Ovid. coronæ sidus medium esse ait, et ejus qui ἐν γόνασι a Græcis vocatur, h. e. in genibus, et ejus, qui vocatur Ophiuchos, id est, anguem tenens. Quidam tamen dicunt coronam Gnossiam novem stellis ornatam.

143 *Honore*] Heinsius opinatur, *honoræ*; pro honoratæ noctis pretio.

147 *Induperator*] Imperator, per Epenthesim. Cic. I. de Div. ex Ennio: 'Uter esset induperator.' Et Juven. Sat. x. 138. 'Ad hæc se Romanus, Graiusque, ac Barbarus induperator Erexit.'

148 *Cœli super ardua*] His enim Bacchus Ariadnam alloquitur apud Ov. Fast. III. 509. 'Occupat amplexu, lacrymasque per oscula siccat, Et, pariter cœli summa petamus, ait.' Atque apud Occonem, nummus Trajani Ariadnam in cœlum vectam exprimit.

Credita: thure etiam ducibus parvoque sacello
Impertitus honos: quem dum metus, aut amor, aut spes
Accumulant, longum miseris processit in ævum
Mos patrius: cœpit falsæ pietatis imago
Ire per ignaros nebuloso errore nepotes:
Tum quia, quæ vivis veneratio regibus ante
Contigerat, functis eadem jam munere lucis
Cessit, et ad nigras altaria transtulit urnas.
Inde puellarum ludibria, pignora partus,
Et furtivus amor juvenum, et deprensa jugalis
Corruptela thori: quoniam regalibus aula
Fervere tunc vitiis solita est, nec perdita luxu
Divorum soboles sancti meminisse pudoris.
Atque ut, Roma, tuos cœlesti ex sede parentes,
Quis te semideam jactant auctoribus ortam,
Præstringam breviter, Gradivum vel Cytherean:

rum. Atque etiam Principes dignati fuere honore thuris, et exigui templi. Dum timor, sive amor, sive spes accumulant illum honorem; ritus patrius rapuit hos miseros per multos annos; et species falsæ pietatis cœpit decipere posteros rudes tecto errore. Hinc reverentia, quæ ante tribuebatur vivis regibus, tum accessit eadem illis deletis morte: et posuit aras prope cineres frigidos. Hinc lascivia, fœdera, partus virginum, et amor secretus juvenum ortus est. Hinc violatio lecti conjugalis deprehensa est. Nam tum palatia redundabant plerumque criminibus regum; et liberi Deorum dediti libidini non colebant sanctam pudicitiam. Atque ut carpam paucis, o Romani, Martem seu Venerem, vestros parentes ex sede cœlesti, quos, quod vestri sunt auctores, prædicatis vobis dedisse ortum semideorum: Mars stuprat

—146 *fatuique docebat* P.—151 *tura* Eg. W. superscr. *parvusque* Eg. P. W. superscr. Ro. 1.—152 *aut honor* P.—156 *Tunc* A. *Tum quoque* Weitz.—159 *pignera, partus* Weitz. *pignera, raptus* Gron.—160 *deprehensa* P. *defensa* Gron.—163 *subolis* P.—164 *Romanos* W. in marg.—165 *auctam* W. superscr. Gif. Ind. Lucr. p. 310. Weitz.—166 *Perstringam* Vulg.—168 *Succubuit* Weitz.—169 *subire*

NOTÆ

151 *Ducibus, parvoque sacello Impertitus honos*] Et sane legimus Romæ templa posita fuisse Romulo, Tullo Hostilio, Augusto, Claudio, T. Vespasiano, Trajano, Hadriano, Antonino, Poppeæ, Faustinæ, &c.

166 *Gradivum*] Gradivus Mars appellatus est a gradiendo in bella ultro citroque: sive a vibratione hastæ, quod Græci dicunt *κραδαίνειν*: ita Festus: vel, ut alii putant, quod ex gramine ortus sit. Nam eum Juno tacto flore concepit. Ovid. Fast. v.

Cytherean] Cytherea Venus nominatur ab insula Mediterranei maris; in quam primum devecta esse dicitur concha, cum in mari esset concepta.

Ille sacerdotem violat; contra illa marito
Succumbit Phrygio: coitus fuit impar utrique.
Nec terrestre Deam decuit mortalis obire
Conjugium, nec cœlicolam descendere ephebum
Virginis ad vitium, furtivoque igne calere.
Sed Venus, augusto de sanguine fœmina, vili
Privatoque viro vetitum per dedecus hæsit.
Et, si Rhea sacram lascivi Martis amore
Lusa pudicitiam fluviali amisit in ulva,
Crediderim generosæ aliquem stirpis, sed eundem
Moribus infamem, compressa virgine per vim,
Se dixisse Deum, ne stuprum numinis ullus
Objicere auderet turpi miseræque puellæ.
Hæc Italos induxit avos vel fama, vel error,
Martia Romuleo celebrarent ut sacra Campo:

Vestalem; Venus autem concubuit cum Anchise Trojano. Talis concubitus non fuit congruens ambobus. Neque id decorum fuit Deæ jungere secum hominem matrimonio terrestri; neque juveni Deo delabi e cœlo ut stupraret virginem, et flagrare amore clandestino. Venus autem mulier orta ab stirpe augusta se conjunxit per dedecus illicitum cum homine abjecto et plebeio. Sed, nisi fallor, si Rhea decepta amore impudici Martis perdidit sacram pudicitiam in herba fluvii, aliquis natus nobili genere dixit se esse Deum, postquam eam violavit per vim, ne quis auderet exprobrare infami atque infelici virgini passam fuisse stuprum Dei. Vel hæc fama, vel error impulit veteres Romanos ad facienda sacra Marti in Campo Martio, ad

Weitz. *inire* quidam.—174 *Et Citherea* P.—175 *Nisa* W. superscr.—186

NOTÆ

167 *Ille sacerdotem violat*] Iliam scilicet, sive Rheam sylviam, Numitoris Albani regis filiam. Ovid. Fast. III. 11. fuse id narrat: 'Mars videt hanc,' &c. Quæ mire concordant cum nummo Antonini Pii. In quo conspicitur Ilia, seminuda dormiens, et Mars nudus, sinistra clypeum, dextra hastam ferens, ad eam accedens; sive, ut ait Poëta: 'Et nuda effigies clypeo venientis et hasta, Pendentisque Dei.'

Marito Succumbit Phrygio] Ov. Ep. Paridis: 'Phryx etiam Anchises, volucrum cui mater amorum Gaudet in Idæis concubuisse jugis.' In nummo Trajani sine epigraphe, Venus ad dormientem Anchisem in Idam delabitur. Sed id satis notum omnibus. De Phryg. sup. De Ephebo, sup.

175 *Lusa*] Ut apud Ov. Met. VIII. 'Nec Jove tu natus, nec mater imagine tauri Lusa tua est.' Et Epist. Helenæ: 'Matris in admisso falsa sub imagine lusæ Error inest. Pluma tectus adulter erat.' De ulva, sup. Apoth. vs. 746.

181 *Martia sacra*] Ludos scilicet, quos Romulus Marti instituit per equorum cursum. Unde Equiria dicuntur. Prima autem Equiria die 27. Febr. celebrabantur, ut equitatus lustraretur. Ov. Fast. II. 856. 'Jamque

Utque Palatinis Capitolia condita saxis
Signarent titulo proavi Jovis, atque Pelasgæ
Palladis, et Libyca Junonem ex arce vocarent:

inscribenda nomina Jovis proavi, et Palladis Græcæ in templis ædificatis super saxa montis Palatini, ad vocandam Junonem ex arce Africæ, ad accersendos

NOTÆ

duæ restant noctes de mense secundo; Marsque citos junctis curribus urget equos. Ex vero positum permansit Equiria nomen: Quæ Deus in campo prospicit ipse suo.' Altera 14. die Martii peragebantur, ut numerus integraretur. Utraque in campo Martio, vel, si is aqua teneretur, in monte Cælio. Ov. Fast. III. 519. 'Altera gramineo spectabis Equiria campo, Quem Tyberis curvis in latus urget aquis. Qui tamen ejecta si forte tenebitur unda, Cælius accipiat pulverulentus equos.'

Romuleo Campo] 'Campus, qui a veteribus dictus est Martius. Illud autem nomen Romuli temporibus non habuit: sed post exactum demum Tarquinium dicatus Marti fuit. Usitatum est poëtis nominibus nomina permutare.' Hæc Fabricius. Is adhuc vulgo *Campo Marzo* nominatur: olim erat extra urbis mœnia prope portam Flumentanam. A Caia Tartatia, virgine Vestali, vel ab Acca Laurentia populo Romano donatus fuit, et Servii Tullii temporibus primo Marti sacer.

182 *Palatinis saxis*] Palatinus, unus e collibus quibus insidet Roma. Habebat ad Ortum Suburam et Cælium: ad Occasum forum Romanum et Capitolium: ad Meridiem Circum maximum et Aventinum; ad Septemtrionem viam sacram et templum Pacis. Hodie subterraneis specubus totus est quasi pensilis. In eo Romulus unam e pluribus suis habuit domum, Cæsar quoque Octavianus habuit suam. Hujus nominis variæ causæ ab auctoribus referuntur. Vide Varr. de L. L. l. IV.

Capitolia] Templa scilicet. In Capitolio enim templum Jovis fuit Romæ strui cœptum a Tarquinio Prisco, tam sanctum, tam celebre et divitiis inclytum, ut ipsius nomen sublimia quæque et insignia templa, maxime Jovi dicata, mutuentur. Quodsi velis Capitolia hic sumi pro ipsomet templo Jovis in Capitolino monte, ita ut 'Palatinis saxis' Poëta nihil aliud intelligat, quam templum conditum in monte Romano, ut sup. dixerat, 'in Campo Romuleo,' pro Romano, sive conditum ex lapidibus extractis e monte Palatino; dico Jovem, Minervam, Junonemque a Prudentio conjungi; quia in hoc templo tria cernebantur delubra. Medium Jovis erat; dextrum Minervæ; lævum Junonis: ubi, in arca lapidea servabantur libri Sibyllini. Ita Onuphrius in regione octava urbis.

183 *Proavi Jovis*] Quia Venus Jovis et Diones filia fuit. Unde apud Virg. Æn. I. 258. 'Olli subridens hominum sator atque Deorum, Vultu, quo cœlum tempestatesque serenat, Oscula libavit natæ.'

Jovis] Et sane in monte Palatino erant templa Jovis Statoris et Jovis Propugnatoris, atque ædes Jovis Victoris.

Pelasgæ] Græci omnes passim dicuntur Pelasgi; proprie tamen Thessali, qui a Pelasgo, Lycaonis Arcadiæ regis filio, ducebant originem, ita vocantur. Quis autem ignorat Græciam, ac præcipue Athenas, quibus nomen dedit Pallas, rite hanc Deam coluisse?

Cognatos de Marte Deos, Veneris quoque nudum
Accirent proceres Erycino e vertice signum:
Utque Deum mater Phrygia veheretur ab Ida,

Deos affines Marti, et statuam nudam Veneris ex monte Eryco, ad adducendam Cybelen matrem Deorum ex Ida monte Phrygiæ, et adducenda sacra Bacchi ex

Cognatos det Sparta Barth.—186 *e* deest Weitz.—188 *Bacchia* Ro. 2.—190

NOTÆ

184 *Palladis*] Delubrum quoque Minervæ positum erat in monte Palatino.

Libyes Junonem ex arce] Nempe ex urbe Carthagine, quæ caput est Africæ. 'Quam Juno,' ut ait Virg. Æn. I. 19. 'fertur terris magis omnibus unam Posthabita coluisse Samo.' Hinc Severi et Caracallæ nummis insculpta est Juno, cum hac Inscriptione: INDULGENTIA. AUGG. IN. CARTH. vecta Leone, Leo enim Africæ symbolum est, in cœlum rapitur. Ita ab Apuleio describitur lib. VI. de Asino: 'Magna Jovis germana et conjuga, sive tu Sami querulo partu, vagituque, et alimonia tua gloriaris, sive celsæ Carthaginis, quæ te virginem vectura leonis cœlo commeantem percolit.'

Libyes] Libya latissime pro Africa passim sumitur. Claud. Carm. XV. 2. 'Rectore sub uno Conspirat geminus frænis communibus orbis: Junximus Europen Libyæ.'

185 *Cognatos de Marte Deos*] 'De Marte gentis Romanæ auctore agit,' inquit Heinsius, 'Marti cognatos Deos subjungit, ob eundem Romæ cultos.' Giselinus vero putat cognatos vocari, 'quod sorte bellica victi similiter Romam traducti essent.' Addit tamen quod suspicetur legendum esse, *cognatos de matre Deos*. Ita ut sermo sit de Castore et Polluce, qui, quod Leda a Jove compressa ex eodem ovo eos peperit, licet alter patrem habuerit Tyndarum, alter Jovem, fratres finguntur a poëtis. Quæ lectio multum mihi arridet. Sed nihil immuto.

Veneris nudum signum] Venerem nudam depingi docent nummi et scriptores. Ov. A. A. lib. III. 'Nuda Venus madidas exprimit arte comas.' Arnobius lib. VI. 'Venus nuda ac aperta depingitur.' De Venere sup.

186 *Erycino*] Eryx, mons Siciliæ; hodie *Monte di S. Giuliano* dicitur.

187 *Deum mater*] Jovem enim peperit, Junonem, Neptunum, Plutonem. Quare Ov. Fast. IV. 'Cum Dea, sensit enim, Illa Deos, inquit, peperit. Cessere parenti, Principiumque dati mater honoris habet.' Sæpe etiam in nummis Faustinæ et Juliæ Severi leguntur hæ Inscriptiones: MATER. DEUM. MATRI. DEUM. SALUTARI.

Phrygia veheretur ab Ida] Quingentesimo Urbis anno Pontifex maximus libros Sibyllinos Romana fata continentes legit. Carmen, quod inspexit, fuit tale: 'Mater abest: matrem jubeo, Romane, requiras.' Obscura hæc erant: consulitur Apollo: 'Divumque arcessite matrem, Inquit: in Idæo est invenienda jugo.' Tum M. Valerius Lævinus, M. Cæcilius Metellus, Sulpitius Galba, C. Tremelius Flaccus, et M. Valerius Falco mittuntur ad Attalum regem Pergamensium: 'qui legatos,' teste Livio, 'comiter acceptos Pessinuntem in Phrygiam deduxit; sacrumque iis lapidem,

Bacchica de viridi peterentur ut orgia Naxo :
Facta est terrigenæ domus unica majestatis,
Et tot templa Deum Romæ, quot in urbe sepulcra
Heroum numerare licet : quos fabula Manes
Nobilitat, noster populus veneratus adorat.
Hos habuere Deos Ancus, Numitor, Numa, Tullus :
Talia Pergameas fugerunt númina flammas.
Sic Vesta est, sic Palladium, sic umbra penatum,

Naxo viridi. Nunc omnes Dei terrigenæ habent easdem sedes ; et Roma condidit tot templa Deorum, quot numerántur in Orbe sepulcra heroum. Populus Romanus colit supplex Manes, quos fabula finxit. Ancus Marcius, Numitor, Numa Pompilius, Tullus Hostilius adoraverunt hos Deos. Qui Dei fugerunt incendium Trojæ. Vesta, Pallas, et simulacra Penatum, pro Diis sunt propter talem timo-

orbe Weitz. Ro. 2. T.—191 *manens* Eg.—196 *antiquam* Bodl. *terra asservavit*

NOTÆ

quem matrem Deum esse dicebant, tradidit.' Hunc facit Arnobius coloris furvi atque atri, angulis prominentibus inæqualem : unde magnes vere creditus. Romani igitur Deum matrem in navem impositam in Italiam transportant ; ipsique templum insigne ponunt in decima Urbis regione. Vide Ov. Fast. IV. 250. De Phrygia, sup. De Cybele, sup. Perist. X. 155. et 196. De Ida, vs. 155.

188 *Naxo*] Naxos insula est Ægei maris Cycladum clarissima, quæ et Dionysias dicta fuit, vel quod hospita Baccho fuerit, vel quod vini fertilitate alias Cycladas vincat. Virg. 'Bacchatamque jugis Naxon, viridemque Donysam.' Semel atque iterum apud Goltzium Bacchi effigies, seu potius Herculis ebrii, et uva reperiuntur, cum hac Inscript. ΝΑΞΙΩΝ. De Orgiis, sup. De Manibus, sup. Psych. vs. 92.

193 *Ancus*] Ancus Marcius, nepos Numæ Pompilii ex filia, quartus Romæ, annos tres et viginti regnavit. Janiculum ab eo munitum fuit, et sublicio ponte junctus Tiberis : Ostia condita.

Numitor] Rex Albanorum, Procæ Sylvii filius, et Rheæ Sylviæ pater, qui a fratre Amulio regno ejectus, a Romulo et Remo nepotibus, occiso Amulio, restitutus est.

Numa] Numa Pompilius Romulo successit : et annos 43. regnavit. Vide sup.

Tullus] Tullus Hostilius successor fuit Numæ Pompilii, ac regnavit annos 32.

194 *Pergameas flammas*] Pergamus enim arx fuit Trojana, in editissimo urbis loco sita. Æneas autem, per incendii tumultum hanc ingressus arcem, Deos inde extulit, et detulit in Italiam. Forte etiam Hector in somnis in Æneæ domum, e templo quod erat in arce, et cum iis imperium a Priamo in Æneam transtulerat ; ut ait Virg. Æn. II. 297.

195 *Sic Vesta est*] Unde illud Petron. 'Primus in orbe Deos fecit timor.'

Vesta] Per Vestam intelligit, vel unum ex Penatium simulacris, vel ignem ipsum æternum. Quia, ut testatur Ov. Fast. VI. 291. 'Nec tu aliud Vestam quam vivam intellige

Talis et antiquum servavit terror asylum.
Ut semel obsedit gentilia pectora patrum
Vana superstitio, non interrupta cucurrit
Ætatum per mille gradus: tener horruit hæres,
Et coluit, quicquid sibimet venerabile cani
Monstrarant atavi: puerorum infantia primo
Errorem cum lacte bibit: gustaverat inter
Vagitus de farre molæ: saxa illita ceris
Viderat, unguentoque lares humescere nigros.

rem: et timor similis servavit antiquum asylum. Ut semel animi majorum idololatrarum susceperunt falsam religionem, ea venit ad posteros sine ulla intermissione per multos annos. Liberi tractabiles timuerunt, et adoraverunt id omne, quod parentes senes docuerant venerabile esse. Infantes prima ætate suxerunt errorem cum lacte. Vagientes manderant far placentæ: viderant statuas oblitas cera, et

A. *sacravit terror* Gronov.—201 *prima* quidam.—209 *Impressit* Eg. P.—

NOTÆ

flammam.' Vide sup. Templum Vestæ, ubi Palladium servabatur, fuit in octava Urbis regione.

Palladium] Statua fuit Palladis eo ritu consecrata, ut crederent urbem, in qua esset, inexpugnabilem fore. Vide sup.

Umbra penatum] Penates, Dii domestici, qui in interiore domo colebantur, et divina erant origine. Iis tamen in regione Urbis octava templum structum fuit. In nummo familiæ Antiæ, cum Epigraphe: DEI PENATES: duo capita juvenilia, quorum alterum etiam fascia cinctum, Deorum Penatum imagines referunt. Quod favet iis, qui volunt Deos Penates esse Trojanorum Apollinem et Neptunum.

196 *Antiquum servavit asylum*] I. e. timor quoque causa fuit, cur nemo ausus fuerit Asyli leges et jura violare. Asylum autem locus erat a Romulo constitutus inter querceta duo, Capitolinumque et Palatinum: quo quicumque confugerent e vicinis urbibus, salvi ac securi essent. Virg. Æn. VIII. 342. 'Hinc lucum ingentem, quem Romulus acer Asylum retulit.'

202 *Errorem cum lacte bibit*] Hymno S. Rom. vs. 685. 'Lac parvus hausi, Christum et hausi credere.' Adi Perist. X. 685. De Mola, sup. Apoth. vs. 199.

203 *Saxa illita ceris*] Jam monui quid sit intelligendum, per, 'incerare genua Deorum.' Vid. sup. Apoth. vs. 457. et Hamart. vs. 405.

204 *Unguentoque humescere*] Simulacra olim a veteribus oleo, minio, atque unguentis perfusa fuisse quis ignorat? Plin. XXXIII. 7. 'Enumerat auctores Verrius, quibus credere sit necesse, Jovis ipsius simulacri faciem diebus festis minio illini solitam.' Et Arnob. lib. VIII. 'Ut tam luculento die in lapides eum patiaris impingere, effigiatos sane, et unctos, et coronatos.'

Lares nigros] Quia erant non longe a foco. Eorum templum fuit quoque in octava Urbis regione.

Formatum Fortunæ habitum cum divite cornu,
Sacratumque domi lapidem consistere parvus
Spectarat, matremque illic pallere precantem.
Mox, humeris positus nutricis, trivit et ipse
Impressis silicem labris, puerilia vota
Fudit, opesque sibi cæsa de rupe poposcit:
Persuasumque habuit, quod quis velit, inde petendum.
Nunquam oculos animumque levans rationis ad arcem
Retulit; insulsum tenuit sed credulus usum,
Privatos celebrans agnorum sanguine Divos.
Jamque domo egrediens, ut publica festa diesque
Et ludos stupuit, celsa et Capitolia vidit,
Laurigerosque Deum templis astare ministros,

fumosos Lares fieri humidos unguento. Parvi viderant effigiem Fortunæ depictam cum cornu abundantiæ, et sacras statuas consistere domi, atque matres supplices pallere ante illos. Deinde innixi humeris nutricum ipsimet fricuerunt saxa labiis impressis: fecerunt vota puerilia; et imploraverunt auxilium ab imaginibus cæcis: vel crediderunt ab iis petendum esse id, quod unusquisque velit. Nunquam attollentes oculos et animas retulerunt ad examen rationis. Sed creduli servaverunt stultum ritum, honorantes Deos domesticos sanguine agnorum. Jamque exeuntes domo, statimatque mirati sunt festa publica, et dies festos, et ludos; necnon intuiti sunt altum Capitolium, et sacerdotes laurigeros in templis Deorum, et sacram

210 *opemque* Weitz. *cæca* Weitz.—211 *quid quis* A. F. B.—212 *animamque*

NOTÆ

205 *Fortunæ*] Fortunæ hoc insigne fuisse nemini latet. Nummi, poëtæ, oratores ipsi passim docent. Id unum addam, forte Prudentium hic loqui de Fortuna Primigenia: cujus in gremio pueri sedere dicuntur, ut olim Jupiter; de quo Cic. de Div. 'Is est hodie locus septus religiose propter Jovis pueri signum, qui lactens cum Junone in gremio Fortunæ sedens, et mammam appetens, castissime colitur a matronis.' Et apud Gruter. FORTUNÆ. JOVIS. PUERI. PRIMIGENIÆ. &c. Cujus templum fuit in sexta Urbis regione.

Divite cornu] De copiæ cornu varie loquuntur auctores, atque ipsemet Ov. Met. IX. 85. Achelous in taurum mutatus victus fuit ab Hercule, alteroque cornu mutilatus; quod Nymphæ suscipientes omni fructuum genere repleverunt, ac Copiæ fertilitatis Deæ dicarunt. 'Rigidum fera dextera cornu Dum tenet, infregit; truncaque a fronte revellit. Naides hoc pomis et odoro flore repletum Sacrarunt; divesque meo bona Copia cornu est.' Vero Fast. v. 120. capra, quæ officio nutricis functa est in Jove educando, dum irruit in arborem cornibus, alterum e duobus fregit. Jupiter autem, ubi cœli regnum occupavit, capram in sidera transmutavit, atque ipsius cornu fecit fertile. 'Sidera nutricem, nutricis fertile cornu Fecit.'

217 *Laurigeros astare ministros*] Hoc est, qui manu laurum gererent, quo-

Ac Sacram resonare Viam mugitibus, ante
Delubrum Romæ: (colitur nam sanguine et ipsa
More Deæ, nomenque loci ceu numen habetur:
Atque Urbis Venerisque pari se culmine tollunt
Templa: simul geminis adolentur thura Deabus:)
Vera ratus, quæcumque fiant auctore senatu,

viam percrepare clamoribus prope templum Romæ. Nam Roma ipsa adoratur victimis tanquam Dea, et nomen Urbis creditur divinitas quædam: quare Roma et Venus coluntur in eodem templo, et thus incenditur simul duabus Deabus. Putantes omnia, quæ fiunt auctoritate Senatus, esse vera, habuerunt fidem statuis, et

---

P. Eg.—223 *fiunt* W. in marg. *fiunt* C. *quæcumque senatu auctore proben-*

NOTÆ

ties lætitiam nova victoria attulisset, in gremio Jovis optimi maximique deponendam. Auctor Plin. xv. 30. Quem ad morem respexit Sil. Ital. lib. xv. 'Sed dabo, qui vestrum sævo nunc Marte fatigat Imperium, superare manu, laurumque superbam In gremio Jovis excisis deponere Pœnis.' Vel, qui coronati essent lauro. Nam, teste Varr. in Fragm. l. II. 'Lauro sacrificantes apud aram maximam coronantur: sed, multo post Romam conditam, hæc consuetudo sumsit exordium, postquam in Aventino lauretum cœpit virere.' Lipsius quoque ad I. Ann. Taciti id probare conatur. De Capitolio sup. vs. 182.

218 *Sacram Viam*] Via Romæ ab arcu Constantini ad arcem Titi, ac ad Capitolium usque per Forum Romanum. Propert. Eleg. II. 1. 'Actiaque in sacra currere rostra via.'

219 *Delubrum Romæ*] In nummis Hadriani, Antonini Pii, et Claudii, templum sex columnarum cernitur, in cujus meditullio Roma, cum hac Inscriptione: ROMÆ ÆTERNÆ. Smyrnæi apud Tacit. Ann. lib. IV. et Alabandenses apud Liv. lib. XXXV. templum urbis Romæ se fecisse commemorant, ludosque anniversarios ei Divæ instituisse.

220 *Nomenque loci ceu numen habetur*] Unde Martialis eam his alloquitur: 'Exaudi regina tui pulcherrima mundi, Inter sidereos Roma recepta polos.'

221 *Atque Urbis Venerisque pari se culmine tollunt Templa*] Loquitur hic de templo, quod Hadrianus Romæ et Veneri posuit, Pompeiano et Attiliano Coss. ut testatur Cassiodorus in Chronico. 'His,' inquit, 'Consulibus templum Romæ et Veneris factum est, quod nunc Urbis appellatur.' Idem habet Xiphilinus ex Dione Cassio in Hadriano. Idem Ammianus Marcellinus lib. XVI. Hinc in nummo Hadriani templum, in quo multæ figuræ sacrificantes, cum hac Inscript. URBS. ROMA. ÆTERNA. Claudianus vero Carm. XXII. 226. tum situm templi, tum pulchritudinem et magnificentiam ostendit: 'Notoque moras auferre paratæ Conveniunt ad tecta Deæ, quæ candida lucent Monte Palatino.' Ex quibus colligere est Weitzium errasse, qui Romæ templum in quarta regione collocat. Templum enim in quarta regione positum dicatum erat Romæ et Augusto.

Contulit ad simulacra fidem, dominosque putavit
Ætheris, horrifico qui stant ex ordine vultu.
Illic Alcides, spoliatis Gadibus, hospes
Arcadiæ fulvo ære riget: gemini quoque fratres
Corrupta de matre nothi, Ledeia proles,
Nocturnique equites, celsæ duo numina Romæ
Impendent retinente veru, magnique triumphi
Nuntia suffuso figunt vestigia plumbo.

crediderunt illos, qui terribiles visu collocati sunt ex ordine, esse dominos cæli. Illic Hercules, qui, Gadibus devictis, hospes fuit Evandro, fulget ære rufo. Duo etiam fratres, spurii ex matre stuprata, filii Ledæ, equites nocturni, et duo Dii tutelares altæ Romæ impendent innixi mucrone, et inferunt plumbo suffuso gressus,

tur T. A. Eg. P.—227 *Arcadii* Gronov. *Archadiæ* Weitz. W. B. *Arcadis e fulvo* Heins. ex conj.—230 *retinentque* Weitz. Ro. 1. *retinente solo* Ro. 2. A.

NOTÆ

226 *Alcides*] Hercules dictus est Alcides ab Alcæo Amphitryonis patre.

Spoliatis Gadibus] Ex eo fit ut nummorum Hadriani, qui Herculem innixum clava, hinc fluvium, illinc dimidiam navem exhibent, ea sit Inscriptio: HERC. GADIT. id est, Herculi Gaditano. De Herculis victoria vide Virg. Æn. VII. 662.

Gadibus] Gades insula cum urbe cognomine extremo Hispaniæ littori adjacens, extra maris Mediterranei ostium, quod ab ea Gaditanum fretum appellatur. Hispani putant in ea columnas Herculis fuisse. Ubi etiamnum ostendunt turres duas dictas, *Torres de Ercole*, prope Gades.

Hospes Arcadiæ] Pro Arcadis hospite, per quem Evander designatur. Vide Virg. Æn. VIII. 51. 'Arcades his oris, genus a Pallante profectum, Qui regem Evandrum comites, qui signa secuti, Delegere locum.' Sed durus ille omnino atque insolens loquendi modus. Quare Gronovio castigandum videbatur *Arcadii*, Heinsio vero, *hospes Arcadis e fulvo ære riget*.

227 *Arcadiæ*] Arcadia regio est Peloponnesi media; ab Arcade Jovis et Calisti filio nomen habuit.

229 *Nocturni equites*] Quia P. Vatinio sese nocte venienti obtulerunt.

Duo numina Romæ] His A. Postumius dictator templum vovit, et exstruxit, ad lacum Juturnæ in octava Urbis regione: Castoris et Pollucis, seu Castorum templum vocabatur.

230 *Impendent retinente veru*] Hastati semper exhibentur. In nummo Getæ, cujus Inscriptio est, CASTOR. Geta juvenis Severi imp. filius, sub forma Castoris, sinistra hastam tenet. In nummo quoque Familiæ Scriboniæ, cum Epigraphe, C. SCR. ROMA. Castor et Pollux hastati cernuntur.

Magnique triumphi Nuntia figunt vestigia] 'Castor et Pollux bello Macedonico equis albis insidentes P. Vatinio, Romam nocte venienti, se obtulisse dicuntur, nuntiantes, eo die regem Persen victum atque captum. Quod paucis post diebus literæ Pauli verum esse docuerunt.' Lactant. II. 8.

231 *Figunt vestigia plumbo*] Pagani Deorum suorum statuas effuso plum-

Assistunt etiam priscorum insignia regum,
Tros, Italus, Janusque bifrons, genitorque Sabinus,
Saturnusque senex, maculoso et corpore Picus,
Conjugis epotum sparsus per membra venenum.
Omnibus ante pedes posita est sua cuïque sordens
Arula. Jano etiam celebri de mense litatur

ut annuntient insignem triumphum. Æneas, Italus, et Janus bifrons, et pater Sabinus, et senex Saturnus, et Picus, cujus corpus tinctum est variis coloribus, quia sparsit per artus venenum Circes potum, et signa veterum regum astant. Unusquisque habet aram sordidam ante pedes suos. Atque etiam mense Januario dicto a

—231 *suffosso* Eg. P.—233 *Dux Italus* Weitz. B. W. sed in W. *Salius* superscr. *Dros Italus* Bodl.—236 *cuique vetustus* P. Eg. *vetusta* W. in marg.

NOTÆ

bo, ne hiscerent et solverentur, atque eo consilio ne fugiendi potestas iis esset. Unde Arnobius. lib. VI. 'Si permanendi necessitatem patiuntur, quid miserius his esse, aut quid infelicius poterit, quam si eos in basibus ita unci retinent, et plumbeæ unctiones?' Quod respexit Prudentius.

232 *Assistunt etiam priscorum insignia regum*] Ita Virg. Æn. VII. 177. 'Quinetiam veterum effigies ex ordine avorum Antiqua e cedro, Italusque, paterque Sabinus Vitisator, curvam servans sub imagine falcem, Saturnusque senex, Janique bifrontis imago, Vestibulo astabant.'

233 *Tros*] *Dux Italus* olim legebatur perperam. *Tros* Æneam designat. Ita enim eum alloquitur Sibylla apud Virg. Æn. VI. 52. 'Cessas in vota precesque, Tros, ait, Ænea?'

Italus] Siculorum rex, qui nomine suo Italiam nuncupavit.

Janus bifrons] Iis, quæ dixi sup. addam, Janum non solum bifrontem in nummis effingi, verum etiam quadrifrontem, ut in nummo Hadriani. Macrob. Sat. I. 9. Servius ad illud Æn. VII. 'Sunt geminæ belli portæ,' P. Victor, de regionibus urbis, Jani quadrifrontis meminerunt. Duo templa Jano posita fuere Romæ; alterum in octava regione, alterum in nona prope theatrum Marcelli.

Genitorque Sabinus] Filius Sanci, qui nomen dedit Sabinis, genti ex Oscis Ausonibus oriundæ. De Saturno sup. vs. 42.

234 *Maculoso et corpore Picus*] Picus patri Saturno successit in regno Latii. Totam ipsius historiam tribus quatuorve versibus comprehendit Virg. Æn. VII. 188. 'Lævaque ancile gerebat Picus, equum domitor: quem capta cupidine conjux Aurea percussum virga, versumque venenis, Fecit avem Circe, sparsitque coloribus alas.' Adi Ov. Met. XIV. 322.

237 *Jano etiam celebri de mense litatur, &c.*] Kalendæ Januariæ apud Romanos dies fuit totius anni celebrior novo magistratu, novis munusculis, variisque superstitionibus, quas tangit Ov. Fast. I. 65. In templis et pro foribus multa odorem facientia cremabantur. Moris erat, ut quicumque munus aut artem aliquam exerceret, leviter aliquid libaret, auspicii saltem causa; propterea hunc diem veteres vocarunt auspicalem. Ov.

Auspiciis epulisque sacris, quas inveterato,
Heu miseri, sub honore agitant, et gaudia ducunt
Festa Kalendarum: sic observatio crevit,
Ex atavis quondam male cœpta: deinde secutis
Tradita temporibus, serisque nepotibus aucta,
Traxerunt longam corda inconsulta catenam,
Mosque tenebrosus vitiosa in sæcula fluxit.
Hunc morem veterum docili jam ætate secuta

Jano sacrificant ipsi auspiciis et sacris conviviis: quæ eheu stulti celebrant juxta ritum veterem, et renovant gaudia solennia kalendarum. Reverentia olim male inducta a majoribus, postea recepta sæculis posteris, et sero amplificata a nepotibus ita crevit. Corda imprudentia sibi nexuerunt longam catenam, et mors tenebricosa permanavit in tempora depravata. Posteri, tempore jam docili, tenentes illam

—237 *Agna Janoque* Eg. P.—246 *mensa* P. C.—256 *tam* W. *fulcrum et geniale*

NOTÆ

'Totus ab auspicio ne foret annus iners.' Primum Jano sacrificabant, thus et merum offerentes: quamvis alios Deos placaturi essent, et illis sacrificaturi. Ov. 'Jane, tibi primo thura merumque fero.' Dabant alternas accipiebantque preces. Deorum ædes apertæ erant. Denique strena, id est, munus aliquod, dari accipique solebat. Præcipue vero amici suis mella, palmulas, et caricas missitabant. Ita Ov. Fast. I. 185. et Sen. Ep. 87.

239 *Gaudia ducunt Festa Kalendarum*] Præcipue vero, quia Romani, boni ominis gratia, suis Principibus vel consulatum gerentibus annum novum incipientem lætis precationibus auspicabantur, ac solennia vota pro ipsorum incolumitate ac felicitate solvebant. Quod et Senatus, et populus, et Pontifices, et Sacerdotes, omnesque ordines faciebant. Ibant cum Consulibus inituris magistratum, immolatum Jovi optimo Maximo, in arcem Capitolinam. Mactabantur, teste Ovid. lib. I. Fast. juvenci operis expertes. Consules vero post sacra magistratum inibant. Id verum nummi clamant. Inter ceteros nummus æreus primæ magnitudinis, in honorem Antonini Pii percussus. Exhibet ab uno latere ipsius Antonini caput cum titulo, IMP. T. ÆL. CÆS. HADR. ANTONINUS. AUG. PIUS. ab alio latere lauream Antonino dicatam refert, in qua, S. P. Q. R. A. N. F. F. OPTIMO PRINCIPI. PIO, id est, Senatus populusque Romanus annum novum faustum, felicem optimo principi Pio. Capitolinum tamen consule in Pertinace, Tertullianum in libro de Corona Militis, Dionem, et alios, qui hac de re scripserunt.

240 *Kalendarum*] Romani menses singulos tres in partes tribuebant, Kalendas, Nonas, et Idus. Kalendæ certam sedem semper occupant, primum cujusque mensis diem. Nonæ in Martio, Maio, Julio, et Octobri septimum, Idus decimum-quintum: in reliquis Nonæ quintum, Idus decimum-tertium. Quia vero ii mense lunari utebantur, ubi Pontifex primum Lunæ aspectum observasset, vocata in Capitolinum plebe, quot dies

Posteritas mense, atque adytis, et flamine, et aris
Augustum coluit, vitulo placavit et agno.
Strata ad pulvinar jacuit, responsa poposcit.
Testantur tituli, produnt consulta senatus,
Cæsareum Jovis ad speciem statuentia templum.

consuetudinem patrum venerati sunt Augustum mense, et templis, et sacerdotibus, et aris; ipsi immolaverunt vitulum et agnum; prostrati jacuerunt prope pulvinaria; petierunt oracula. Inscriptiones illud declarant, atque decreta Senatus, quibus jubet templum poni Cæsari non secus ac Jovi. Statuit etiam sacrificium Liviæ, ut

NOTÆ

ad Nonas superessent, prædicebat; Kalendæ dictæ sunt a καλῶ, voco.

246 *Mense*] Sextilis mensis Augustus appellatus est, Augusti nomine, ut qui imperio felicissimus. Eo enim mense Octavius Cæsar primum consulatum iniit, Ægyptum in potestatem populi Romani redegit, ac bellis civilibus finem imposuit.

Adytis] Adytum locus secretior templi, quem soli sacerdotes ingrediebantur.

Flamine] De Flaminibus Augusti et Sacerdotibus plena sunt omnia monumenta. Corn. Tacit. lib. I. 'Nihil Deorum honoribus relictum, cum se templis et effigie numinum per flamines et sacerdotes coli vellet.' Quæ verba exponens Lipsius, ostendit in tale sacerdotium non solum ascriptos fuisse viros, sed etiam fœminas; ut colligere est ex variis lapidum inscriptionibus, quas affert; et ex Ov. verbis de Pont. IV. 105. 'Nec pietas ignota mea est: videt hospita tellus In nostra sacrum Cæsaris esse domo. Stant pariter natusque pius, conjuxque sacerdos, Numina jam facto non leviora Deo.' Livia enim prima fuit Augusti sacerdos.

Et aris] Ei aras erexisse Ubios, Tarraconenses, Lugdunenses, et Narbonenses probat Jacobus Campius apud Fr. Modium Ep. 3. Hinc Hor. Epist. II. 1. 'Præsenti tibi maturos largimur honores, Jurandasque tuum per nomen ponimus aras.'

247 *Augustum coluit*] Octavium Cæsarem, Accia sororis Julii filia genitum, et testamento Julii Cæsaris adoptatum.

Vitulo placavit et agno] Virgil. Ecl. I. 7. 'Namque erit ille mihi semper Deus: illius aram Sæpe tener nostris ab ovilibus imbuet agnus.' Ubi Servius: 'Semper,' inquit, 'i. e. post mortem, et dum vivit, alii imperatores post mortem in numerum referuntur Deorum, Augustus templa vivus emeruit.'

248 *Responsa poposcit*] Hinc rescripta Imperatorum Oracula passim appellantur. Q. Symmach. Epist. X. 21. 'Expectamus Oraculum, quo salutariter, ut vestro numini familiare est, patrum decreta firmetis.' Claudian. Carm. XVII. 34. 'Terris edicta daturus, Supplicibus responsa, venis: oracula regis Eloquio crevere tuo.' Et Suet. Neron. cap. 21. 'Flagitantibus cunctis cœlestem vocem, respondit, in hortis se copiam sui volentibus facturum.'

249 *Consulta senatus*] Nam legibus Romanorum cautum erat diserte, ut proconsulibus jus esset permittendi, quo templa sibi et monumenta ponerentur. Cic. ad Att. 'Nullos honores mihi nisi verborum decerni sino: statuas, fana, τέθριππα prohibeo.'

250 *Jovis ad speciem*] Certum est olim moris fuisse, ut qui simulacrum

Adjecere sacrum, fieret quo Livia Juno,
Non minus infamis thalami sortita cubile,
Quam cum fraterno caluit Saturnia lecto.
Nondum maternam partu vacuaverat alvum,
Conceptamque viri sobolem paritura gerebat
Pronuba; jam gravidæ fulcrum geniale paratur:
Jam sponsus, saliente utero nubentis, amicos
Advocat, haud sterilem certus fore jam sibi pactam.

ea fieret altera Juno, cum consors fuisset lecti thalami æque probrosi ac Juno, quando expetiit consortem esse lecti fratris. Nam Livia nupta nondum exinaniverat partu uterum maternum; et gravida ferebat filium Tiberii Neronis sui mariti conceptum. Jam lectus puerperii præparabatur prægnanti. Jam Tiberius maritus, certus suam uxorem fore fœcundam, quia puer saliebat in utero Liviæ, vocarat amicos.

NOTÆ

Imperatori consecrare vellent, in exemplar sumerent nobile aliquod alicujus Dei signum. Id omnes nummi clamant. Quare puto a Romanis Augustum ad Jovis similitudinem formatum fuisse.

Statuentia templum] Lege Dionis historias Victor. in Augusto: 'Hinc uti Deo Romæ provinciisque omnibus per urbes celeberrimas vivo mortuoque templa, sacerdotes, et collegia sacravere.' Qua in re longe dissentit a Tacito, Suetonio, aliisque, qui una voce templa vivo Augusto fuisse in urbe exstructa negant; sed aras tantum ei genioque ejus positas fuisse volunt. Quodsi a communitatibus Asiæ, a Græcis provinciis, aliisque Romano imperio subjectis templa exstructa sunt Augusto, 'ea,' ut verbis Suetonii in Augusto cap. 52. utar, 'in nulla provincia, nisi communi suo Romæque nomine recepit.' Ex eo fit ut in nummis Augusti, ubi templum cum duabus columnis, quarum acroteriis Victoria insistit, hæc Inscriptio legatur: ROM. ET. AUG. Romæ et Augusto. 'Templum' vero, 'ut in colonia Tarraconensi strueretur Augusto,' mortuo quidem, 'petentibus Hispanis permissum; datumque in omnes provincias exemplum.' Romani quoque paulo post templum Augusto posuerunt; quod Onuphrius in octava regione collocat. De eo hæc habet Dion: 'Decretum quoque Romæ Augusto sacrarium a Senatu: a Livia autem et Tiberio factum.'

251 *Livia*] Livii Drusi Calidiani filia.

Juno] Eo nomine affecta fuit a poëtis etiam viva. Ov. 'Cum tibi contigerit vultum Junonis adire.' Nec, quod consecrata fuerit habitu et nomine Junonis, mirum videbitur iis, qui not. ad vs. 250. legerint.

254 *Nondum maternam, &c.*] Rem totam accipiamus a Suet. II. 62. 'Sponsam habuerat adolescens,' Octavius Augustus, 'P. Servilii Isaurici filiam; sed reconciliatus post primam discordiam Antonio, et postulantibus utriusque militibus, ut et necessitudine aliqua jungerentur, privignam ejus Claudiam, Fulviæ ex P. Clodio filiam, duxit uxorem, vix dum nubilem. Ac simultate cum Fulvia Socru exorta, dimisit intactam adhuc et virginem. Mox Scriboniam in matrimonium accepit, nuptam ante duobus consularibus, et ex altero etiam matrem. Cum hac etiam divortium

Vitricus antevenit tardum præfervidus ortum
Privigni nondum geniti: mox editur inter
Fescennina novo proles aliena marito.
Idque Deum sortes, id Apollinis antra dederunt
Consilium: nunquam melius nam cedere tædas
Responsum est, quam cum prægnans nova nupta jugatur.
Hanc tibi, Roma, Deam, titulis et honore sacratam

Augustus vero incensus amore fit vitricus ante nativitatem lentam privigni nondum nati. Deinde is novus maritus auctus est filio alieno nascente inter versus fescenninos. Oracula Deorum, et responsa Apollinis dederunt illud consilium. Nam dixerunt nunquam matrimonium succedere felicius, quam cum nova maritata nubit, dum est gravida. O Romani, adoratis illam titulis, et sacrificiis solennibus tanquam Deam,

Weitz. T. Bodl. *parantur* Bodl.—262 *Utque Deum sortes, sic* Gif. Ind. Lucr. p. 342. *Atque Deum* Eg. P.—263 *credere* Eg. W. superscr. P. *thedas* P.—

NOTÆ

fecit, pertæsus, ut scribit, morum perversitatem ejus: ac statim Liviam Drusillam matrimonio Tiberii Neronis, et quidem prægnantem, abduxit.'

259 *Vitricus*] Octavius Augustus, Drusi matris maritus.

260 *Privigni nondum geniti*] Drusi Liviæ et Tiberii Neronis filii. Livia enim, posteaquam nupsit Augusto, ante tres menses exactos peperit Drusum.

261 *Fescennina*] Fescennini versus a Fescennina Tusciæ urbe dicuntur. Ii temere compositi et rudes nascentis adhuc Romanæ poëseos primordia fuere. Romani in conventibus suis ac festis solennibus, ut sese jucunditati traderent, eos inter epulas usurpabant, sibi invicem jocularia dicta obscœnitate et opprobriis referta jacientes. Vide Hor. Epist. ad Augustum: 'Fescennina per hunc inventa licentia morem Versibus alternis opprobria rustica ludit.'

Proles aliena] Memini tamen me legere Augustum Liviam fecisse prægnantem ex consuetudine adulterii, antequam eam duxisset uxorem; ac plurimos illud palam et aperte ipsi objecisse.

262 *Apollinis antra*] Tacitus et Dio, non Apollinem, sed Pontifices consultos scribunt.

263 *Nunquam melius cedere tædas*] Augustus enim, ut testatur Suet. loc. cit. liberos ex Julia suscipere maxime cupiebat.

265 *Deam*] Claudius rerum potitus, Aviæ Liviæ divinos honores, et Circensi pompa currum elephantorum Augustæo similem decernendum curavit, ut Suetonius refert in Claudio cap. 11. Effigie ejus in templo Augusti consecrata, sacrisque, quæ Vestales facerent, institutis: edicto etiam, ut per nomen ejus fœminæ jurarent. Ita Dio lib. LX. Extat nummus, cujus pars aversa carpentum exhibet, cui subjuncti duo muli, cum hac Inscriptione: S. P. Q. R. JULIÆ AUGUSTÆ. Certum enim est, post mariti excessum, non Liviam sed Juliam fuisse vocatam: etsi Scriptores Latini fere nomen vetus retinuerunt. In nummis enim multis extant hæ, similesque Inscriptiones: IOTΛIA

Perpetuo, Floras inter Veneresque creasti.
Nec mirum: quis enim sapiens dubitaverit, illas
Mortali de stirpe satas vixisse, et easdem
Laude venustatis claras, in amoribus, usque
Ad famæ excidium, formæ nituisse decore?
Quid loquar Antinoum cœlesti in sede locatum?
Illum delicias nunc Divi principis: illum

et retulistis in numerum Floræ et Veneris. Neque miror. Quis enim sapiens dubitaverit has Deas ortas satu hominum vixisse; necnon illas insignes pulchritudine excellenti claruisse gratia formæ in amoribus, ita ut amiserint pudicitiam. Quid? Dicamne Antinoum relatum fuisse in Deos, ipsum fuisse voluptatem Hadriani nunc

264 *vocatur* W. superscr.—267 *dubitaverat* Weitz.—270 *enituisse* Weitz.—272.

NOTÆ

ΣΕΒΑΣΤΗ. et, ΘΕΙΑΣ ΙΟΥΛΙΑΣ ΣΕΒΑΣΤΗΣ. et, JULIA AUGUSTA GENITRIX ORBIS. Carpentum autem erat vehiculum, quo Circensi pompa Deorum tantum imagines a mulabus trahebantur.

266 *Creasti*] Populus Romanus Liviæ valde addictus fuit, adeo ut illam matrem patriæ vocarit, quia multis saluti fuit, et Augustum ad mitiora consilia perduxit, plurimorumque liberos educavit, filiasque elocavit; ut auctor est Dion.

271 *Antinoum*] Antinous, puer Bithynicus, Hadriani deliciæ.

Cœlesti in sede] De hoc scriptum est in Athanasio Orat. contra Gent. satis luculenter: 'Et nunc Antinous Hadriani Imperatoris Romanorum amasius, quem non ignari hominem fuisse, et hominem nequaquam sanctum, sed potius stupris et propudiis plenum, ob metum præcipientis in cultu ac veneratione habent. Cum enim profectus esset in Ægyptum Hadrianus, defunctum ibi voluptatis suæ ministrum publico edicto statuit, ut sacrificiis colerent.' Hinc in nummo Antinous in equo caduceum tenens cernitur, ut Mercurium referat. Nam, ut jam monui, Imperatores Jovis habitu honorabant, Augustas, Junonis, aut Cereris; puellas, Veneris, pueros Cupidinis, juvenes Liberi aut Mercurii insignibus.

272 *Nunc Divi principis*] Loquitur Prudentius de templo Alexandriæ Hadriani honori consecrato, et verso postea in prætorium Licinnianum. Narrat quoque Epiphanius a Constantino Imperatore ædem sacram ibi positam fuisse, et de nomine Gregorii Meletiani appellatam. Adi Casaubon. ad illud Spartiani: 'Sibi eodemque modo per Asiam iter faciens templa sui nominis consecravit.' Etiam Romæ postea templum illi, sed mortuo, constitutum; ut testatur Spartianus: 'Templum,' Hadriano scilicet, 'pro sepulcro apud Puteolos constituit; et quinquennale certamen, et flamines, et sodales; et multa alia quæ ad honorem quasi numinis pertinerent. Quare multi putant ob hæc Antoninum Pium dictum.' Et Capitolinus in Vero: 'Antoninus Pius ea occasione, quia patris templum dedicabat, populo liberalis fuit.' Ex tot nummis, qui ipsius consecrationem demonstrant, unum eligo; in

Purpureo in gremio spoliatum sorte virili,
Hadrianique Dei Ganymedem, non cyathos Dis
Porgere, sed medio recubantem cum Jove fulcro,
Nectaris ambrosii sacrum potare Lyæum,
Cumque suo in templis vota exaudire marito?
Ergo his auspicibus Trajanus, Nerva, Severus,

Divi, ipsum exspoliatum dotibus viri in sinu Imperatoris, et factum Ganymedem Divi Hadriani non quidem porrigere pocula Diis, sed discumbere cum principe in medio thoro, et bibere sacrum potum nectaris, et adhærentem lateri sui amatoris audire in templis vota supplicum? Ergone Trajanus, Nerva, Severus, et Titus, et

morte virili F.—274 *erat os Dis Pergere* A.—281 *fragiles* T.—282 *Adscitæ . . . jacen-*

NOTÆ

quo ΑΥΤ. ΚΑΙϹ. ΤΡΑ. ΑΔΡΙΑΝΟϹ. ΒΕΙΘΥΝΙΑϹ. cum templi effigie.

274 *Hadriani*] Hadrianus, Trajani consobrinus, ejusque popularis, Plotinæ favore, quæ uxor Trajani fuit, imperare est orsus anno Christi 117.

Cyathos] Cyathus, vas parvulum, a χέειν, quod est fundere, dicitur.

275 *Porgere*] Pro porrigere. Virg. Æn. VIII. 274. 'Cingite fronde comas, et pocula porgite dextris.'

Medio fulcro] Alludit ad discumbendi morem. Medium in eodem lecto locum occupat Antinous, unde facile Hadriani gremio incumbat: eo quippe amici discumbebant loco.

276 *Lyæum*] Bacchus Lyæus dictus est, a λύω solvo, nam curis animum solvit. Hic pro ipsa re, cui præest, ponitur: quod tritum est.

277 *In templis vota exaudire*] Templum Antinoo apud Mantineam posuisse Hadrianum, et urbem de hujus nomine Antinoum, sive Antinoopolin in Thebaide appellavisse scribit Pausanias. Porro ex Inscriptionibus et nummis Corinthiorum, Achæorum, aliorumque, quos hic exscribere non vacat, colligimus multis in locis Sacerdotes habuisse: ΟϹΤΙΛΙΟϹ. ΜΑΡΚΕΛΛΟϹ. Ο. ΙΕΡΕΥϹ. ΤΟΥ. ΑΝΤΙΝΟΟΥ. ΤΟΙϹ. ΑΧΑΙΟΙϹ. ΑΝΕΘΗΚΕ. 'Hostilius Marcellus, Sacerdos Antinoi, Achæis posuit;' statuam scilicet Antinoi, columnamve in ejus Divi honorem. Adi Casaubonum in Spartianum. Quem Spartianum si audimus, 'Antinoum suum, dum per Nilum navigat, perdidit Hadrianus, quem muliebriter flevit. Græci quidem volente Hadriano eum consecrarunt, oracula per eum dari asserentes: quæ Hadrianus ipse composuisse jactatur.' Adde quod, ut testatur Athenagoras, Græci stationem in cœlis certam eidem assignarint, novum sidus Antinoum inter cœlestes imagines commenti.

278 *Trajanus*] Ulpius Trajanus cepit imperium apud Agrippinam coloniam, anno duodecentesimo Christi, ex urbe Tudertina oriundus, ut scribit Victor. Eutropius Italicæ natum in Hispania memorat.

Nerva] Cocceius Nerva oppido Narniensi genitus post Domitianum suscepit imperium anno Christi 96.

Severus] Septimius Severus oriundus Africa, qui, cum Pannoniæ præesset, per speciem ulciscendi Pertinacis imperium arripuit.

Et Titus, et fortes gesserunt bella Nerones?
Quos terrena viros illustres gloria fecit,
Et virtus fragilis provexit in ardua famæ,
Ascita terris sub religione jacentes.
Quam pudet, hoc illis persuasum, talibus ut se
Romanasque acies censerent Martis amore
Posse regi, dum se Paphiæ male blandus adulter
Venditat, Æneadasque suos successibus auget!
Felices, si cuncta Deo sua prospera Christo
Principe disposita scissent! qui currere regna
Certis ducta modis, Romanorumque triumphos
Crescere, et impletis voluit se infundere sæclis.
Sed caligantes animas et luce carentes,
In Jovis Augustique adytis, templisque duarum
Junonum, Martisque etiam Venerisque sacellis
Mactatas, tetro leti immersere barathro,
Supremum regimen crassis in partibus orbis
Esse rati, mersoque poli consistere fundo.
Quicquid humus, quicquid pelagus mirabile gignunt,

inclyti Nerones, quos gloria terrena commendavit, et virtus caduca extulit ad apicem famæ terrestris, et dependentis ab hac superstitione, susceperunt bella illis auspicibus? Quam me pudet illos fuisse in ea opinione, ut putarent arma Romanorum posse præsidio Martis succedere! dum is Deus mollis adulter se male venditat Veneri, et favore Deæ auget numerum suorum liberorum. O fortunatos, si cognovissent omnes res suas secundas evenisse ductu Christi Dei, qui voluit regna gubernata certis legibus conficere suum cursum, et multiplicare victorias Romanorum, et nasci post multa sæcula elapsa. Sed illi principes, credentes partes terrestres mundi, et ultimam sedem cœli habere maximum dominium, præcipitaverunt in fœdam voraginem perditionis animas obcæcatas et tenebrosas, mactatas in templis Jovis et Augusti, in templis Junonis et Liviæ, in templis etiam Martis et Veneris.

tis Weitz. Eg. W.—285 *cum* Weitz.—297 *Quidquid humus, pelagus, cœlum mirabile*

NOTÆ

279 *Titus*] Vespasiani et Domitillæ filius, qui patri suffectus est.

Nerones] Nempe Nero Claudius filius Tiberii Claudii Neronis Quæstoris, et alter Nero Domitii Ahenobarbi, et Juliæ Agrippinæ Germanici filiæ filius.

285 *Paphiæ*] Veneris, a Papho, urbe in insula Cypro, ubi insigniter colebatur.

292 *Duarum Junonum*] Junonis scilicet, quæ Jovis soror est et conjux, et Liviæ, quæ Augusti conjux. De qua mox egi.

Purpureo in gremio spoliatum sorte vir
Hadrianique Dei Ganymedem, non cy
Porgere, sed medio recubantem cum J
Nectaris ambrosii sacrum potare Lya
Cumque suo in templis vota exaudir
Ergo his auspicibus Trajanus, Ner

Divi, ipsum exspoliatum dotibus viri in sinu I Divi Hadriani non quidem porrigere pocula D medio thoro, et bibere sacrum potum nectaris, dire in templis vota supplicum? Ergone Tra

....

morte virili F.—274 *erat os Dis Pergere* A.-

NO

quo ATT. KAIC. TPA. AΔPIANOC. BEIΘTNIAC. cum templi effigie.

274 *Hadriani*] Hadrianus, Traja consobrinus, ejusque popularis, P tinæ favore, quæ uxor Trajani imperare est orsus anno Christi

Cyathos] Cyathus, vas parvi a χέειν, quod est fundere, dicit

275 *Porgere*] Pro porriger Æn. VIII. 274. 'Cingite fr mas, et pocula porgite dext

Medio fulcro] Alludit n bendi morem. Medium lecto locum occupat Ar facile Hadriani gremio i quippe amici discumb

276 *Lyæum*] Bacch est, a λύω solvo, na solvit. Hic pro ip ponitur ... d tri

[redacted] em; cui tramite certo
[redacted] gilem tolerare laborem,
[redacted] libus, orbe rotundo
[redacted] lobo per inane volantem;
[redacted] mundo cœloque minorem.
[redacted] m qui percurrit in illa:
[redacted] m diffusius, in quo
[redacted] rvens rota volvitur axe.
[redacted] placeat, terram breviorem
[redacted]

... adorare solem tanquam Deum; cui soli necessitas est ... m diurnum: sit in via præscripta objectus oculis homi... fundum: et ipse globus rotundus incedat per cælum: et ..., ut omnes fatentur. Nam locus major est, quam res, quæ ... perficies cæli, in qua rota Solis ignea splendet, et fertur axe ... r. Licet aliqui dicant terram habere circuitum minorem illo

NOTÆ

... mem et claudum ... antque. Ut videre ... aliosque poëtas: et ... ani cum Epigraphe ... Cernitur hic tem- ... lcanus cum officina ... qua malleum tenet, ..., sinistra vero forci- ...

... mons ignivomus Si- ...

... *habere Deum Solem*] Solis ... antiquum maxime, tum ... fuisse testantur Home- ... dus, Justinus, veteresque ... Cum enim in cœlis Deum ... sedem suam posuisse ex ... i sententia crederent; nihil ... eo conspicuum viderant, vel ... age cultu dignum judicarent. ... et ex lib. IV. Reg. cap. 23. ubi ... us Josiam abolevisse equos, quos ... arant Reges Judæ, et currus combussisse igni. Antoninus au- ... liogabalus, teste Herodiano 'Templum maximum pul- ... umque Soli erexit, plurimas ... rca templum construxit aras, ... s quotidie mane taurorum he- catombas, et ovium magnam multitudinem immolabat, coacervatisque supra aras omne genus odoribus, etiam veterrimi cujusque optimique vini plurimas amphoras ante aras profundebat, sic uti rivi passim vini sanguinisque promiscue defluerent.' Quod si audimus Lampridium, in Palatino monte juxta ædes imperatorias illud templum posuit, 'ne quis Romæ Deus nisi Sol coleretur.' Ex eo fit ut in nummis suis sæpe Sacerdotali habitu et velatus sit, sacrificans ante aram accensam, dextera pateram, qua libat, tenens, sinistra ramum, cum Epigraphe: SACERD. DEI. SOLIS. ELAGAB.

313 *Volantem*] 'Sol enim,' ait Cicero Acad. Quæst. lib. IV. 'tanta incitatione fertur, ut ejus celeritas quanta sit, ne cogitari quidem possit.' De axe, de rota Solis, et de iis quæ sequuntur, vide Hymn. II. Cathem.

318 *Terram breviorem*] Loquitur ex sententia Democriti Epicurique, qui, teste Cic. Acad. IV. et de Fin. I. putant tantum esse, quantus videatur: 'Quid potest esse sole majus, quem Mathematici amplius duodeviginti

Dicere circuitu, quam sit pulcherrimus ille
Circulus, et flammas immensi sideris, ultra
Telluris normam, porrecto extendere gyro.
Numne etiam cœli minor et contractior orbis,
Cujus planitiem longo transmittere tractu
Circinus excurrens meta interiore laborat?
Ille Deus verus, quo non est grandior ulla
Materies, qui fine caret, qui præsidet omni
Naturæ, qui cuncta simul concludit et implet.
Solem certa tenet regio, plaga certa coërcet,
Temporibus variis distinguitur: aut subit ortu,
Aut ruit occasu, latet aut sub nocte recurrens;
Nec torquere facem potis est ad signa Trionum,
Orbe nec obliquo portas Aquilonis adire,
Nec solitum conversus iter revocare retrorsum.
Hic erit ergo Deus, præscriptis lege sub una

circuitu Solis præstantissimo, et illud magnum sidus circulo extenso spargere flammas extra limites terræ. Sed an inde orbis cœli, cujus planities vix potest adæquari longo ductu circini, qui metitur ex meta interiore, minor est et arctior? Is est verus Deus, qui superat magnitudine omnes materias, qui non circumscribitur terminis, qui præest omni orbi, qui concludit et implet cuncta simul. Atqui Sol includitur in loco finito, definitur spatio terminato, distinguitur diversis temporibus. Nam aut ascendit ortu, aut abit occasu, aut revertens latet sub terra; nec potest flectere cursum ad stellas dictas triones, nec intrare cursu obliquo sedes Aquilonis; nec refugus potest relegere retrorsum iter quotidianum. Quomodo igitur Sol astrictus lege indissolubili ad munera præscripta esset Deus? Major potestas

P.—318 *breviore* A. Eg. P.—320 *Circinus* P.—322 *cœlo* C.—345 *capitis radios*

NOTÆ

partibus confirmant majorem esse, quam terram, quantulus nobis videtur? Mihi quidem, quasi pedalis. Epicurus autem posse putat etiam minorem esse eum, quam videatur, sed non multo; ne majorem quidem multo putat esse, vel tantum esse, quantus videatur, ut oculi aut nihil aut non multum mentiantur.' Et rursus: 'Sol Democrito magnus videtur: quippe homini erudito, in Geometriaque perfecto. Huic bipedalis fortasse: tantum enim esse censet, quantus videtur, vel paulo aut majorem aut minorem.'

319 *Pulcherrimus Circulus*] Horat. 'Lucidum cœli decus' solem appellat. Virg. 'Clarissimum mundi lumen.' Dracont. 'Oculum cœli .... Circinus,' instrumentum, quo circuli designantur.

331 *Nec torquere facem potis est ad signa Trionum*] Unde apud Ov. Met. II. 131. Phaëtonti habenas tradens Sol: 'Polumque Effugito Australem, junctamque aquilonibus Arcton.' De Trionibus sup. De Aquilone sup. Hamart. vs. 240.

Deditus officiis? Libertas laxior ipsi
Concessa est homini, formam cui flectere vitæ
Atque voluntatis licitum est, seu tramite dextro
Scandere, seu lævo malit decurrere campo,
Sumere seu requiem, seu continuare laborem,
Seu parere Deo, sive in contraria verti.
Ista ministranti regimen solenne dierum
Haudquaquam Soli datur a factore potestas:
Sed famulus subjectus agit quodcumque necesse est.
Hoc sidus currum rapidasque agitare quadrigas
Commenti, et radios capitis, et verbera dextræ,
Et frænos, phalerasque, et equorum pectora anhela
Æris inaurati, vel marmoris, aut orichalci,
Jusserunt nitido fulgere polita metallo.

data est hominibus ipsis, quibus fas est mutare situm voluntatis et vitæ. Sive amet ascendere per viam dextram, sive incedere per campum sinistrum, sive capere quietem, sive prorogare laborem, sive obedire Deo, sive ire in partem contrariam. Quæ potestas non concessa fuit a creatore Soli habenti regimen anniversarium dierum. Sed veluti servus subjectus peragit id omne, quod ipsi est agendum. Homines, posteaquam excogitarunt Solem ducere currum et quatuor equos veloces, voluerunt ut et radii ipsius capitis, et flagellum quod tenet manu, et fræni, et ornamenta, et pectora anhelantia equorum fulgerent polita nitido metallo æris inaurati, vel mar-

NOTÆ

335 *Libertas laxior ipsi Concessa est homini*] Et sane 'natura hominis,' ait Ambros. lib. de Noë et Arca, cap. 12. 'contrariorum capax est, et ut malitiæ in ea sit vis, et virtutis ingressus.' Sed adi Hamartigeniam, ubi ea de re fusius egimus.

344 *Currum*] Soli currum assignarunt poëtæ. Hor. Epod. 'Alme Sol, curru nitido diem qui Promis et celas, aliusque et idem Nasceris.' Et Ov. Met. II. 47. 'Currus rogat ille paternos, Inque diem alipedum jus et moderamen equorum.'

Rapidas quadrigas] Soli quadrigas, Lunæ autem bigas tribuunt quoque poëtæ. Manil. 'Quadrijugis it Phœbus equis, et Delia bigis.' Vide Ov. Met. II. 153. Oiselium tab. 39. ubi agit de nummo Maximini Daza, cum Epigraphe, SOLI. INVICTO. COMITI. Sol radiatus stat in curru, sinistra habenas quadrigarum velocissime currentium tenet.

345 *Radios capitis, &c.*] Alia Solis insignia accipe ex nummo Elagabali. Nummus exhibet Elagabalum Deum cum corona radiata in capite, sinistra orbem ac flagellum tenentem. Quæ indicant Solem sub hoc nomine coli. Unde Ovid. loc. cit. 'Circum caput omne micantes Deposuit radios.'

Verbera dextræ] Flagellum scilicet. De phaleris, sup. Psych. vs. 30.

346 *Equorum*] Qui vocantur ab Ovidio, Pyroëis, Eous, Æthon, et Phlegon.

Post trabeas, et eburnam aquilam, sellamque curulem,
Cernuat ora senex barbatus, et oscula figit
Cruribus ænipedum, si fas est credere, equorum,
Immotasque rotas, et flecti nescia lora
Aut ornat redimita rosis, aut thure vaporat.
Hoc tamen utcumque est tolerabile: quid? quod et ipsæ
Dant tibi, Roma, Deos inferni gurgitis umbræ.
Eumenidum domina Stygio caput exerit antro,
Rapta ad Tartarei thalamum Proserpina regis;
Et, si quando suos dignatur adire Quirites,
Placatur vaccæ sterilis cervice resecta,

moris, vel orichalci. Senes barbati, olim Senatores, Triumphatores, Consules, quis posset credere, demittunt capita, et dant oscula cruribus equorum ænipedum; atque etiam suffumigant thure, aut ornant rotas currus immobiles, et lora equorum, quæ non possunt inflecti, illa cingentes floribus. Attamen illud est aliquo modo condonandum. Sed, o Romani, quid? umbræ ipsæ Inferorum vobis suppeditant Deos. Proserpina regina Furiarum, quæ olim rapta fuit ut nuberet Plutoni regi Inferorum, extrahit caput ex locis infernis. Tum, quotiescumque non recusat invisere suos Romanos, et placatur capite fracto vaccæ infæcundæ, et dicitur imperare cælo

G.—350 *Cernuaque* Vulg.—351 *æripedum* C.—354 *ipse* P. *istos* A.—361 *bi-*

NOTÆ

349 *Trabeas*] Trabea toga fuit, albi coloris, multis fasciis, virgisque purpureis, instar trabium transversis ac discurrentibus, ornata, iisque vel intextis vel assutis, Regibus usitata et Consulibus. De Aquila eburnea, sup. Perist. x. 148.

Sellam curulem] Sella curulis eburnea erat: sic dicta, quod super eam in curru considerent, honoris causa, Magistratus in curiam vecti. Ita Gellius. Curules autem magistratus amplissimi fuere dictator, consul, censor, prætor, ædilis curulis, qui sellæ curulis jus habebant.

350 *Cernuat*] Alii legunt: *Cernuaque ora senex barbatus et oscula figit*. Sed *Cernuat* ex scriptis.

357 *Rapta Proserpina*] Qua ratione Proserpina Cereris filia, cum in campis Ennæis flores legeret, a Plutone rapta sit, omnes cecinerunt poëtæ, præcipue vero Ov. Met. v. 390. Et Claudian. de Raptu Proserpinæ, quos consulere unusquisque poterit. In nummis Augusti, aliisque quamplurimis, expressa est Plutonis Proserpinam rapientis effigies. Vide Harduinum de Nummis antiquis illustratis, p. 244. 371. et 440.

Thalamum] Ita apud Virg. thalamus pro nuptiis aut conjugio ponitur. 'Non licuit thalami expertem sine crimine vitam Ducere.' De Eumenid. sup. Psych. vs. 96. De Quirit. sup. Perist. xiv. 4.

359 *Placatur vaccæ sterilis cervice*] Idem Virg. Æn. vi. 249. 'Ipse atri velleris agnam Æneas matri Eumenidum magnæque sorori Ense ferit: sterilemque tibi, Proserpina, vaccam.'

Et regnare simul cœloque Ereboque putatur:
Nunc bigas frænare boves, nunc sæva sororum
Agmina vipereo superis immittere flagro,
Nunc etiam volucres caprearum in terga sagittas
Spargere, terque suas eadem variare figuras.
Denique cum Luna est, sublustri splendet amictu;
Cum succincta jacit calamos, Latonia virgo est;
Cum subnixa sedet solio, Plutonia conjux
Imperitat Furiis, et dictat jura Megæræ.
Si verum quæris, Triviæ sub nomine dæmon
Tartareus colitur: qui te modo raptat ad æthram,
Sidereoque Deum venerandum suadet in astro:

atque Inferis simul. Eadem dicitur nunc vehi vaccis bijugis, nunc mittere in aërem flagello anguineo diram turbam Furiarum, nunc quoque contorquere sagittas leves in corpora caprearum, et induere tres diversas formas. Denique, cum est Luna, coruscat in cœlo amictu sublucente: cum succincta conjicit sagittas, est Diana filia Latonæ: cum sedet fulta solio, est uxor Plutonis, præsidet Furiis, et dat leges Megæræ. An vultis scire veritatem? Diabolus Stygius adoratur sub nomine Lunæ. Is nunc vos rapit in cœlum; et vobis persuadet in hoc astro cœlesti Deum

jugas G.—362 *super his* Bodl.—365 *splendit* Eg.—366 *calamis* P.—367 Post h. vs. inseritur *Cum rapitur, Furia est, et torvi Plutonis uxor* Weitz. et al.—369 *quæras* Weitz.—373 *Erroremque* Eg.—382 *Sed qui* Eg. P.—383 *parta*

NOTÆ

360 *Cœloque Ereboque*] Virg. quoque loc. cit. 'Voce vocans Hecaten cœloque Ereboque potentem.'

361 *Nunc bigas frænare boves*] De Luna, quæ ipsa omnino Proserpina est ac Diana, ait Ausonius: 'Jam succedentes quatiebat Luna juvencas.' Sæpe etiam in Deliorum nummis Diana curru tauris juncto vehitur. Adi Harduinum de nummis antiquis, p. 217.

363 *Caprearum in terga sagittas Spargere*] Diana, quia virginitatis amans, sylvestres mores et venatum coluit. Hinc in nummis vel cum arcu et pharetra, in humero suspensis, cernitur, vel dextra hastile tenens, sinistra arcum. Ita in nummis Gallieni cum Epigraphe: DIANÆ. CONS. Claudian. ad id alludit lib. de IV. Honorii Consulatu: 'Tibi sæpe Diana Mænalios arcus venatricesque pharetras Suspendit, puerile decus.'

364 *Terque suas eadem variare figuras*] Quippe Luna in cœlo, in terris Diana, Proserpina in Inferis appellatur. Virg. Æn. IV. 511. 'Tergeminamque Hecaten, tria virginis ora Dianæ.'

366 *Succincta*] Hic enim habitus venatoribus aptus. Ov. Amor. III. 2. 'Talia pinguntur succinctæ crura Dianæ, Cum sequitur fortes, fortior ipsa, feras.'

369 *Triviæ*] Diana, a triviis ubi colebatur, Trivia dicitur. Virg. 'Jam subeunt Triviæ lucos, atque aurea tecta.' De Æthra, sup.

Per sylvas modo mortiferi discurrere mundi,
Erroresque sequi subigit, nemorumque putare
Esse Deam, quæ corda hominum pavitantia figat,
Quæque feras perimat letali vulnere mentes:
Depressos modo subter humum formidine sensus
Obruit, implorent ut numina lucis egena,
Seque potestati committant noctis opertæ.
Respice terrifici scelerata sacraria Ditis,
Cui cadit infausta fusus gladiator arena,
Heu male lustratæ Phlegethontia victima Romæ!
Nam quid vesani sibi vult ars impia ludi?
Quid mortes juvenum? quid sanguine pasta voluptas?

esse venerandum. Nunc impellit vagari per nemora mundi pernicialis, et sequi errores viarum, et credere Deam habitare in sylvis, quæ transverberat pectora pavida hominum, et quæ occidit plaga letifera animos feros. Nunc ducit sub terram mentes depressas metu, ut invocent Deos tenebrosos, et se subjiciant sub potestatem tenebrarum cæcarum. Videte templa sanguinolenta diri Plutonis; cui Plutoni gladiator procumbens in arenam funestam immolatur. Eheu victima Romæ impie expiatæ sacra Erebo! Nam quid denotat ars sacrilega ludi cruenti? Quid cædes tot juvenum? Quid delectamenta repleta cruore? Quid pulvis theatri semper lu-

NOTÆ

379 *Ditis*] Ditis Latine appellatur Pluto, a divitiis, ut Græce Pluto, a πλοῦτος.

380 *Cui cadit fusus gladiator*] De illis amphitheatri ludis multa habet Lips. Saturn. I. 5. et lib. de Amphitheat. cap. 4. Hunc autem locum inprimis Dianæ dicatum fuisse contendit, deinde Jovi Latiari, sive Stygio; denique Saturno. Dianæ quidem, Tertulliani, Cassiodori, Martialisque testimoniis; Saturno, Lactantii verbis; Jovi Stygio, seu Diti, Tertulliani, Minutii, et Prudentii auctoritate. Colligit quoque ex Minutio, velut ad committendos ludos, solenne quoddam ibi bestiarii sacrificium fuisse. 'Hodieque a Romanis Latiaris Jupiter homicidio colitur, et, quod Saturni filio dignum est, mali et noxii hominis sanguine saginatur.'

Arena] Ea vox passim pro certamine amphitheatrali ponitur, proque ipso loco, qui arena sternebatur in usum pugnæ, ne tam crebra effusione sanguinis lubricum esset pavimentum. Horat. 'Ne populum extrema toties exoret arena.' Et Tacit. 'Spectacula gladiatorum idem ille annus habuit, pari magnificentia ac priora: sed fœminarum senatorumque illustrium plures per arenam fœdati sunt.' De Phlegethon. sup. Psych. vs. 94.

382 *Vesani ludi*] Furorem amphitheatri ipsemet Prudentius Hamart. vs. 360. descripsit atque insaniam; quæ tanta fuit ut Lips. Saturn. I. 12. asserat, 'nullum bellum tantam cladem vastitiemque generi humano intulisse, quam hos ad voluptatem ludos.'

383 *Sanguine pasta voluptas*] Idem loc. cit. addit: 'Heu mores! Neronem culpamus aut Caligulam, qui centum aliquot homines vita interfe-

Quid pulvis caveæ semper funebris, et illa
Amphitheatralis spectacula tristia pompæ?
Nempe Charon jugulis miserorum se duce dignas
Accipit inferias, placatus crimine sacro.
Hæ sunt deliciæ Jovis infernalis: in istis
Arbiter obscuri placidus requiescit Averni.
Nonne pudet regem populum sceptrisque potentem
Talia pro patriæ censere litanda salute?
Religionis opem subternis poscere ab antris?
Evocat, heu, pœnis tenebrosa ex sede ministrum

gubris? Quid hæc spectacula luctuosa pompæ amphitheatralis? Charon scilicet mitigatus pietate criminosa sumit ex cæde miserorum inferias dignas se portitore. En voluptas Dei Inferorum! Judex Erebi tenebrosi quiescit placidus in his. Num gentem dominam et superbam tot imperiis pudet credere tales victimas mactandas esse pro salute patriæ? et petere a locis infernis auxilium, quod petitur a Diis? Eheu, Romana gens sanguine elicit ex Erebo obscuro auctorem funerum, cui offe-

Lips. Saturnal. I. 14.—387 *munere sacro* Ro. 1. in marg. C.—389 *obscuro .... Averno* Ro. 1.—390 *populo* Weitz.—392 *sub terris* quidam.—394 *funera donet*

NOTÆ

cerunt, ira sive metu: ecce unus editor homines supra mille ludens interfecit, et die non toto. Atque hæc delicias vocabant, et cibum oculorum: fiebantque non per unius alteriusve lasciviam, sed velut publica lege, et decreto.' Male Lipsius reponit: *Sanguine parta*. Claud. 'Ut sanguine pasci Turpe ferumque putes.' H. e. voluptatem capere ex sanguine profuso. Nihil frequentius apud optimos Scriptores occurrit.

384 *Caveæ*] Spectaculi locus et ludicræ voluptatis a priscis amphitheatrum dicitur, sæpe cavea, sæpe etiam arena. Amphitheatrum, quia gradus circum undique, et sedilia continenter disposita ambibant in orbem. Cavea vero, ab interiore parte, quæ concava est, et capaci quodam profundo.

386 *Se duce*] Tangit illud Virg. Æn. VI. 326. 'Portitor ille, Charon, hi, quos vehit unda, sepulti.'

387 *Inferias*] Inferiæ, sacrificia, quæ Inferis offerebantur. Virg. Æn. X. 519. 'Viventes rapit, inferias quos immolet umbris.'

388 *Jovis infernalis*] Ita Proserpina dicitur 'Juno inferna,' a Virg. Æn. VI. 138. 'Junoni infernæ dictus sacer:' et 'Juno profunda' a Claudiano Carm. XXXIII. 3. 'Caligantesque profundæ Junonis thalamos audaci prodere cantu;' i. e. Deæ Inferorum. Virg. quoque Æn. IV. 638. Plutonem vocat, 'Jovem Stygium:' 'Sacra Jovi Stygio.'

390 *Regem populum*] Eleganter et vere; non vero: *nonne pudet Regem populo sceptrisque potentem*. Per populum Regem, Romanos innuit, manifesta imitatione Virg. 'Hinc populum late Regem belloque superbum Venturum excidio Libyæ.'

Interitus, speciosa hominum cui funera solvat.
Incassum arguere jam Taurica sacra solemus:
Funditur humanus Latiari in munere sanguis,
Consessusque ille spectantum solvit ad aram
Plutonis fera vota sui. Quid sanctius ara,
Quæ bibit egestum per mystica tela cruorem?
Anne fides dubia est tibi, sub caligine cæca
Esse Deum, quem tu tacitis rimeris in umbris?
Ecce, Deos Manes cur infitiaris haberi?

rat pulchram mortem multorum hominum. Nunc solemus improbare sine causa sacrificia Tauricæ regionis; cum Plutoni humanus sanguis funditur in munere, et hæc turba spectatorum persolvit vota nefanda ante aram sui Plutonis. Quam sancta est ara, quæ tingitur sanguine effuso ensibus sacratis! An dices te non habere pro certo Deum esse in tenebris cæcis, quem tu evoces ex Inferis occultis? Dic, unde negas Manes coli tanquam Deos? Sepulcra ipsa parentum illud demon-

Eg. P. C.—397 *Consessosque* Eg. superscr. *Concessusque* P.—404 *quæcunque*

NOTÆ

395 *Taurica sacra*] Erat lex apud Tauros, inhumanam et feram gentem, uti Dianæ hospites immolarentur: et id sacrificium multis temporibus celebratum est. Thoas Rex hoc nefas instituerat. Unde Ov. de Ponto III. Eleg. 2. 'Sacrifici genus est, sic instituere priores, Advena virgineo cæsus ut ense cadat. Regna Thoas habuit Mæotide clarus in ora, Nec fuit Euxinis notior alter aquis.' Et Juv. Sat. XV. 116. 'Quippe illa nefandi Taurica sacri Inventrix homines, ut jam quæ carmina tradunt Digna fide credas, tantum immolat; ulterius nil Aut gravius cultro timet hostia.' Vide Euripid. Trag. Iphigin. in Tauris.

Taurica] Taurica, vulgo Tartaria minor, habet a Meridie Pontum Euxinum, ab Ortu Bosphorum Cimmerium, ab Occasu Carcinitem sinum, et a Septemtrione Bugem lacum, et paludem Mæotidem.

396 *Funditur humanus Latiari in munere sanguis*] 'Ita distinguo et capio,' inquit Lips. de Amphith. cap. 4. 'non ut munus Latiare appellet, sed ut Jovi Latiari fusum sanguinem in munere velit.'

Latiari] I. e. Deo qui in Latio colitur.

397 *Ad aram Plutonis*] Quibus certum est, ut notat Lipsius loc. cit. aram in Amphitheatro Diti positam fuisse, quæ sanguine noxii hominis, Bestiarii scilicet, perfundebatur. Quare Tertull. Apol. 'Ecce in illa religiosissima Æneadarum urbe est Jupiter quidam, quem ludis suis humano sanguine proluunt. Sed bestiarii, inquitis. Opinor hoc minus, quam hominis.'

402 *Deos Manes haberi*] Cicero in legibus quas condidit, 'Deorum Manium jura sancta sunto: hos Divos habento.' Quam hominum vanitatem irridet Plinius, qui Manes colunt, Deumque faciunt, qui etiam homo esse desierit.

Ipsa patrum monumenta probant: Dis Manibus illic
Marmora secta lego, quacumque Latina vetustos
Custodit cineres, densisque Salaria bustis.
Dic, quibus hunc scribis titulum: nisi quod trucis Orci
Imperium, veræ ceu majestatis, adoras?
En quibus implicita squalebat regia summi
Imperii, tractis majorum ab origine sacris!
Cum princeps, gemini bis victor cæde tyranni,

strant; quorum video lapides inscriptos nominibus Deorum Manium, in omnibus locis, ubi viæ Latina et Salaria servant ossa majorum sub quamplurimis tumulis. Dic, o Roma, quibus ponis has inscriptiones? Nonne crudeli Plutoni, quem colis tanquam verum Deum? Roma, caput imperii Romani, deformabatur addicta illis cærimoniis traditis ab ætate parentum. Cum imperator, bis trium-

Weitz.—406 *inscribis* quidam.—410 *gemini victor* Eg. *gemini de victor* P. et

NOTÆ

403 *Dis Manibus illic Marmora secta lego*] E tot inscriptionibus, quæ apud Gruterum extant a p. 664, ad 899. unam alteramve hic appono. DIS. MANIBVS. ANTONIÆ. M. F. PANACES. VIX. ANN. IX. MENS. XI. DIEB. XIII. FILIÆ. OPTIMÆ. ET. PIISSIMÆ. L. ANTONIVS. PAL. ALYPVS. ET. PAPINIA. ZOSIME. FECERVNT. Pag. vero 719. DIS. MANIBVS. C. ALFIDIO. CALLIPPO. QVI. VIX. ANN. LVIII. ET. C. ALFIDIO. TRIVMPHALI. ϕ FIL. VIX. ANN. XII. M. VIII. D. XV. ALFIDIA. IRENE. PATRI. ET. CONIVGI. OPTIM. ET. FILIO. DVLCISSIMO. FECIT. ET. SIBI. ET. SVIS. POSTERISQVE. EOR.

404 *Latina*] Via ab Urbe ad Sinuessam, quod extremum est Latii oppidum. Sita erat inter Appiam et Valeriam, tendebat per Algidum ac Tusculanos colles ad Ferentinum, Frusinum, aliasque civitates claras. Latia quoque dicta fuit, et Ausonia Martiali Epig. IX. 102.

405 *Custodit cineres*] Quia lege duodecim tabularum graviter sancitum fuerat, ne quis in urbe sepeliretur, frequenter exstructa sunt monumenta ad celebres vias. Juv. Sat. I. 170. 'Experiar quid concedatur in illos, Quorum Flaminia tegitur cinis, atque Latina.'

Salaria] Quæ via a porta Collina mittit in Sabinos. 'Salaria autem propterea appellabatur,' inquit Festus, 'quod impetratum fuerit, ut ea liceret a mari in Sabinos salem portari.' Ejus meminit Martialis Epig. IV. 64. 'Illic Flaminiæ Salariæque Gestator patet, essedo tacente.'

Bustis] Bustum area soli in qua corpus crematur et sepelitur; unde et busta olim dicta sunt sepulcra monumentaque, de quibus loquitur hic Prudentius. Nam ad memoriam demortuorum aliquid inscriptum fuisse denotat.

406 *Orci*] Orcus pro Plutone sumitur quoque a Cic. de N. D. III. 43. et a Virg. Georg. I. 277. vel quod ad mortem urgeat, vel quod juramenti Deus sit, juramentum enim Græce dicitur ὅρκος.

410 *Princeps*] Flavius Valerius Con-

Circa humiles rerum partes, quibus ipsa superstas.
Non patiar, veteres teneas ut me duce nugas,
Ut cariosorum venereris monstra Deorum.
Si lapis est, senio dissolvitur, aut crepat ictu
Percussus tenui: mollis si bractea gypsum
Texerat, infido rarescit glutine sensim.
Si formam statuæ lamnis commisit aënis
Lima terens, aut in partem cava membra gravato
Pondere curvantur, scabra aut ærugo peresam
Conficit effigiem, crebroque foramine rumpit:
Nec tibi terra Deus, cœli nec sit Deus astrum.
Nec Deus Oceanus, nec vis, quæ subter operta est,
Infernis triste ob meritum damnata tenebris.
Sed nec virtutes hominum Deus, aut animarum,
Spirituumve, vagæ tenui sub imagine formæ.
Absit ut umbra Deus tibi sit, geniusve, locusve,

terram fragilem; et amplificare dignitatem partibus rerum vilium, quibus ipsa præest. Non sinam ut tu, me regnante, serves antiqua deliramenta: ut adores statuas Deorum monstrosorum vitiatas carie. Si sunt lapideæ, dissipantur tempore: vel pulsatæ levi ictu franguntur; si sunt conflatæ ex gypso obducto tenuibus bracteolis argenteis, liquescunt guttatim glutino penetrabili; denique si figuræ Deorum insculptæ sunt in laminis æreis, vel artus cœlati deprimuntur gravitate, vel rubigo aspera obliterat lineamenta peresa, et corrumpit multis foraminibus. Ne igitur putes tellurem esse Deam, Solem esse Deum, mare esse Deum; Dæmonem, qui inclusus est in visceribus terræ, et damnatus tenebris Inferorum ob delicta nefaria, esse Deum. Ne putes etiam homines potentes, et phantasmata Manium Spirituumve oberrantia sub figura aërea, esse numina. Absit ut credas Umbram, aut Genium,

—438 *lammis c. avenis* Eg.—439 *cavato* Weitz. B. W. superscr. *gravata* A.—441 *Contiguam effigiem* P.—444 *Inferni* W. superscr.—453 *lucu* Eg.—467 *ultro*

NOTÆ

438 *Lamnis*] Pro *laminis*, ut apud Horat. 'Nullus argento color est avaris Abdito terris, inimice lamnæ Crispe Sallusti, nisi temperato Splendeat usu.'

442 *Nec tibi terra Deus*] More Græcorum, ἡ Θεός.

447 *Genius*] Genius enim Deus erat, sub cujus tutela nasci quemlibet et vivere antiqui credebant, quem propterea quotannis colebant die natali. Ex nummis autem Diocletiani, Maximiani, Constantii Chlori, C. Galer. Valer. Maximiani, Maximini, Constantinique, apparet Constantini temporibus Genii cultum valde frequentem fuisse Augustis et populo Romano. Nam sæpe leguntur hæ Inscriptiones: GENIO. POPVLI. ROMANI. GENIO. IMPERATORIS. GENIO. AVGVSTI. Sed de eo fusius inf. II. 442.

Aut Deus aërias volitans phantasma per auras.
Sint hæc barbaricis gentilia numina pagis,
Quos penes omne sacrum est, quicquid formido tremendum
Suaserit; horrificos quos prodigialia cogunt
Credere monstra Deos, quos sanguinolentus edendi
Mos juvat, ut pinguis luco lanietur in alto
Victima, visceribus multa inter vina vorandis.
At te, quæ domitis leges ac jura dedisti
Gentibus, instituens, magnus qua tenditur orbis,
Armorum morumque feros mansuescere ritus,
Indignum ac miserum est, in religione tenenda
Hoc sapere, immanes populi de more ferino
Quod sapiunt, nullaque rudes ratione sequuntur.

aut Locum, aut Spectra volitantia per liquidum aërem esse numina. Esto; illi falsi Dei colantur a gentibus barbaris, quæ credunt id omne, quod timor dictat esse timendum, esse numen; quæ coguntur credere monstra prodigiosa esse Deos horrendos; quibus barbara consuetudo edendi placet, ita ut sacrificetur ipsis in alto nemore victima saginata, cujus exta voranda sunt in conviviis vinosis. Sed turpe est, et miserandum te, quæ instituens mansuefacere ritus crudeles bellorum et morum, qua vasta terra extenditur, imposuisti leges et jura populis victis, credere hanc religionem veram esse; et colere id, quod populi viventes ex more belluarum, et

NOTÆ

450 *Quicquid formido tremendum Suaserit*] Quare Arnob. lib. v. irridens paganos: 'Inter Deos videmus vestros leones torvissima facie.'

451 *Prodigialia cogunt Credere monstra Deos*] Minutius: 'Boum capita, et capita vervecum et immolatis et colitis: de capro etiam et homine mistos Deos, et leonum et canum vultus Deos dedicatis.'

Prodigialia] Eo vocabulo jam usus est Hamartig. 'Quo tantum auxilii per prodigialia signa Effudit dominus.' Horatius vero dixit 'prodigialiter' lib. de Art. Poët. vs. 29. 'Qui variare cupit rem prodigialiter unam.'

452 *Sanguinolentus edendi Mos juvat*] Hæc referenda sunt ad omnia sacra, non vero ad ea tantum, quibus animæ evocabantur, ut aliqui putarunt. Tertull. Porphyr.que id aperte probant. Is Apolog. lib. II. agens de dæmone; 'ut sibi et pabula propria nidoris et sanguinis procuret simulacris ac imaginibus oblata.' Alter vero idem tractans argumentum: 'Ii sunt, qui libatione et nidore oblectantur, quibus spirituale corpus ipsorum pinguescit.'

453 *Luco in alto*] Ex religione in sylvis sacra sæpe peracta fuisse quis ignorat? Virg. Æn. VIII. 108. 'Divisque ferebat Ante urbem in luco.'

454 *Visceribus vorandis*] Exta religiose comesa purgare putabantur; unde dicta fuere 'exta lustralia.' Sic apud Virg. Æn. VIII. 183. post oblatas Herculi victimas Trojana juventus vescitur 'perpetui tergo bovis et lustralibus extis.' De Procinctu sup. Psych. vs. 606.

Seu nos procinctus maneat, seu pace quietas
Dictemus leges, seu debellata duorum
Colla tyrannorum media calcemus in urbe;
Agnoscas, regina, libens mea signa necesse est,
In quibus effigies Crucis aut gemmata refulget,
Aut longis solido ex auro præfertur in hastis.
Hoc signo invictus, transmissis Alpibus ultor,

expertes omnino rationis, colunt. O Roma, seu bellum tibi sit gerendum, sive tempore pacis dem tibi leges pacificas, seu agam triumphum intra tua mœnia de duobus tyrannis domitis, oportet ut sequaris sponte vexilla mea; in quibus figura crucis aut resplendet ornata gemmis, aut formata auro solido superstat longis hastilibus. Constantinus victor hac effigie crucis peragratis Alpibus vindex rupit tua

NOTÆ

463 *Media calcemus in urbe*] Arcus erectus in capite viæ Appiæ, ad Amphitheatrum, adhuc victorem exhibet Constantinum, qui supino Maxentio insilit.

465 *Effigies Crucis*] Duplici ratione crucem insitam fuisse signis notat Prudentius: semel in vexillorum purpura, gemmis intextam et impressam: iterum in hastarum vertice superstantem, solido auro formatam. 'Porro nomen Christi,' ait Baron. ad ann. 312. 'aliter quoque postea aliquando effigiari, et in ipso etiam velamine appenso imprimi solitum, et vel in galeis, vel in scutis notari, necnon interdum in iisdem armis, vel in vertice hastæ, aut in ipso velamine appenso purum signum crucis insculpi; multi visuntur nummi lapidesque antiqui, qui id demonstrent.' Adi Eusebium lib. I. de vita Constant.

467 *Hoc signo invictus, &c.*] Rem totam ita narrant scriptores. Dum Maximinus in Oriente, et Maxentius in Africa et Italia imprimisque in urbe persecutionem in Christianos instaurat, Constantinus secundum consul Licinio Aug. II. Cos. collega, pacatis Gallia et Italia, relictaque ad Rheni præsidium plus media exercitus parte, urbem a sævissima Maxentii tyrannide liberaturus Alpes transgreditur. In itinere, 'cum jam,' inquit Euseb. lib. I. de vit. Constant. 'Sol ad medium cœlum ascendisset, die in pomeridianum inclinante, Constantinus dixit se crucis signum ex lucis splendore in ipso cœlo soli imminens manifesto oculis aspexisse, in eoque inscriptionem horum verborum consignatam: ἐν τούτῳ νίκα.' Quod quidem Artemius martyr vir nobilis, qui tum in eo bello militabat, coram Juliano Aug. sibi mortem minitante contestatus est. Hac divini auxilii significatione fretus Constantinus Segusium, Taurinates, Vercellas, Brixiam, Veronam, &c. et omnem cis Padum Italiam recuperat, ac denique ipsum Maxentium trans pontem Milvium ad saxa rubra 7. ab urbe milliari cum ducentis mille militibus occurrentem funditus delet Kal. Octobr. ann. Christi 312. Ipse Maxentius ponte propter nimiam fugientium multitudinem fatiscente, Tiberi, pridie quam septimum tyrannidis annum inchoaret, demersus est. Postridie vero ipsius corpus ex aquis sublatum, caputque per Italiam et Africam ad ludibrium circumlatum est. De Alpibus sup.

Servitium solvit miserabile Constantinus.
Cum te pestifera premeret Maxentius aula,
Lugebas longo damnatos carcere centum,
Ut scis ipsa, patres: aut sponsus fœdera pactæ
Intercepta gemens, diroque satellite rapta,
Immersus tenebris, dura inter vincula flebat:
Aut si nupta, thorum regis conscendere jussa,

tristia vincula. Cum Maxentius te premebat duro imperio, tum, ut tu meministi, plorabas quamplurimos senatores damnatos diuturno carcere. Aut maritus deflens, quod miles impius intercepisset et rapuisset fœdus conjugis, lacrymabatur vinctus gravibus catenis, et inclusus in carcere tenebroso. Quod si mulier aliqua jussa cu-

A. Eg. P.—468 *mirabile* Eg.—473 *vincla luebat* Weitz.—475 *domino* W. su-

NOTÆ

468 *Servitium miserabile*] Euseb. loc. mox cit. eadem commemorat, 'Tyrannum vero talia audentem formidabant universi populi, principes, gloriosi, et inglorii, gravique tyrannide premebantur. Et quamvis acquiescerent, tamque acerbam servitutem ferrent, neque sic tamen cruenta tyranni quiescebat immanitas. Modico siquidem prætextu populum satellitibus suis occidendum tradebat: Romanique populi innumeram multitudinem in ipsa media urbe, non Scytharum aut Barbarorum, sed domesticorum, hastis et armaturæ conficiendam objiciebat. Quanta vero Senatorum cædes perpetrata sit, dum singulorum facultatibus insidias strueret, et innumeros aliis atque aliis confictis causis interimeret, numerari non poterit.' Paulo vero ante dixerat: 'Erat tyrannus in hoc assiduus, ut regiam urbem impiis ac scelestis facinoribus deprædaretur, ita ut nullius infandi ac impuri facinoris temeritatem omitteret. Virum a viro separabat, et in exilium mittebat, probrisque afficiebat aut ignobiles, aut obscuros, sed eos qui in Senatu Romano primores erant. Et cum innumeris ingenuis mulieribus turpiter contumeliam inferret, neque sic tamen intemperanti ac lascivæ menti suæ satisfaciebat.'

469 *Maxentius*] Maximiani Herculii filius, Maximiani vero Armentarii gener, teste Lactant. lib. ad Donatum confessorem de mortibus persecutorum: 'Erat autem Maximiano filius Maxentius, hujus ipsius Maximiani gener, homo perniciosæ ac malæ mentis, adeo superbus et contumax ut neque patrem neque socerum solitus sit adorare. Et idcirco utrique invisus fuit.' Quæ verba multum faciunt ad intelligentiam nummi illius, cujus ea est inscriptio: IMP. MAXENTIVS DIVO MAXIMIANO SOCERO, Maximiano scilicet Armentario; quo tamen nummo male Baronius Maxentium Maximiani Herculii filium non esse demonstrare putat. De Patribus, nempe Senatoribus, sup. vs. 25.

471 *Pactæ*] Pactam pro sponsa aut nova nupta posuit: ut passim poëtæ.

474 *Regis*] Maxentius a Prætorianis militibus, non abnuente Senatu, Imperator acclamatus est anno 306. Initio, populi demerendi gratia, Christianis favere visus est, ac persecu-

Cœperat impurum domini oblectare furorem,
Morte maritalis dabat indignatio pœnas.
Plena puellarum patribus ergastula sævi
Principis: abducta genitor si virgine mussans
Tristius ingemuit, non ille impune dolorem
Prodidit, aut confessa animis suspiria traxit;
[Vim libertatis nimiæ, patriumque dolorem.]
Testis Christicolæ ducis adventantis ad urbem
Mulvius, exceptum Tiberina in stagna tyrannum
Præcipitans, quanam victricia viderit arma
Majestate regi, quod signum dextera vindex
Prætulerit, quali radiarint stemmate pila.

bare in lecto principis, quod cœperat placere principi lascivo, ipsius mæror plectebatur morte mariti. Omnes custodiæ illius crudelis principis refertæ erant parentibus virginum. Quodsi parentes, filiis raptis, querentes significarunt animi dolorem, illi non impune significarunt dolorem: duxeruntque ex cordibus suspiria prodentia potentiam nimiæ libertatis, et tristitiam paternam. Milvius testis principis Christiani advenientis Romam vidit Maxentium tyrannum præcipitem in fluvium Tyberim: vidit quanam potentia arma victoris regerentur, quod signum manus ultoris extulerit, quibus insignibus arma fuerint insignita. Figura Christi expressa in

perscr.—476 *maritalcs* B. superscr.—477 *patribusque* P. *patrumque* Vulg.—480 *convexa* Weitz. W. Coler. *confessa nimis* Vulg.—481 *nimiam* A. H. vs.

NOTÆ

tioni modum adhibuit. At mox in omni se crudelitatis ac flagitii genere volutavit. De Ergastulis sup. De verbo 'musso,' sup. Hamart. vs. 774.

480 *Confessa animis*] Alii, *confessa nimis*: nec dubitandum, quin male. Tale illud Lucani lib. VIII. de Cornelia: 'Quod summissa animis, nulli gravis hospita turbæ, Stantis adhuc fati vixit quasi conjuge victo.'

481 *Vim libertatis, &c.*] Aberat hic versus a multis codicibus.

482 *Christicolæ ducis*] Constantinum cœlesti ostento, de quo sup. vs. 467. ad Christianam religionem conversum fuisse multi eruditi opinantur, cum ab eo tempore et persecutioni modum imposuerit, et multa Christianorum causa edixerit, gentilium fana everterit.

483 *Mulvius*] *Mulvius* ex potioribus scriptis, inquit Heinsius, non *Molvius*, aut *Milvius*; pons in Tiberi ab urbe 2. mill. distans; unde incipit via Flaminia. Ejus meminit Claudian. Carm. XXVIII. 544. 'Palatino qua pons a colle recedit Milvius.' De Tiber. sup. Perist. XI. 174.

Exceptum Tiberina in stagna tyrannum Præcipitans] Nazarius de Maxentio hæc habet: 'Ipsum etiam illum cum equo, et armis insignibus, frustra conatum per abrupta ripæ ulterioris evadere, idem Tiberis correptum gurgite devoravit: ne tam deforme pro-

Christus purpureum, gemmanti textus in auro,
Signabat labarum: clypeorum insignia Christus
Scripserat: ardebat summis crux addita cristis.
Ipse senatorum meminit clarissimus ordo:
Qui tunc concreto processit crine, catenis
Squalens carcereis, aut nexus compede vasta,
Complexusque pedes victoris, ad inclyta flendo
Procubuit vexilla jacens. Tunc ille senatus

auro rutilo et gemmis decorabat vexilla; Christus erat insigne scutorum. Crux superans excelsas galeas fulgebat. Ipse ordo nobilis Senatorum meminit hæc vidisse: cum ii onusti catenis, quas pertulerant in carcere, aut constricti compedibus duris, accreverant capillis horridis; et amplexi pedes victoris flendo se prostraverunt supplices ad clara vexilla. Tum enim illi Senatores venerati sunt insignia mei ex-

---

deest P. Bo. Eg. Ro. 1.—487 *gemmati* Eg.—488 *lavacrum* Eg. P.—497 *post*

NOTÆ

digium vel hanc obitus sui relinqueret famam, quod alicujus viri fortis gladio telove cecidisset.'

488 *Labarum*] Signum militare Romanorum, pensile, ex panno aut serico confectum, fimbriis ac aliis ornamentis instructum, et transversario antennæ specie ligno affixum, a suprema conti parte pendens. Id vero non nuperum, et Constantini duntaxat ævo cognitum, quo appellationem ejusmodi vexilli tum primum apud scriptores constat reperiri; sed et republica stante et sub Imperatoribus Romanis, ut in nummis Consulum et Imperatorum passim videre est: quod quidem velum, 'siparum vexillorum' vocat Tertullianus in Apologetico. Ita porro appellatur præsertim sub Constantino vexillum, in quo, Christianus factus, Christi monogramma describi curavit: quod quidem ceteris pretiosius ac sanctius haberi, imperatorem semper præcedere, et a militibus adorari, et in præliis a fortioribus exercitus militibus ambiri et stipari præcepit. Ita Du Cange, vir de omni literarum genere bene meritus. Vide Baron. ad ann. 312.

Christus Scripserat] In labaro nomen Christi duplici ratione inscriptum cernitur: modo Græcis literis X et P inter se connexis: ut in nummo Constantii, cum hac inscript. HOC. SIGNO. VICTOR. ERIS. modo litera C intexta, ut in nummo Constantini junioris cum Epigraphe: PRINCIPI JUVENTUTIS.

490 *Clarissimus ordo*] Hinc clarissimus passim apud veteres ponitur pro Senatore, et Clarissima pro Senatoris conjuge, ut apud Tertull. ad Scapulam, August. de Civit. Dei XXII. 8. Paulin. in vita S. Ambros. atque Ælium Lampridium de Antonino Heliogabalo.

491 *Concreto crine*] Squalidus enim, sordidus, et productus reorum capillus.

492 *Compede*] Compes, vinculi genus, quo pedes constringuntur.

Militiæ ultricis titulum, Christique verendum
Nomen adoravit, quod collucebat in armis. .
Ergo cave, egregium caput orbis, inania posthac
Prodigia, et larvas stolido tibi fingere cultu,
Atque experta Dei virtutem spernere veri.
Deponas jam festa velim puerilia, ritus
Ridiculos, tantoque indigna sacraria regno.
Marmora tabenti respergine tincta lavate,
O proceres: liceat statuas consistere puras
Artificum magnorum opera: hæ pulcherrima nostræ

ercitus triumphantis de Maxentio; et nomen colendum Christi, quo omnia arma erant insignita. Cave igitur, o urbs nobilissima mundi, ne cultu ridiculo tibi effingas monstra vana et chimeras: ne contemnas Deum verum, cujus potentiam sensisti. Depone nunc, quæso, tua festa nugatoria, tuas cærimonias ineptas, et templa indigna tanto imperio. O cives, mundate aras marmoreas imbutas tabido cruore; sinite statuas, quæ sunt opera adeo illustrium statuariorum, stare non inquinatas. Illa

hæc Weitz.—498 *Prodigia esse Deos* Weitz. *P. esse Deos olido* T. *stolido confingere* A. G. P.—500 *vel in* Eg.—502 *lavare* A. Eg. P.—505 *fuant* Weitz.

NOTÆ

496 *Christique verendum Nomen adoravit*] 'Haud ista,' inquit Baronius, 'sic intelligenda sunt, ut senatus mox factus fuerit Christianus; sed quod Labarum primarium militiæ signum ex more salutans fuerit veneratus,' &c.

497 *Caput orbis*] Roma passim dicitur mundi caput, mundi miraculum, mundi compendium, arx nationum ac regum, lumen gentium, cui par est nihil, et nihil secundum. Vide Lips. de Magnit. Rom. I. 2.

498 *Larvas*] Inf. larvas etiam habemus: 'Et quascumque solent Capitolia claudere larvas.' Larvæ autem proprie nocturna sunt terriculamenta, nocturnique dæmones.

499 *Experta Dei virtutem*] Nam, ut tradunt Zonar et Cedren, occulte ad Constantinum ab Urbe missi fuerant legati, qui animum illius adversus intolerabilem Maxentii tyrannidem concitarent. Quare Constantinus scripturam hanc Romanæ linguæ verbis insculpi præcepit: HOC SALUTARI SIGNO, VERO FORTITUDINIS INDICIO, CIVITATEM VESTRAM TYRANNIDIS IUGO LIBERAVI, ET S. P. Q. R. IN LIBERTATEM VINDICANS PRISTINÆ AMPLITUDINI ET SPLENDORI RESTITUI. De verbo Cluo, sup. Psychomach. vs. 2.

504 *Hæ pulcherrima nostræ Ornamenta patriæ*] Statuarum originem et augmentum breviter habes apud Cassiodorum lib. VIII. 'Statuas primum Thusci in Italia invenisse referuntur, quas amplexa posteritas pæne parem populum urbi dedit, quam natura procreavit.' Et sane nullum fuit publicum opus, quodcumque nomines, nullus adeo locus publicus aut vacuus, ubi non hæc ornamenta. Ita Lips. de Magnit. Rom. III. 9. De Statuis, et earum custodela.

Ornamenta cluant patriæ, nec decolor usus
In vitium versæ monumenta coinquinet artis.
Talibus edictis urbs informata refugit
Errores veteres, et turbida ab ore vieto
Nubila discussit, jam nobilitate parata
Æternas tentare vias, Christumque vocante
Magnanimo ductore sequi, et spem mittere in ævum.
Tunc primum senio docilis sua sæcula Roma
Erubuit: pudet exacti jam temporis: odit
Præteritos fœdis cum religionibus annos.
Mox, ubi, contiguos fossis muralibus agros
Sanguine justorum innocuo maduisse recordans,
Invidiosa videt tumulorum millia circum,
Tristis judicii mage pœnitet, ac ditionis
Effrænis, nimiæque sacris pro turpibus iræ:
Compensare cupit teterrima vulnera læsæ
Justitiæ sero obsequio veniaque petenda:
Ne tanto imperio maneat, pietate repulsa,
Crimen sævitiæ, monstrata piacula quærit,
Inque fidem Christi pleno transfertur amore.
Laurea victoris Marii minus utilis urbi,

pulcherrima ornamenta nostræ patriæ resplendeant; neque usus illicitus fœdet monumenta artis, quam commutavistis in crimen. Roma instructa illis edictis deponit suos antiquos errores, et dissipat a vultu veteri crassas tenebras. Tum, parta vera nobilitate, incipit inire viam vitæ æternæ, et sub Constantino invicto sequi Christum illum ad se vocantem, et sperare bona perennia. Tum Roma facta docilis senectute erubescit primo sua tempora peracta: deinde eam pudet annorum elapsorum, atque odit vixisse tot ætates in falsis religionibus. Vix meminit campos contiguos fossis suorum mœnium fuisse aspersos puro sanguine martyrum; atque illorum laudis invida vidit circa se quamplurima sepulcra: maxime eam pœnitet tulisse tam tristem sententiam, et exercuisse dominationem immoderatam, atque nimiam crudelitatem ad servandam infamem religionem. Vult exæquare tarda obedientia, et venia quam petit, injuriam atrocem, quam intulit justitiæ. Utitur piaculis præscriptis: et amplectitur maximo amore fidem Christianam; ne, pietate neglecta, crimen sævitiæ insit tam nobili imperio. Triumphus victoris Marii, per quem is ducebat

fiant T. C. *fluant* Ro. 1. *fugant* Bodl.—508 *vigeto* W. B.—510 *vocantem* B. a m. sec.—511 *doctore* A.—521 *petendæ* Eg.—523 *solvit* Eg.—530 *Præscrip-*

NOTÆ

523 *Monstrata piacula quærit*] Res ad expiandum Deum necessarias. Ita Virg. *Æn.* IV. 636. 'Et pecudes secum et monstrata piacula ducat.'

525 *Laurea*] Quia lauro coronabantur victores.

Marii] Natus est Arpini Marius, obscuro genere, tamque pauper, ut

**Cum traheret Numidam populo plaudente Jugurtham:
Nec tantum Arpinas consul tibi, Roma, medelæ
Contulit, extincto justa inter vincla Cethego,
Quantum præcipuus nostro sub tempore princeps
Prospexit tribuitque boni. Multos Catilinas
Ille domo pepulit; non sæva incendia tectis,
Aut sicas patribus, sed Tartara nigra animabus,**

Numidam Jugurtham inter plausus Romanorum, minus utilis fuit Romæ. Neque, o Roma, consul Cicero, cum morti dedit Cethegum inter vincula debita, tibi contulit tantum solatii, quantum boni maximus Constantinus hac ætate tibi curavit, et attulit. Is quidem ejecit ex Urbe plures Catilinas, qui non parabant domibus deflagrationem, et mortem senatoribus; sed animabus æternos cruciatus, et pœnas parti spi-

NOTÆ

agros alienos mercede conductus araret. Is a Sylla victus et in carcerem conjectus periisset, nisi immissum percussorem Gallum deterruisset, fugissetque in Africam. Ex quo exilio cum Cinna et Sertorio Urbem reversus, eam a Syllana factione eripuit jam senior, factusque est septimum Consul. Imo tertius Romæ conditor meruit appellari. Vide Liv. Vell. Victor. Plutarch. præcipue vero Sallust.

526 *Cum traheret*] Nam Jugurtha proditione Bocchi Mauritaniæ regis, ad quem confugerat, venit in potestatem Marii, qui ipsum captum ante currum egit.

Numidam] Numidiæ regem. Numidia autem Masinissæ fuit regnum, pars quondam Africæ proprie dictæ, versus Mauritaniam.

Jugurtham] Numidiæ rex, et filius Manastabalis. Quocum, quod Hiempsalem et Adherbalem Micipsæ filios regno ac vita spoliarat, bellum sumtum est.

527 *Arpinas consul*] I. e. Cicero quoque natus Arpini, quæ civitas Volscorum est inter Foram et Aquinum. In contemtum vocabatur ab inimicis.

528 *Cethego*] Cethegus, unus ex principibus Catilinariæ conjurationis, jubente Cicerone Consule, in carcere strangulatus est. Hujus frequens est mentio apud Ciceron. Sallust. Appian. Juvenalis autem Sat. VIII. 231. id paucis describit: 'Quis, Catilina, tuis natalibus atque Cethegi Inveniet quicquam sublimius? Arma tamen vos Nocturna, et flammas domibus templisque parastis, Ut Braccatorum pueri, Senonumque minores, Ausi quod liceat tunica punire molesta. Sed vigilat consul, vexillaque vestra coërcet. Hic novus Arpinas, ignobilis, et modo Romæ Municipalis eques, galeatum ponit ubique Præsidium attonitis, et in omni gente laborat.'

530 *Catilinas*] Dæmones patriæ hostes, et boni publici eversores. Quia Catilina cum C. Cethego, P. Lentulo, P. Gabinio, L. Statilio, Q. Curio, Q. Annio, P. Autronio, aliisque quamplurimis conjuraverat ad opprimendam patriæ libertatem.

531 *Non sæva incendia tectis*] Quippe Statilius et Gabinius cum magna manu duodecim simul opportuna loca urbis incendere debebant, quo tumultu facilior aditus ad Ciceronem ceterosque, quibus insidiæ parabantur, fieret.

532 *Sicas*] Unde Cic. in Cat. III. 'E quibus ille maximum sicarum nu-

Internoque hominum statui tormenta parantes.
Errabant hostes per templa, per atria passim,
Romanumque forum et Capitolia celsa tenebant,
Qui conjuratas ipsa ad vitalia plebis
Moliti insidias, intus serpente veneno
Consuerant tacitis pestem miscere medullis.
Ergo triumphator latitante ex hoste togatus
Clara tropæa refert sine sanguine, remque Quirini
Assuescit supero pollere in sæcula regno.
Denique nec metas statuit, nec tempora ponit:
Imperium sine fine docet, ne Romula virtus
Jam sit anus, norit ne gloria parta senectam.
  Exultare patres videas, pulcherrima mundi

ritali hominum. Dæmones hinc inde volitabant per templa et per atria: necnon versabantur in curia Romana, atque in alto Capitolio. Dæmones, ponentes insidias conspiratas in perniciem ipsarummet animarum populi, consueverant infundere pestem in intimum pectus, et permiscere cum veneno intus diffuente. Constantinus vero victor dæmonum occultorum reportat incruentam victoriam, et assuescit gentem Romanam possidere in perpetuum regnum cœleste. Denique nec constituit limites, nec definit durationem. Ostendit imperium sempiternum; ne virtus Romana jam consenescat: ne gloria adepta sentiat senectutem. Tum Senatores, egre-

sit A. G.—533 *struxit tormenta* A. G. B.—536 *Quin* Eg. a. m. sec. *plebes* Eg. —539 *cogator* Eg. sed *negator* superscr.—540 *resque* Eg. superscr.—547 Can-

NOTÆ

merum, et gladiorum extulit.' Sica autem gladii brevioris genus est. De Patribus, i. e. Senatoribus, sup. vs. 25.

535 *Romanumque forum*] Romæ tria fuerunt antiquitus fora, in quibus judicia exercebantur. Forum scilicet Cæsaris dictatoris, forum Augusti, et forum Latinum sive Romanorum. De Capitolio sup. vs. 182.

539 *Triumphator togatus*] Togam pictam sive palmatam habens, quæ togas inter locum obtinuit principem, imperatorumque, dum Romæ triumphum agerent, propria fuit. Datum tamen est et L. Æmilio Paulo, qui Persen vicit, et Pompeio Magno, ut picta toga ubi et quando libitum esset uterentur. De Quirino sup.

542 *Nec metas statuit, &c.*] Manifesta est imitatio Maroniani illius Æn. I. 282. 'His ego nec metas rerum, nec tempora pono: Imperium sine fine dedi.'

Statuit, nec tempora ponit, &c.] Forte, *Statui, nec tempora poni*, ita ut utrumque referatur ad *docet*, quod sequitur.

545 *Mundi Lumina*] Hinc Probus apud Vopiscum ait, 'Romanos Senatores mundi principes esse, tales semper fuisse, et imposterum futuros.'

Martyris ante fores, Bruti summittere fasces
Ambit, et Ausoniam Christo inclinare securem.
Non Paulinorum, non Bassorum dubitavit
Promta fides dare se Christo, stirpemque superbam
Gentis patriciæ venturo attollere sæclo.

ambivit dejicere ad limina templorum martyrum fasces consulum, et subdere Christo securim Romanam. Promta fides Paulinorum et Bassorum non dubitavit adorare Christum, et commendare temporibus futuris nobilem sobolem familiarum patricia-

NOTÆ

mina inscribebantur in fastis sive annalibus; unde Claud. in Entrop. I. 10. 'Trabeata per urbes Ostentatur annus, titulumque effœminat anni.' Anno autem 379. Hermogenianus Olybrius cum Ausonio consul fuit. De Fastis, sup. Perist. X. 614.

Palmata abolla] Abolla, vestis, quasi abulla, quod undique sit bullata. Palmata dicitur a palmis in ea depictis. Propriam fuisse consulum docet Cassiod. lib. VI. 'Nos habemus labores Consulum, et vos gaudia dignitatum: palmatæ siquidem vestræ, nostræ probantur esse victoriæ,' &c.

557 *Bruti*] Pro regibus enim Consules duo comitiis centuriatis a Præfecto urbis creati sunt L. Junius Brutus, et L. Tarquinius Collatinus. De Fascib. et Secur. sup.

558 *Ausoniam*] Pars Italiæ, in qua Beneventum et Cales, olim dicta fuit Ausonia, ab Ausone Ulyssis filio. Postea vero id nomen toti Italiæ datum est.

559 *Paulinorum*] De sancto Pontio Paulino, patria Aquitano, hic agitur; qui paupertati Christianæ posthabitis opibus ac nobilitate generis, Nolanus deinde factus est episcopus. Ex Ausonii literis, cui familiarissimus fuit Paulinus, et omnibus rebus conjunctus, ita ut Ausonio disciplinas, dignitatem, literas se debere profiteatur, colligimus eum Consulem Romanum fuisse ipsius opera: 'quanquam et fastorum,' inquit epist. 20. 'titulo prior, et tua Romæ Præcessit nostrum sella curulis ebur.' Quia vero Paulini nomen in Chronicis non invenitur, Consulem suffectum fuisse dico; i. e. ordinario substitutum. Deinde in Barcinonensem agrum secessisse, Epist. 23. 'Occidui me ripa Tagi, me Punica lædit Barcino, me bimaris juga ninguida Pyrenæi.' Uxorem habuit Therasiam, non minus viro piam et sanctam. A Delphino Burdigalensi episcopo baptizatus, fuit, ut ipse docet literis tum ad Delphinum, tum ad Severum scriptis. Tandem anno 431. Ambrosii, Augustini, Hieronymi, Martini, aliorumque laudibus, et amicitia celebratus obiit.

Bassorum] Junius Bassus primus e familia Bassorum ad Christianam fidem transiit, præfectus urbi, ac decessit neophytus Eusebio et Hypatio coss. anno 358. ut testatur vetus Inscriptio Romæ in arca sepulcrali, quam in lucem pretulit Jac. Sirmondus in notis ad Ennodium: HIC. DEPOSITUS. EST. JUN. BASSUS. V. C. QUI. VIXIT. ANNIS. XLII. MENS. II. IN. IPSA. PRÆFECTURA. URBI. NEOFITUS. IIT. AD. DEUM. VIII. CAL. SEPT. EUSEBIO. ET. HYPATIO. COSS.

561 *Gentis patriciæ*] Urbe condita, populum omnem duas in partes Romulus divisit: unam divitum, qui patres, eorumque posteri patricii dicerentur: alterum tenuiorum, qui ple-

Jam quid plebicolas percurram carmine Gracchos,
Jure potestatis fultos, et in arce senatus
Præcipuos, simulacra Deum jussisse revelli,
Cumque suis pariter lictoribus omnipotenti
Suppliciter Christo se consecrasse regendos?
Sexcentas numerare domos de sanguine prisco
Nobilium licet, ad Christi signacula versas
Turpis ab idolii vasto emersisse profundo.
Si persona aliqua est, aut si status urbis, in his est:
Si formam patriæ facit excellentior ordo,
Hi faciunt: juncta est quoties sententia plebis,
Atque unum sapiunt plures, simul ac potiores.
Respice ad illustrem, lux est ubi publica, cellam:
Vix pauca invenies gentilibus obsita nugis

rum. *Quid jam narrem carminibus Gracchos populares, confisos jure auctoritatis, dominosque primis dignitatibus senatus, jussisse statuas falsorum Deorum auferri, et se suosque simul ministros devovisse Christo omnipotenti? Possem recensere quamplurimas alias familias ortas a stirpe antiqua nobilium, quæ convolantes ad vexilla Christi exierunt e vasto gurgite turpis idololatriæ. Quod si ratio aliqua personarum habetur, quod si senatores tenent locum in civitate; quod si is ordo clarissimus confert splendorem reipublicæ; ii sane conferunt; quoties plebs it in eandem sententiam, et plurimi, eorumque illustrissimi idem sentiunt. Inspice famosas ædes, ubi senatores, decus reipublicæ, congeruntur. Reperies pauca corda in-*

Eg. W. superscr. P.—564 *repelli* B. a m. sec.—566 *congregasse* A. Eg. P.—569 *profano* Eg. P.—572 *est* deest Ro. 2.—576 *obstrictos* A. G.—579 *quis in*

NOTÆ

beii. Dum autem solis patriciis aditus ad honores patuit, iidem nobiles erant qui et patricii.

562 *Plebicolas*] Nam T. Sempronius Gracchus, et Caius ejus frater, a patribus oppressi sunt, quod Tribuni plebis leges agrarias contra Senatus voluntatem promulgassent, et populi partes suscepissent; ut patet ex nummo TI. SEMPRONII. GRACCHI. cum his literis OB CIVIS SERVATOS.

Gracchos] Semproniis omnibus rerum gestarum gloria Gracchi longe præstiterunt. Eorum princeps fuit Tiberius consul ann. 515. Sed ne longior sim in iis quæ legentibus occurrent, dico unum e Gracchis præfectum Urb. et Vicar. sub Valentin. Valente, et Gratiano, AAA. a quibus ipsi rescribitur 4 Cod. tit. 20. fidem Christianam amplexum fuisse. Hieronymus de eo scribit ad Lætam: 'Gracchus nobilitatem patriciam sonans nomine, cum præfecturam gereret urbanam, nonne specum mithræ et omnia portentosa simulacra, &c. subvertit, fregit, exussit, et his quasi obsidibus ante præmissis, impetravit baptismum Christi?' De Lictoribus, sup. Perist. x. 144.

569 *Idolii*] Adi sup. Perist. XIV. 13. et Apoth. vs. 106.

Ingenia, obtritos ægre retinentia cultus,
Et quibus exactas placeat servare tenebras,
Splendentemque die medio non cernere solem.
Post hinc ad populum converte oculos: quota pars est,
Quæ Jovis infectam sanie non despuat aram?
Omnis qui celsa scandit cœnacula vulgus,
Quique terit silicem variis discursibus atram,
Et quem panis alit gradibus dispensus ab altis,

voluta mendaciis paganorum; jam ea difficile retinent cultus abolitos: nulla amant servare errores præteritos, et privari sole, Christo scilicet, dante lumen clarissimum. Deinde conjice oculos in plebem. Maxima pars plebeiorum contemnit altaria Jovis inquinata putredine. Omne scilicet vulgus, quod ascendit in excelsa triclinia, quod conterit sordidum pavimentum multis deambulationibus, quod vescitur pane

urbe est Qui A. G.—580 *dispuit* Weitz. *disputat* Eg. P.—582 *discussibus* A.

NOTÆ

580 *Despuat aram*] Tale illud Tertulliani de idololatria cap. 11. 'Quo ore Christianus thurarius, si per templa transibit, fumantes aras despiciet, et exsufflabit, quibus ipse prospexit?' Et Minutii: 'Templa ut busta despiciunt, Deos despuunt, rident sacra.'

581 *Celsa scandit cœnacula*] Pauperibus atque infimæ fortunæ hominibus erant cœnacula tegulis proxima. Unde Juven. Sat. III. 200. 'Nam si gradibus trepidatur ab imis, ultimus ardebit, quem tegula sola tuetur a pluvia.' Ubi Scholiast. 'Tegula sola tuetur, i. e. qui habitat in suprema parte ædium sub tegulis. Designat autem cœnacula, quæ superiores partes domus dicuntur, quæ inquilinis locari consueverant.' Apuleius vero Met. IX. 'Meque per scalas complicitis pedibus in superius cœnaculum attracto.' Et Plaut. Amphitr. 'In superiore qui babito cœnaculo.'

582 *Terit silicem atram*] Per hanc circumscriptionem vulgus adhuc manifeste designatur. Nam 'lectica non gestatur, sed pedibus incedit per vias cœnosas silice stratas,' inquit Scholiast. ad illud Juv. Sat. VI. 349. 'Nec melior pedibus silicem quæ conterit atrum.'

583 *Panis alit gradibus dispensus ab altis*] Unde panis gradilis appellatus est. Talis autem distributio vetus Romæ, et ab ipso etiam Senatu. Ille in rebus et annona arcta, miseritus plebis, frumentum aliquando divisit, non tamen nullo, sed modico ære. Accessere Tribuni statim, et hoc populare sibi vindicarunt, variis frumentariis legibus latis. Ultimus hac in re Clodius: 'Annonariam legem tulit, ut frumentum, quod antea populo semisse æris ac trientibus in singulos modios dabatur, gratis daretur.' Cujusque igitur mensis initio, sive Nonis, publice frumentum dabatur, ut testatur Dionysius lib. IV. 'Ut frumentum, quod publice datur, accipientes in menses singulos,' &c. Quo ex loco, quid sit frumentum menstruum, intelligimus. Denique ab imperatoribus non hac ratione penuriæ publicæ cautum est duntaxat, sed et panes, ipsorum nomine, aut singulis hebdomadis, qui ideo panes hebdo-

Aut Vaticano tumulum sub monte frequentat,
Quo cinis ille latet genitoris amabilis obses;
Cœtibus aut magnis Lateranas currit ad ædes,
Unde sacrum referat regali chrismate signum.
Et dubitamus adhuc, Romam tibi, Christe, dicatam
In leges transisse tuas? omnique volentem
Cum populo et summis cum civibus ardua magni
Jam super astra poli terrenum extendere regnum?
Nec moveor, quod pars hominum rarissima clausos
Non aperit sublime oculos, et gressibus errat.
Quamlibet illustres meritis, et sanguine clari,
Præmia virtutum titulis et honoribus aucti
Ardua retulerint, fastorumque arce potiti
Annales proprio signarint nomine chartas,

dispertito ex gradibus sublimibus, nunc aut adit ad sepulcrum situm in monte Vaticano, ubi corpus Divi Petri, gratum quidem pignus, conditur; aut confluit magno concursu in basilicam Lateranam, unde reportet sacrum characterem, quem imprimit oleum benedictum. Quis jam dubitet, o Christe, Romam tibi devotam amplexam fuisse fidem Christianam? urbisque plebem omnem, ac primarios cives velle perducere regnum terrenum usque ad alta sidera magni cœli? Nec miror paucos admodum homines claudere oculos luci fidei, et aberrare pedibus. Quantumvis illustres laude factorum, clari genere, et decorati monumentis atque honoribus meriti fuerint præmia debita virtuti laboriosæ; necnon occupantes principem locum fastorum inscripserint suo nomine historias annuas; et propter statuas cereas

Eg.—586 *Laterani accurrit* A. Eg. P.—593 *sub luce oculos* Weitz.—594 *Quam-*

NOTÆ

marii dicebantur, aut singulis diebus divisi fuere non pauperibus modo, verum etiam iis qui sublevari gauderent: inter quos liberti, et id genus, maxime fuere. Tesseris vero æreis, aut certe malleo ductis, panes isti distribuebantur. Vide Lips. Elect. I. 8. et de Magnit. Rom. II. 10. Et Du Cange in sua Constantinopoli Christiana, ubi de Gradibus.

584 *Vaticano tumulum sub monte*] De Vaticana basilica ad radices Vaticani a Constantino condita jam egi pluribus sup. Perist. XII. 29. 31.

586 *Lateranas ad ædes*] Nempe 'ad basilicam Salvatoris in Laterano, ipsumque locum baptisterii, quem,' ut ait Baronius Ann. 324. 'Constantinus vasis aureis argenteisque, et pretiosissimis ornamentis, decoravit, atque amplissimis ubique terrarum eis assignatis reditibus dotavit.' Ædes autem Lateranæ dicuntur a Plautio Laterano, cujus hæc domus egregia fisci inscriptione publicata est, deinde in regiam mutata, denique Melchiadi papæ a Constantino datæ. Hæc Baron. loc. cit.

596 *Fastorum arce potiti*] Adi notam 556. hujusce lib.

Atque inter veteres cera numerentur et ære:
Attamen in paucis, jam deficiente caterva,
Nec persona sita est patriæ, nec curia constat;
Et quodcumque fovet studii privata voluntas,
Ac jam rara tenet: sed publica vota reclamant,
Dissensu celebri trepidum damnantia murmur.
Sic consulta patrum subsistere conscriptorum,
Non aliter licitum prisco sub tempore, quam si
Ter centum sensisse senes legerentur in unum.
Servemus leges patrias: infirma minoris
Vox cedat numeri, parvaque in parte silescat.
  Aspice, quam pleno subsellia nostra senatu
Decernant infame Jovis pulvinar, et omne
Idolium, longe purgata ex urbe fugandum.

æreasque reponantur inter veteres familias; attamen nec dignitas patriæ, nec Senatus pendet a paucis, cum multitudo eat in aliam partem. Quamcumque habeant cogitationem et servent privati homines et paucissimi, parum est; nam vota publica, quæ repugnant huic exiguo murmuri, discordia honorifica iis opponuntur. Quodsi primis temporibus decreta Patrum conscriptorum non erant valida, nisi certum esset trecentos senatores idem sensisse; jam servemus leges patrias. Sententia debilis numeri minoris cedat, et quiescat intra limites factionis. Vide quam unanimi consensu nostri judices jubeant detestanda pulvinaria Jovis et omnia simulacra ejici

vis A.—598 *carta numerentur* W. superscr.—601 *fovent* A. Eg. P. T. Bodl.—602 *ac publica* A.—610 *Discernant* A. Eg. P.—613 *cum pedibus* Weitz. *tunc*

NOTÆ

598 *Cera numerentur et ære*] Romanos collocasse in tabulariis per atria majorum imagines, certum est et notum omnibus; nobilesque apud illos fuisse eos solos, quorum majores magistratum ceperant, quique jus habebant imaginis ponendæ. Vide sup. Perist. x. 127.

604 *Patrum conscriptorum*] Liv. lib. II. 'Deinde, quo plus virium in Senatu frequentia etiam ordinis faceret, cædibus regis diminutum patrum numerum, primoribus equestris gradus lectis, ad trecentorum summam explevit; traditumque inde fertur ut in Senatum vocarentur, qui patres, quique conscripti essent. Conscriptos videlicet in novum Senatum appellabant lectos.'

605 *Quam si Ter centum sensisse senes*] Nisi Senatus frequens esset, loco et die legitimo habitus, nullum Senatusconsultum legitimum ac ratum habebatur. Quod si frequens, tum teste Prudentio omnes ad unum Senatores in unam eandemque sententiam ire oportebat. Turneb. XIII. 12. fuse et diligenter id pertractat. De Subselliis sup. Perist. x. 61. De Pulvin. sup. De Idolio, sup. Apoth. vs. 186. De Pago, sup. Perist. x. 296.

Qua vocat egregii sententia principis, illuc
Libera tum pedibus, tum corde frequentia transit.
Nec locus invidiæ est; nullum vis aspera terret;
Ante oculos sic velle patet; cunctique probatum,
Non jussum, sola capti ratione sequuntur.
Denique pro meritis terrestribus æqua rependens
Munera sacricolis summos impertit honores
Dux bonus, et certare sinit cum laude suorum:
Nec pago implicitos per debita culmina mundi
Ire viros prohibet; quoniam cœlestia nunquam
Terrenis solitum per iter gradientibus obstant.
  Ipse magistratum tibi Consulis, ipse tribunal
Contulit, auratumque togæ donavit amictum,
Cujus religio tibi displicet, o pereuntum
Assertor Divum, solus qui restituendos
Vulcani Martisque dolos Venerisque peroras,
Saturnique senis lapides, Phœbique furores,
Iliacæ matris Megalesia, Bacchica Nysi,

procul ab urbe liberata erroribus. Multitudo libera illuc accurrit et pedibus et corde, qua eam vocat voluntas præstantis principis. Neque id subjicitur malevolentiæ. Nemo enim terretur vi violenta. Omnibus notum est imperatorem hoc exoptare; cuncti una illa ratione adducti se accommodant ad arbitrium principis, non vero ad mandata. Denique is optimus imperator, tribuens præmia proposita meritis temporalibus, defert ipsismet paganis summos honores, ac sinit sibi subjectos certatim quærere gloriam. Non impedit quominus homines dediti idololatriæ evehantur ad gradus honoris terreni, quos merentur; quia res cœlestes nunquam nocent terrenis hominibus, qui tenent vulgares vias officii. Is imperator, o Symmache defensor Deorum caducorum, licet unus petas ut denuo celebrentur doli Vulcani, et Martis, et Veneris; lapis oblatus patri Saturno, afflatus quibus concitabat Phœbus; Megalenses ludi dicati Deæ Terræ; sacrificia facta Baccho Nysæo; Io semper

corde W. a m̀. sec.—615 *probatu Non jussu* A.—616 *capitis* P.—626 *solis* Eg. —628 *Fybique* Eg.—631 *Mimicaque et ridenda* Eg. et Johan. a Wouwer. in

NOTÆ

612 *Egregii principis*] Theodosii scilicet: ad quem redit, ut colligere est ex iis quæ sequuntur.

623 *Ipse magistratum tibi Consulis*] Vide quid dixerim not. 1. hujusce libri. De Tribun. sup. Perist. x. 144. De Toga Senator. De Vulcano, Marte, Venere, Saturno, Phœbo, supra egi semel atque iterum.

629 *Iliacæ matris*] Cybele multas habuit regiones urbesque sibi addictas, inprimis vero Phrygiam et Ilium; unde Berecynthia, Idæa, Pessinuntia, et mater Phrygia sæpe dicitur.

Megalesia] Liv. lib. II. ' M. Brutus ædem Magnæ matris Deum in

Isidis amissum semper plangentis Osirim
Mimica, ridendaque suis solennia calvis,
Et, quascumque solent Capitolia claudere, larvas.
O linguam miro verborum fonte fluentem,
Romani decus eloquii, cui cedat et ipse
Tullius, has fundit dives facundia gemmas!
Os dignum, æterno tinctum quod fulgeat auro,
Si mallet laudare Deum, cui sordida monstra

plorans Osirim amissum; necnon luctus annui simulati, atque ipsismet calvis ridendi; et omnia idola quæ solent asservari in Capitolio; is, inquam, imperator, cujus religio tibi displicet, tibi tribuit dignitatem tum Consulis, tum Tribuni, et concessit vestiri toga aurata. O lingua Symmachi manans e miro fonte verborum! tua dives facundia fundit orationem tam luculentam, ut Cicero ipse, ornamentum Latini sermonis, tibi cedat. Os sane dignum, quod splendeat præditum æterna pulchritudine; si mallet laudare Deum, quem postposuit idolis infamibus: quo scelere con-

NOTÆ

palatio dedicavit, et ludos ob eam dedicationem factos, Megalesia appellavit.' Pridie Non. April. celebrabantur. Vide Ov. Fast. IV.

Bacchica] De Bacchanalibus multa diximus, sup. vss. 91. 128.

Nysi] Bacchi, ita dicti a civitate Nysa. Apud Harduinum e cimelio Regio Nummus Hadriani, cum signo libertatis, cujus ea est inscriptio: ΝΥϹΑΕΩΝ. ΔΙΟΝΥϹΟϹ. Nysæorum Bacchus.

630 *Isidis plangentis Osirim*] Isis sive, ut jam dixi sup. Io, Inachi Argivorum regis filia, nupsit Osiridi, qui a Typhone fratre clam occisus est, et ab Iside diu quæsitus. Singulis autem quibusque annis Ægyptii eum amissum cum mœrore quærunt, et inventum maxima cum lætitia persequuntur. M. Minuc. Octav. Lactant. Jul. Firmic. et Ovid. idem habent: 'Sistraque erant, nunquamque satis quæsitus Osiris.' Met. IX. 692.

631 *Mimica*] Non enim tantum annuis sacris, sed singulis is ritus apud Ægyptios sacerdotes fuit, ut cum fletu prodirent, mox cum lætitia et cantu redirent: imitantes Isidis exemplum.

Calvis] 'In adytis habent idolum Osiridis sepultum: hoc annuis luctibus plangunt, radunt capita, ut miserandum casum regis sui turpitudine dehonestati defleant capitis.' Jul. Firmic. de errore prof. Relig. De Larvis, 498.

634 *Romani decus eloquii*] Idem habent omnes veteres. Macrob. Sat. V. 1. 'Quatuor sunt, inquit Eusebius, genera dicendi: copiosum, in quo Cicero dominatur: breve, in quo Sallustius regnát: siccum, quod Frontoni ascribitur: pingue et floridum, in quo Plinius Secundus quondam, et nunc nullo veterum minor noster Symmachus luxuriatur.' D. Prosper Aquitanicus de promissionibus Dei, parte 3. 'Cui Symmachus ille, mirabili eloquio et scientia præditus,' &c. Cassiodor. hist. Tripart. IX. 23. 'Is enim Symmachus inter Senatores præcipuus habebatur, eratque Romani eloquii eruditione mirabilis, cujus multi quoque reperiuntur libri.'

Prætulit, et liquidam temeravit crimine vocem.
Haud aliter, quam si rastris quis tentet eburnis
Cœnosum versare solum, limoque madentes
Excolere aureolis si forte ligonibus ulvas,
Splendorem dentis nitidi scrobis inquinat atra,
Et pretiosa acies squalenti sordet in arvo.
  Non vereor, ne me nimium confidere quisquam
Arguat, ingeniique putet luctamen inire.
Sum memor ipse mei, satis et mea frivola novi:
Non ausim conferre pedem, nec spicula tantæ
Indocilis fandi conjecta lacessere linguæ.
Illæsus maneat liber, excellensque volumen
Obtineat partam dicendi fulmine famam.
Sed liceat tectum servare a vulnere pectus,
Oppositaque volans jaculum depellere parma.
Nam, si nostra fides, sæclo jam tuta quieto,

taminarit vocem suam nitidam. Perinde ac si quis tentet proscindere terram lutosam rastris eburneis, aut forte excolere ligonibus aureis juncos madidos limo; terra cœnosa obscurat splendorem eboris conspicui, et limus squalidus fœdat cuspidem auream. Certus sum neminem me damnaturum nimia confidentia, atque existimaturum me tecum inire certamen de ingenio. Non sum mei immemor; satisque novi meæ mentis tenuitatem. Esto, imperitus dicendi non audeam dimicare junctis pedibus, ac provocare emissos aculeos tam acris orationis. Volo, o Symmache, tuus liber sit semper eadem existimatione: tuaque admirabilis oratio colligat famam partam viribus eloquentiæ. Mihi vero liceat cor defendere a vulneribus, et vitare scuto obvio telum contortum. Cur enim non mihi sit fas declinare curvatione lateris inflexi sagittas inanes jactu pereunte; si mea fides, quæ jam tranquillis temporibus

not. ad Jul. Firm. p. 106.—639 *cum rastris* A. et quatuor Mss. Heinsii.—640 *verrare* Eg.—655 *mi* A.—656 *sarissas* Lips. Saturn. II. 20.

NOTÆ

641 *Excolere aureolis ligonibus*] Tale illud Clementis Alex. 'Nemo ligonem argenteum facit, nemo falcem auream: nam utendum apta materia ad agriculturam, non divite:' et Tertull. lib. de habitu muliebri: 'Certe nec ager auri opere paratur, nec navis argenti vigore contexitur. Nullus bidens aurum demergit in terram.' Judæi tamen, teste Theodorito Hist. III. 17. cum jussu Juliani Apostatæ vellent restaurare templum Hierosolymitanum, eo devenere insaniæ ut 'ligones ex materia argentea, palas etiam et sportas confecerint.' De Ulva, sup. Apoth. vs. 764.

649 *Liber*] Libellus scilicet, quem Valentiniano adhuc puero obtulit, cujusque argumenta Ambrosius Prudentiusque refutarunt.

652 *Parma*] Scuto rotundo: quod ita dicitur, ait Varro, quia e medio in omnes partes esset par.

Viribus infestis hostilique arte petita est;
Cur mihi fas non sit, lateris sinuamine flexi
Ludere ventosas jactu pereunte sagittas?
Sed jam tempus, iter longi cohibere libelli,
Ne tractum sine fine ferat fastidia carmen.

est in tuto, oppugnatur viribus adversis, et arte inimica? Sed tempus est facere finem huic longo libro, ne sermo longius productus creet fastidium.

NOTÆ

655 *Lateris sinuamine flexi*] In vitando præcipua cura, ut latus tegatur. Apud Terent. Mureto admonente, jam innotuit: 'Liceat modo tecto latere discedere.' Seneca Quæst. Nat. lib. IV. 'A turba quantum potes te separa, nec adulatoribus latus præbeas.' Et sane latus adversarii maxime petebant. Ammianus: 'Seque in modum myrmillonis operiens, hostium latera, quæ nudabat ira flagrantior, districtis mucronibus perforabat.'

656 *Ludere*] Exire apud Virg. 'Corpore tela modo atque oculis vigilantibus exit.' Excedere apud Ciceronem: 'Parva quadam declinatione, et, ut aiunt, corpore excessi:' eludere apud Manilium: 'Ille cito motu rigidos eludere cæstus, Nunc exire levis missos;' idem significant.

Sagittas] *Sarissas* legit Lipsius: quia hastæ jaciuntur pilaque, non autem sagittæ.

657 *Sed jam tempus, iter, &c.*] Virg. Georg. II. 'Sed nos immensum spatiis confecimus æquor, Et jam tempus equum fumantia solvere colla.'

AURELII PRUDENTII

CLEMENTIS

CONTRA

SYMMACHI ORATIONEM

LIBER II.

PRÆFATIO.

Christum invocat Poëta, ut quemadmodum Petri super mare ambulantis ac trepidantis vestigia firmavit, ita sibi quoque, fluctibus Symmachianæ tempestatis pæne obruto, adsit, et dexteram porrigat.

SIMON, quem vocitant Petrum,
Summus discipulus Dei,
Lucis forte sub exitu,
Cum vesper croceus rubet,
Curvam vulserat anchoram,
Captans flamina linteis,
Et transnare volens fretum:
Nox ventum movet obvium,

Simon, qui nominatus est Petrus, magnus discipulus Christi, forte sub finem diei, cum Hesperus ruber oritur, solverat aduncam anchoram, et impleverat vela ventis, quod cuperet transilire mare. Nox vero movit ventum contrarium fluctibus; qui

NOTÆ

4 *Vesper croceus*] Vesper, prima stellarum, apparet sero, ceterasque dicitur accendere a Virg. Georg. I. 251. 'Illic sera rubens accendit lumina vesper.' De eo sup.

Fundo qui mare misceat,
Jactatam quatiat ratem.
Clamor nauticus æthera
Plangens atque ululans ferit,
Cum stridore rudentium:
Nec quicquam suberat spei,
Mergendis prope naufragis;
Cum Christum procul aspicit
Pallens turba periculis,
Calcantem pedibus mare,
Ac si per solidam viam
Siccum littus obambulet.
    Hæc miracula ceteri
Vectores pavidi stupent.
Solus non trepidus Petrus
Agnoscit Dominum poli,
Terræque, et maris invii;
Cujus omnipotentiæ est
Plantis æquora subdere.
Tendit suppliciter manus,
Notum subsidium rogat.
Ast ille placide annuens,
Puppi ut desiliat jubet.
Jussis obsequitur Petrus:
Sed vestigia fluctibus

turbat mare, et quassat navem jactatam. Tum aër resonat vociferationibus nautarum plangentium atque ululantium, necnon sibilo funium. Nulla jam erat spes nautis proximis naufragio. Cum turba pallida ob periculum videt procul Christum peragrantem mare eodem pede, quo obiret littus siccum per iter solidum. Omnes navigantes timidi obstupescunt hoc miraculo. Unus Petrus impavidus novit Dominum cœli, terræ, et maris intractabilis; qui vi omnipotentiæ subjicit mare suis pedibus. Tendit manus supplices, et poscit opem, quam expertus fuerat. Christus vero assentiens benigne jubet Petrum exscendere e nave. Petrus obtemperat imperio. Sed vix tinxerat pedes superficie aquarum; pedibus labentibus mersit in mare crura

26 *Cujusque* G.—38 *Quid* Eg. P. *Qui* Vulg.—48 *Fidentem merito* Weitz.—

NOTÆ

16 *Christum procul aspicit, &c.*] Quomodo Christus super aquas ambulans Petrum mergentem erexerit, narrat Matth. cap. XIV. Vide Cathem. III. 49. Perist. VII. 57. et Apoth. vs. 664.

Summis tingere cœperat,
Et lapsante gradu pedes
Pessum mergere lubricos.
Mortalem Deus increpat,
Quod sit non stabili fide,
Nec calcare fluentia,
Nec Christum valeat sequi.
Tum dextra famulum levat,
Sistitque, et docet ingredi
Tergum per tumidum freti.
  Sic me, tuta silentia
Egressum, dubiis loquax
Infert lingua periculis:
Non ut discipulum Petrum
Fidentem et merito et fide;
Sed quem culpa frequens levem
Volvat per freta naufragum.
Sum plane temerarius,
Qui noctis mihi conscius
Quam vitæ in tenebris ago,
Puppem credere fluctibus
Tanti non timeam viri;

titubantia. Deus redarguit Petrum, cui nec erat fides firma nec voluntas calcandi maris ad exemplum Christi. Tum sublevat manu discipulum, retinetque, et docet incedere supra superficiem maris inflati. Ita loquacitas meæ linguæ me adducit in dubia pericula; qui exivi e portu tuto silentii. Non fidens sum et meritis et fide, ut erat Petrus discipulus: at vero quamplurima peccata me levem trahunt præcipitem in mare loquacitatis. Ego sum omnino imprudens, qui mihi conscius tenebrarum, quibus me involvunt vitæ crimina, audeam committere navem meam mari elo-

NOTÆ

55 *Tanti viri*] Extat de Symmacho præclarum antiqnitatis elogium: quod inserere hoc loco libet, licet notum sit, atque in omnium manibus: LUCIO. AUR. AVIANO. SYMMACHO. V. C. PRÆFECTO. URBI. CONSULI. PRO PRÆFECTIS. PRÆTORIO. IN. URBE. ROMA. FINITIMISQUE. PROVINCIIS. PRÆFECTO. ANNONÆ. URBIS. ROMÆ. PONTIFICI. MAJORI. QUINDECIMVIRO. S. F. MULTIS. LEGATIONIBUS. PRO. AMPLISSIMI. ORDINIS. DESIDERIIS. APUD DIVOS. PRINCIPES. FUNCTO. QUI. PRIMUS. IN. SENATU. SENTENTIAM. ROGARI. SOLITUS. AUCTORITATE. PRUDENTIA. ATQUE. ELOQUENTIA. PRO DIGNITATE. TANTI. ORDINIS. MAGNITUDINEM. LOCI. EJUS. IMPLEVERIT AÛRO. ILLUSTREM. STATUAM. QUAM A. DOMINIS. AUGUSTISQUE. NOSTRIS SENATUS. AMPLISSIMUS. DECRÉTIS. FREQUENTIBUS. IMPETRAVIT. IDEM. TRI-

Quo nunc nemo disertior
Exultat, fremit, intonat,
Ventisque eloquii tumet:
Cui mersare facillimum est
Tractandæ indocilem ratis:
Ni tu, Christe potens, manum
Dextro numine porrigas,
Facundi oris ut impetus
Non me fluctibus obruat:
Sed, sensim gradiens, vadis
Insistam fluitantibus.

quentiæ tam periti hominis, quo nemo nunc est facundior. Is exultat, fremit, tonat, et inflatur ventis suæ facundiæ, quæ facillime submerget me inscium conducendæ navis: nisi tu, o Christe omnipotens, benigno aspectu offeras manum, ut vir eloquens non me obruat torrente verborum, sed progrediens sensim non submergar in aquis fluidis.

59 *versare* A.

NOTÆ

UMPHATORES. PRINCIPES. NOSTRI CONSTITUI. APPOSITA. ORATIONE. JUSSERUNT. QUÆ. MERITORUM. EJUS. ORDINEM. AC. SERIEM. CONTINERET. QUORUM. PERENNE. JUDICIUM. TANTO MUNERI. HOC. QUOQUE. ADDIDIT. UT ALTERAM. STATUAM. PARI. SPLENDORE. ETIAM. APUD. CONSTANTINOPOLIM. COLLOCARET.

64 *Non me fluctibus obruat*] Tale illud Arat. lib. II. 'Sed non ego linguam Tam fragilem committo vadis, rapidasque procellas Aufugiam tentare diu, ne forte canenti Obruat exiguam violentior unda loquelam.'

Adversarii objecta refellit.

HACTENUS et veterum cunabula prima Deorum,
Et causas, quibus error hebes conflatus in orbe est,
Diximus, et nostro Romam jam credere Christo:

Ostendi usque ad hoc tempus et primam originem veterum Deorum, et causas, quæ induxerunt homines in errorem tam fœdum; necnon Romam nunc colere nostrum

3 *cedere* Cellar. ex Ms. un. ceteris repugn.—5 *Inde* W. in marg.—9 *Edoc-*

Nunc objecta legam, nunc dictis dicta refellam.
Unde igitur cœpisse ferunt, aut ex quibus orsum,
Quo mage sancta Ducum corda illice flecteret arte?
Armorum dominos, vernantes flore juventæ,
Inter castra patris genitos, sub imagine avita
Eductos, exempla domi congesta calentes,
Orator catus instigat, ceu classica belli
Clangeret, exacuitque animos, et talia jactat:
Si vobis vel parta, viri, Victoria cordi est,
Vel parienda dehinc; templum Dea virgo sacratum
Obtineat, vobis regnantibus: ecquis amicus
Hostibus, hanc vestro sancte negat esse colendam
Imperio, cui semper adest, quod laudibus implet?

Jesum. Jam referam objectiones, et refutabo verba verbis. Unde ergo, aut a quibus rebus dicunt Symmachum fecisse initium, ut alliceret magis artificioso lenocinio pios animos Principum? Is callidus Orator, quasi inflaret tubam bellicam, exhortatur Principes moderatores belli, qui florent primæva juventute, qui nati sunt in castris patris, formati ad imaginem majorum, quique habent quamplurima exempla virtutis domestica; atque accendit illorum animos, et ea profert. Si vos, o Imperatores, maximi facitis victorias tum reportatas, tum reportandas in posterum, templum venerabile, dum vos regnatis, ponatur Deæ Victoriæ. Quis adeo est amicus nostris hostibus, ut neget victoriam pie colendam esse a vestris subjectis, quibus semper auxiliatur, quosque cumulat laudibus? Vix Symmachus Legatus ea dixerat:

tes Weitz. *tenentes* P. W. superscr. et Vulg.—10 *Ortator* Eg. superscr.—14 *et quis* Weitz. *magnus* pro *amicus* A.—17 *Hæc ubi dicta dedit* A. G.—

NOTÆ

6 *Ducum*] Arcadii et Honorii, ut nota prima primi libri ostendi. Ac miror quod nonnulli hæc ad Constantini liberos retulerint. Quod si de Valentiniano, cui patris loco erat Theodosius, et Arcadio locutum fuisse Prudentium suspicati fuissent, lubentius ipsis condonassem. De illice sup. Perist. XIV. 16.

7 *Vernantes flore juventæ*] Heinsius, si per libros daretur, mallet: *Armorum domines, vernantis flore juventæ.*

8 *Patris*] Theodosii. De classico sup.

13 *Templum Obtineat*] Victoriæ templum ab Arcadibus in vertice collis ædificatum fuisse scribit Dion. Halicarn. lib. I. Cic. vero de N. D. II. 61. et Tit. Liv. lib. VIII. testantur ipsi templum fuisse in Palatio.

Dea] A Romanis religiose culta fuit: et sane Victor gentium populus, si quam Deam colere debuit, debuit Victoriam.

Virgo] Nam apud poëtas Victoriam Deo hominive nupsisse non legimus. De Ausonia sup. vs. 558. De mola sup. Apoth. vs. 199.

Hæc ubi Legatus, reddunt placidissima fratrum
Ora ducum: Scimus, quam sit Victoria dulcis
Fortibus, Ausoniæ vir facundissime linguæ.
Sed quibus illa modis, qua sit ratione vocanda
Novimus: hac primum pueros pater imbuit arte:
Hanc genitore suo didicit puer ipse magistro.
Non aris, non farre molæ Victoria felix
Exorata venit: labor impiger, aspera virtus,
Vis animi, excellens ardor, violentia, cura,
Hanc tribuunt, durum tractandis robur in armis.
Quæ si defuerint bellantibus, aurea quamvis
Marmoreo in templo rutilas Victoria pennas
Explicet, et multis surgat formata talentis;
Non aderit, versisque offensa videbitur hastis.

duo fratres Imperatores respondent ore mitissimo: Non ignoramus, o vir peritissime linguæ Latinæ, quam victoria sit jucunda magnanimis; sed scimus quibus modis, et qua ratione ea sit vocanda. Pater nos pueros primum docuit hanc rationem; ipseque pater adhuc puer eam accepit a suo patre. Victoria non advolat secunda, quod exorata fuerit aris et farre placentæ. Sed labor impiger, virtus aspera, magnitudo ingens, et ardor mentis, vis ardua sibi allata, et robur laboriosum in ferendis armis concedunt victoriam. Quæ omnia si defuerint militibus, victoria non aderit, et telis adversis videbitur læsa, etsi in templo marmoreo statua aurea Victoriæ

25 *vigilantia, curæ* Heins. in not.—29 *metallis* A.—30 *aderint* P.—31 *optas*

NOTÆ

24 *Labor impiger*] Tale illud Catonis apud Sall. in Cat. 'Non votis, neque suppliciis muliebribus auxilia Deorum parantur: vigilando, agendo, bene consulendo, prospere omnia cedunt: ubi socordiæ te atque ignaviæ tradideris, nequicquam Deos implores: irati infestique sunt.' Et Arnob. lib. VII. 'Et unde parta Victoria est, si Pessinuntio lapidi nullum inerat numen? sedulitate possumus dicere, ac virtute pugnantium, usu, tempore, consilio, ratione, fato etiam possumus, et reciproca varietate fortunæ.'

25 *Violentia*] Ita codices, inquit Heinsius: nihilominus, *vigilantia*, videtur castigandum.

28 *Rutilas pennas Explicet*] Alatam fuisse Victoriam ostendit Græcum epigramma Anthol. IV. 21. Cum forte fulmine exustæ essent ipsius alæ, Poëta, Pompeius nomine, hæc cecinit, 'Ῥώμη παμβασίλεια, &c. 'Roma potens, alis cur stat Victoria lapsis? Urbem ne valeat deseruisse tuam. Præpetibus nunquam fugiet Victoria pennis: sic erit æternum gloria, Roma, tibi.' Visa tamen est olim Victoria sine pennis, atque, ut æternitas Victoriarum Titi designetur, talis cernitur in hujusce Imperatoris nummo, cum hac inscriptione VIC. AUG. Quis autem primus alas addiderit, adhuc incertum est, quia multi ejus inventi produntur auctores.

Victoria] Stygis filia, vel Cœli, ut vult Varro.

Quid, miles, propriis diffisus viribus, aptas
Irrita fœmineæ tibimet solatia formæ?
Nunquam pennigeram legio ferrata puellam
Vidit, anhelantum regeret quæ tela virorum.
Vincendi quæris dominam? Sua cuique dextra est,
Et Deus omnipotens: non pexo crine Virago,
Nec nudo suspensa pede, strophioque recincta,
Nec tumidas fluitante sinu vestita papillas.
Aut vos pictorum docuit manus, assimulatis
Jure poëtarum numen componere monstris;
Aut lepida ex vestro sumsit pictura sacello,
Quod variis imitata notis ceraque liquenti

pandat alas coruscas, et erigatur fabricata pluribus auri talentis. Quid, o vir bellicose, desperans tuis viribus petis inane auxilium a statua virginis? Legiones hastatæ nunquam viderunt victoriam alatam dirigere hastas militum anhelantium. Expostulas quid tradat victoriam? Manus uniuscujusque militis ipsi tradit et Deus omnipotens; non vero virgo quæ ornata est capillis compositis, et innixa pede nudo, et recincta fascia, et tecta circa mammas turgidas veste fluitante. Sed manus pictorum vos docuit uti jure poëtarum, et vertere in Deos monstra ficta. Seu potius pictura venusta traxit ex vestris templis id, quod repræsentans variis signis ac cera

Weitz.—35 *sua dextera cuique est* Weitz. *sua dextera forti est* P. Eg. W. superscr.—37 *revincta* Weitz. C.—38 *fluitantes investita* B. W. superscr. *sinu investita* Weitz.—40 *nomen* Eg. P. B. superscr. *imponere* Weitz.—45 *sic ina-*

NOTÆ

31 *Aptas* [*Optas*] Codices multi habent, *aptas*.

33 *Pennigeram puellam*] Pacatus panegyr. Theod. Aug. vult Victoriam fingi pennatam, quod quibus favet fortuna, non tam eant, quam volant.

36 *Non pexo crine Virago*] Innumerabiles Græcorum Romanorumque nummi Victoriam exhibent virginem liberali blandoque vultu; quæ coronam capite lauream gestat, et palmam manu; quæ protensa, ostentantis in morem, veste laxa, pede nudo, alis instructa humeros, sed jam explicitis, globo insistit insidetve. De Strophio sup. Psych. vs. 449.

39 *Aut vos pictorum docuit manus, assimulatis Jure poëtarum, &c.*] Plato de Rep. 10. Aristot. de poësi, Cicero Tusc. 5. et Horat. de Arte Poët. vs. 361. magnam esse pictores inter et Poëtas affinitatem docent. Unde Plutarch. 'Neque illud solum omnium sermone usurpatum audiverit, picturam esse poësim loquentem: poësim autem tacitam picturam.'

41 *Ex vestro sumsit pictura sacello*] De tribus enim imposturis hoc loco agit Prudentius, de pictura, poësi, et superstitione. Quare vs. 48. scribendum est: *Idola conflavit fallendi trina potestas:* non autem *docta potestas*, quod circumferebatur.

Duceret in faciem, sociique poëmatis arte
Aucta, coloratis auderet ludere fucis.
Sic unum sectantur iter, sic cassa figuris
Somnia concipiunt et Homerus et acer Apelles,
Et Numa; cognatumque malum, pigmenta, Camœnas,
Idola, conflavit fallendi trina potestas.
Hæc si non ita sunt, edatur, cur sacra vobis
Ex tabulis cerisque poëtica fabula præstat?
Cur Berecynthiacus perdit truncata sacerdos
Inguina, cum pulchrum poësis castraverit Attin?
Cur etiam templo Triviæ, lucisque sacratis
Cornipedes arcentur equi, cum Musa pudicum

molli contraheret in figuram; et adjuta arte poësis dicentis eadem auderet ludendo depingere pigmentis colorum. Hinc et Homerus, et ingeniosus Apelles, et Numa, sequuntur eandem viam, et exprimunt figuris futilia commenta. Ratio triplex fallendi docuit picturam, poësim, et idololatriam, quæ tria sunt malum affine. Si res non ita se habet, dic, cur fabula poëtica desumat capita vestræ religionis ex tabellis imaginibusque; cur sacerdos Berecynthiacus amputet virilia, nempe quod poësis fingat formosum Atyn olim sua amputasse; cur etiam equi corneis ungulis expelluntur a templo et sylvis dicatis Dianæ? nempe quod poësis cecinerit castum Hippo-

nia rerum Weitz. Bodl. T. Eg. A.—47 *cognatumque volunt* Weitz. T. Bo. 1. *vocant* Eg. P. *figmenta* Weitz.—48 *convaluit* T. Bo. 1. Weitz. *docta potestas* F. G. B. W. a m. sec.—50 *præstet* Weitz. Vulg. W. B.—52 *cum pulcher sese castraverat Atis* Vulg.—54 *Phædra pudicum* A. G. P. W. superscr. *pudicam*

NOTÆ

46 *Homerus*] Poëtarum princeps, jam tum ab ipsis Salomonis temporibus illustris.

Apelles] Nomen pictoris, patria Coi, Alexandri temporibus clari.

47 *Numa*] Primus, ut jam dixi sup. idololatriæ ac superstitionum repertor.

Cognatumque malum pigmenta, &c.] Corruptus erat hic locus, nisi fallor, ac perperam exhibebatur *cognatumque malum pigmenta, Camenæ. Idola conflavit fallendi docta potestas.* Est enim epexegesis.

51 *Berecynthiacus sacerdos*] Cybeles Berecynthiæ sacerdos, sic dictus a Berecyntho Phrygiæ monte. Hac de re sup. Perist. x. 197.

52 *Pulchrum poësis castraverit Attin*] Eleganter profecto, et ex mente Prudentii ea reposuit Heinsius in locum illius carminis: *cum pulcher sese castraverit Attis.* Tanquam Attis a poëtis sit castratus, quem poëtæ fuisse castratum sint ementiti. Nec quem offendat secunda syllaba in poësi correpta, cum idem sibi in Mathesi permiserit Prudentius non semel. De Trivia sup. Sym. 369.

54 *Musa*] Non *Phædra*. De Hippolyto Thesei et Hippolytæ Amazonis filio equis direpto, sup. Perist. xi. 87.

Raptarit juvenem volucri per littora curru,
Idque etiam paries tibi versicolorus adumbret?
Desine, si pudor est, gentilis ineptia, tandem
Res incorporeas simulatis fingere membris:
Desine, terga hominis plumis obducere: frustra
Fertur avis mulier, magnusque eadem Dea vultur.
Vis decorare tuum, ditissima Roma, senatum?
Suspende exuvias armis et sanguine captas,
Congere cæsorum victrix diademata regum,
Frange repulsorum fœda ornamenta Deorum:
Tunc tibi non terris tantum victoria parta,
Sed super astra etiam media servabitur æde.

lytum fuisse curru veloci raptatum ad littus maris. Quæ omnia vobis quoque offerunt parietes picti variis coloribus. O nugæ paganorum! Si vobis est aliquis pudor, tandem desinite tribuere rebus spiritualibus ficta corpora. Desinite plumis tegere corpus victoriæ stulte. Virgo dicitur avis, et magnus vultur Dea. An, o Roma locupletissima, cupis ornare tuum Senatum? alliga spolia reportata armis et periculo vitæ. Victrix accumula coronas Regum, quos occidisti: perrumpe turpia insignia idolorum, quæ abjecisti. Tum non solum terra retinebit memoriam tuarum victoriarum reportatarum, verum etiam cœlum, quod altius est sideribus.

Eg.—60 *magicusque* Heins. in not.—62 *raptas* Eg.—64 *vetera ornamenta* C.

NOTÆ

56 *Idque etiam paries tibi, &c.*] Pacatus apte ad rem nostram panegyr. Theod. Aug. 'Recte profecto germana illa pictorum poëtarumque commenta Victoriam finxere pennatam, quod hominum cum fortuna euntium non cursus est, sed volatus.'

58 *Res incorporeas*] Commenta illa, quæ sup. vs. 45. dixit: 'Cassa somnia.'

60 *Fertur avis mulier*] Hic versus cum proxime præcedenti Heinsio suspectus est.

Magnus vultur] Vel quod alata Victoria vulturum more exercitus supervolet: vel quod avis omnis magna et grandis dici possit vultur: vultur enim, quia propter magnitudinem corporis tarde volat, ita appellatur.

62 *Suspende exuvias armis*] Tropæa ex spoliis cæsorum hostium facta fuisse nummi, arcus triumphales, statuæ, denique Scriptores aperte demonstrant. Virg. Æn. XI. 5. 'Ingentem quercum decisis undique ramis Constituit tumulo, fulgentiaque induit arma, Mezenti ducis exuvias; tibi, magne, tropæum, Bellipotens: aptat rorantes sanguine cristas, Telaque trunca viri, et bis sex thoraca petitum Perfossumque locis: clypeumque ex ære sinistræ Subligat, atque ensem collo suspendit eburnum.'

64 *Fœda ornamenta Deorum*] *Vetera* malebat Cauchius, nec male. Forte enim respexit Prudentius Juvenalis illa Sat. III. 217. 'Hic aliquid præclarum Euphranoris, et Polycleti, Phæcasianorum vetera ornamenta Deorum.'

Talia principibus dicta interfantibus, ille
Persequitur, magnisque tubam concentibus inflat:
Allegat morem veterem: nil dulcius esse
Affirmat solitis: populosque hominesque teneri
Lege sua. Sicut variæ nascentibus, inquit,
Contingunt pueris animæ; sic urbibus affert
Hora diesque suum, cum primum mœnia surgunt,
Aut fatum, aut genium, cujus moderamine regnent.
Addit et arcanum rerum, verique latebras
Prosperitate aliqua deprendi posse, secundi
Per documenta boni, si sint felicia, quæ quis
Experiendo probet: cessisse parentibus omne
Idolium semper feliciter, et pede dextro.
Enumerat longi vim temporis: excitat ipsam
Crinibus albentem niveis, et fronte vietam,
Ore reposcentem querulo sua numina, Romam.
Libera sum, liceat proprio mihi vivere more.
Et quis erit, qui mille meos reprehenderit annos?

Symmachus respondet Imperatoribus, qui loquebantur hæc verba; et tollit vocem magnis effatis; profert longam consuetudinem: contendit nos delectari inprimis rebus, quibus solemus uti: nationes, hominesque addictos esse legibus suis. Vult ut, sicut pueri recens nati afferunt distinctas animas, ita civitates, hora, et die, quo primum illarum muri ædificantur, afferant fatum, sive Genium, cujus ductu dominentur. Addit etiam res absconditas, et sortem abstrusam posse detegi aliquo successu, qui felix successus est veluti documentum. Unusquisque autem discet sua experientia, quæ ipsi fortunata sint: addit semper cultum idolorum fauste, cursuque secundo cessisse primis Romanis: deinde affert seriem multorum annorum. Denique inducit Romam ipsam albentem capillis canis, et habentem vultum rugosum, quæ petit hac voce queribunda suos Deos. Ego sum libera: mihi fas sit vivere more meo. Numquis erit, qui increpet meos mille annos præteritos? Omnes

ex conj.—68 *Prosequitur* Weitz.—69 *more* P.—73 *suus* A. Eg. P. Vat. nn. *suis* T. Heins.—74 *regnet* A. Eg.—76 *secundis P. d. bonis* A. Eg. P.—81 *vigetam* W. *vieta* A.—84 *Ecquis* F.—86 *communi c. v. aura* Heins. in not.—

NOTÆ

74 *Genium*] Julianus ille Christianæ fidei desertor apud Cyrillum Alexandrinum lib. IV. contra Jul. p. 115. asserit quoque nationibus singulis ac populis suos præesse proprios Deos, quos *ἐθνάρχας*, et *πολιούχους θεοὺς* vocant, h. e. gentium rectores, urbiumque curatores genios: cujus rei id indicio esse putabat, quod iisdem præditos moribus, et a natura velut affectos populos cernimus, qui sunt ejus, quod illis præsidet, numinis peculiares. De idolio sup. Apoth. vs. 186.

Uno omnes sub sole siti, vegetamur eodem
Aëre, communis cunctis viventibus aura.
Sed, qui sit, qualisque Deus, diversa secuti
Quærimus, atque viis longe distantibus unum
Imus ad occultum. Suus est mos cuïque genti;
Per quod iter properans eat ad tam grande profundum.
His tam magnificis, tantaque fluentibus arte,
Respondit vel sola Fides, doctissima primum
Pandere vestibulum veræ ad penetralia sectæ.
Nam cum divinis agimus de rebus, et illum,
Qui vel principio caruit, vel fine carebit,
Quique chao anterior fuerit, mundumque crearit,
Conjectare animo contendimus, exigua est vis
Humani ingenii, tantoque angusta labori;
Quippe minor natura, aciem si intendere tentet
Acrius, ac penetrare Dei secreta supremi.
Quis dubitet, victo fragilem lassescere visu,
Vimque fatigatæ mentis sub pectore parvo
Turbari, invalidisque hebetem succumbere curis?
Sed facilis fidei via provocat, omnipotentem

homines positi sunt sub eodem sole: et ducunt eundem aërem: quicunque vivit, trahit spiritum omnibus communem. Ii vero abeuntes in varias sententias scrutantur, qui sit Deus et qualis: necnon eunt modis valde oppositis ad hunc Deum unum et ignotum. Omnes nationes finguntur suis moribus, ut hac ratione attingant cognitionem tam alti numinis. Fides, quæ etiam una est, et novit dare primum aditum ad arcana veræ doctrinæ, refellit sermonem tam ornatum, et tanta arte fluentem. Nam, cum loquimur de rebus cælestibus, et volumus consequi intellectu Deum, qui nec habuit initium, nec habebit finem, qui fuit prior mundo, et condidit orbem, acies mentis humanæ infirma est, atque impar tanto labori: quia homo debilior est, statim atque conatur altius intendere animum, et cognoscere mysteria summi Dei. Quis ergo non fateatur illum imbecillem vinci fatigarique hac contemplatione, et aciem intellectus defessi turbari sub corde tam angusto, et hebetem vanis cogitationibus succumbere? Facilis autem via fidei nos ducit ad credendum esse Deum,

89 *Proprius genti cuique est mos* A. G. P. Eg.—101 *lasessere* P. Eg. *visum* Bodl. A.—102 *sub tempore parvo* T.—109 *auctorem* Weitz. A. Eg. P. Gif. Ind.

NOTÆ

85 *Uno omnes sub sole siti*] Belle Latona apud Ov. Met. VI. 350. rusticos his alloquitur. 'Quid prohibetis aquas? usus communis aquarum est, Nec Solem proprium natura, nec aëra fecit, Nec tenues undas; ad publica munera veni.'

89 *Suus est mos cuïque genti*] Vere; ut jam sæpe monitum. De chao sup. Apoth. vs. 759.

102 *Sub pectore parvo*] *Sub tempore parvo*, non, *pectore*, Thuaneus.

Credere, qui bona non tantum præsentia donat,
Sed ventura etiam, longisque intermina sæclis
Promittit; ne totus eam resolutus inane
In nihilum, pereamque brevem post luminis usum.
Muneris auctores ipso de munere pendas.
Æterna æternus tribuit, mortalia confert
Mortalis: divina Deus, peritura caducus.
Omnia, quæ tempus peragit, quæque exitus aufert,
Vilia sunt brevitate sui, nec digna perenni
Largitore, cuï propria est opulentia, nunquam
Desinere, idque homini dare, quod non desinat unquam.
Nam si corruptum, corrumpendumve Deus quid
Præstat, habetque nihil, quod sit pretiosius istis;
Pauper, et infirmus, et summo indignus honore,
Et non omnipotens, sed inanis numinis umbra est.
Hac ratione Fides sapienter conjicit, immo
Non dubitat, verum esse Deum, qui, quod sumus, et quod
Vivimus, illæsum semper fore, si mereamur,
Nos sperare jubet. Cœlestia si placet, inquit,
Scandere, terrenas animo depellite curas.
Nam quantum subjecta situ tellus jacet infra,

qui non solum dat bona præsentia, verum etiam promittit ventura, et duratura in æternum: ne mortui redigamur ad nihilum inane, et toti pereamus post breve spatium vitæ. Ex hoc dono agnosce auctorem doni. Qui æternus est, dat æterna, qui mortalis est, dat mortalia: Deus dat divina, creatura vero dat temporalia. Dona, quæ consumuntur tempore, et inveniunt finem, contemnenda sunt, quod brevi permaneant, nec digna sint æterno remuneratore, cujus opes eæ sunt, quæ nunquam pereant, et munera, quæ tribuit hominibus, ea sunt, quæ nunquam desinant. Et sane, si Deus dat res caducas et temporales, et nihil possidet, quod sit illis pretiosius; is pauper est, et infirmus, et indignus summo honore, is non est omnipotens, sed tantum umbra futilis Dei. Fides hoc argumento non solum conjicit sapienter, verum etiam non dubitat esse verum Deum, qui jubet nos sperare id omne, quod sumus, et quod vivimus, duraturum in æternum, modo mereamur. Vultisne, inquit, ascendere cælum? abducite animum a solicitudine rerum

Lucr. p. 464. *munere pensa* Ro. 1.—114 *proprium* Ro. 2.—115 *desinet* Weitz.—116 *corrumpendumque* Weitz.—118 *summoque* F.—125 *subjecta polo* Weitz. Vat.

NOTÆ

120 *Fides sapienter conjicit*] Nam, ut ait Theodoret. Græc. Affect. lib. I. 'Sicut oculis corporeis indigemus ad ea conspicienda, quæ cerni possunt: ita indigemus et fide ad rerum divinarum aspectum. Quod est oculus ipso in corpore, hoc est fides in discursu animi et ratione.'

Dividiturque ab humo convexi regia cœli,
Tantum vestra meis distant mundana futuris,
Dira bonis, scelerata piis, tenebrosa serenis.
Quicquid obire potest, fugiatis censeo: quicquid
Naturæ ratione capit vitium, atque senescit,
Pro nihilo, in nihilum quia sunt reditura, putetis.
Cuncta equidem, quæ gignit humus, quæ continet, ipsa
Principio institui, nitidoque insignia mundo
Ornamenta dedi, speciosaque semina finxi.
Sed tamen esse modum volui, parcisque fruenda
Moribus indulsi, quantum moribundus et æger
Corporis ac vitæ volucris sibi posceret usus;
Non ut captus homo studiis, et inaniter ardens,
Duceret omne bonum positum in dulcedine rerum,
Et specie tenui, quas currere tempore jussi;
Atque ævum statui, sub quo generosa probarem
Pectora, ne torpens et non exercita virtus
Robur enervatum gereret sine laude palæstræ.

terrenarum. Nam, quantum terra est infima positione, quantum sedes cœli rotundi distat a terra; tantum bona fragilia distant a meis bonis æternis, tantum crudelia distant a mitibus, scelerata a piis, obscura a lucidis. Jubeo vos fugere id omne, quod est caducum, et quod sua natura corrumpitur, et consenescit; atque parvi facere ea, quæ recident ad nihilum. Certe equidem principio mundi ordinavi ea, quæ terra creat, et complectitur sinu, decoravi formosum orbem præclaris ornamentis, et jactavi eximia semina. At constitui modum, et concessi usum illorum hominibus, ut parte fruerentur, nempe quantum corpus infirmum, debileque, et vita brevis id exigerent. Non autem ut ii incensi amore, et appetentes inanium crederent nullum esse bonum præter dulcedinem et temporalem pulchritudinem rerum, quas volui consumi tempore; necnon constitui tempus, per quod facerem periculum hominum generosorum, ne virtus segnis nec vexata haberet vires languidas

un. Ro. 2.—131 *quæ sunt* W. superscr.—132 *quidem* Weitz.—136 *ægri* A.—138 *humo* Gif.—140 *species tenues* G. B. sed B. alt. lect. in marg.—143 Loco h. vs. hi duo exhibentur in Vat. un. A. F. B. Eg. Bo. 1. Bodl. *Enervare*

NOTÆ

125 *Quantum dividitur ab humo convexi regia cœli*] Lucret. IV. 419. 'A terris quantum cœli patet altus hiatus.'

142 *Ne torpens et non exercita virtus, &c.*] Idem Alcim. lib. ad Fusc. soror. 'Si sanctos piget exercere labores, Pigraque consuetus dissolvant otia curas, Labitur in præceps damnosæ gloria vitæ. Si vires nullas virtus acquirit eundo, Amittit rediens paulatim extincta priores.'

143 *Robur enervatum*] Pari prorsus modo, Cathem. VIII. 64. prima syllaba in enervare corripitur. 'Et aquosus albis Humor in venis dominetur, ægrum Corpus enervans.' Quare pro vulgata sto scriptura: licet nonnulli le-

Illecebrosus enim sapor est et pestifer horum;
Quæ, dum prætereunt, miro oblectamine mentes
Implicitas vinctasque tenent. Vincenda voluptas,
Elaqueanda animi constantia: ne retinaclis
Mollibus ac lentis nexa et captiva prematur.
Luctandum summis conatibus: inter acerba
Sectandum virtutis iter, ne suavia fluxæ
Conditionis amet; nimium ne congerat aurum.
Nec varios lapidum cupide spectare colores
Ambitiosa velit, nec se popularibus auris
Ostentet, pulchroque inflata tumescat honore:
Ne natale solum, patrii ne jugera ruris
Tendat, et externos animum diffundat in agros:
Et ne corporeis addicat sensibus omne
Quod vult, aut quod agit: ne præferat utile justo,

sine laude certaminis. Nam sapor harum rerum est illecebrosus et mortifer: dum eæ prætereunt, devinciunt et implicant corda mira delectatione. Debent ergo homines superare voluptatem: levare servitio animos constantes, ne captivi et vincti impediantur vinculis teneris et flexibilibus: decertare totis viribus: accipere viam difficilem virtutis, ne ardentius diligant illecebras rei fragilis, ne conduplicent divitias, ne ambitiosi avide appetant pasci variis coloribus gemmarum, ne captent plausus populi, et superbi glorientur de jucundo honore, ne amplificent bona paterna, et jugera ruris patrii, ne incendantur desiderio agrorum alienorum, ne referant omnia sua vota et actiones ad sensus corporeos, ne anteponant bonum utile honesto;

suum corrupta per otia robur Posset, et in nullo luctamine pigra jaceret.—149 *Nitendum* A. G. Bodl. Eg. Heins.—151 *nec* Weitz. *congerere* F.—159 *Omnem*

NOTÆ

gant, *Enervare suum corrupta per otia robur Posset, et in nullo luctamine pigra jaceret.* De palæstra sup.

147 *Ne retinaclis Mollibus ac lentis nexa et captiva prematur*] Lactant. VI. 22. eadem fere habet. 'Cavenda sunt igitur oblectamenta ista, tanquam laquei et plagæ, ne suavitudinum mollitie capti, sub ditionem mortis cum ipso corpore redigamur, cui nos mancipavimus.'

149 *Inter acerba Sectandum virtutis iter*] Quare Seneca de Provid. cap. 7. 'Ut efficiatur vir cum cura dicendus, fortiore fato opus est. Non erit illi planum iter: sursum oportet ac deorsum eat, fluctuetur, ac navigium in turbido regat:- contra fortunam illi tenendus est cursus. Multa accident dura, aspera, sed quæ molliat, et complanet ipse. Ignis aurum probat, miseria fortes viros.'

156 *Externos animum diffundat in agros*] 'O si angulus ille Proximus accedat,' ait Hor. homines irridens Sat. II. 6. 'qui nunc denormat agellum: O si urnam argenti fors qua mihi monstret,' &c.

Spemque in me omnem statuat; nunquam peritura
Quæ dedero, longæque die mea dona trahenda.
Hæc igitur spondente Deo, quis fortis et acer,
Virtutisque capax, breve quidque perennibus in se
Prætulerit? vel quis sapiens potiora putarit
Gaudia membrorum, quam vivæ præmia mentis?
Nonne hominem ac pecudem distantia separat una,
Quod bona quadrupedum ante oculos sita sunt? ego contra
Spero, quod extra aciem longum servatur in ævum.
Nam, si tota mihi cum corpore vita peribit,
Nec poterit superesse meum post funera quicquam,
Quis mihi regnator cœli? quis conditor orbis?
Quis Deus? aut quæ jam merito metuenda potestas?
Ibo per impuros fervente libidine luxus:
Incestabo toros, sacrum calcabo pudorem:
Infitiabor, habens aliquod sine teste propinqui
Depositum: tenues avidus spoliabo clientes,
Longævam perimam magico cantamine matrem.
Tardat anus dominum dilata morte secundum:
Nec formido malum: falluntur publica jura.

sed ut reponant in me omnem suam spem; nam dona, quæ tribuam, nunquam evanescent, et durabunt in æternum. An ergo animi fortes, et magnanimi, et capaces virtutis, cum Deus promittat hæc dona, anteponent bonum temporale bonis natura sua æternis? An prudentes pluris facient voluptates sensuum, quam præmia animi spiritalis? Maximum est discrimen inter hominem et belluam; nam bona belluæ posita sunt ante oculos; homo vero tendit ad bona, quæ posita extra visum servantur in æternum. Et sane, si homines amittunt vitam omni ex parte cum vita corporis, et nihil ipsis remanet post mortem, an credent esse dominatorem cæli, esse Creatorem mundi, esse Deum, aut Dominum, quem jure debeant timere? Fervente libidine indulgebunt turpi luxuriæ: violabunt toros: contemnent sanctum pudorem: abnegabunt depositum acceptum a propinquis sine teste. Avari expoliabunt bonis pauperes clientes: tollent magico veneno matres vetulas; quia hæ anus diu viventes serius faciunt hæredes. Nemo metuet male agere; nam publica jura facile deci-

spemque in me F. *Spemque in me statuat omnem* Ro. 2. *In me spemque omnem* G.—160 *Quæ dedero, sunt; æternum mea dona manebunt* A. G. *manebunt* F.—161 *qui* Eg.—169 *mei* T. a m. sec.—171 *aut quo* T.—174 *aliquid* Eg.—184

NOTÆ

159 *Spemque in me omnem statuat*] Familiaris Prudentio hiatus. Nonnulli tamen legunt: *Spemque suam in me omnem statuat*; alii: *Spemque in me statuat omnem.* De magico cantamine sup. Apoth. vs. 477.

178 *Falluntur publica jura*] Apte et apposite ad rem nostram Bernardus

Lex armata sedet, sed nescit crimen opertum:
Aut, si res pateat, judex corrumpitur auro.
Rara reos justa percellit pœna securi.
  Sed quid ego hæc meditor? revocat Deus ecce severa
Majestate minax, negat interitura meorum
Per mortem momenta operum. Non occidet, inquit,
Interior qui spirat homo: luet ille perenne
Supplicium, quod subjectos male rexerit artus.
Nec mihi difficile est, liquidam circumdare flammis
Naturam, quamvis perflabilis illa feratur
More Noti: capiam tamen, et tormenta adhibebo
Ipse incorporeus, ac spirituum sator unus.
Quin et corporibus parilis consortia pœnæ
Decernam, possum quoniam renovare favillas

piuntur. Leges quidem puniunt armis maleficia, sed non norunt scelera occulta; quod si scelera innotescant, judices corrumpuntur pecunia. Vix rei persolvunt pœnas meritas. Cur vero hæc ficta loquor? Deus vindex homines ab his revocat majestate tremenda; et illos commonefacit mortem non delere memoriam ipsorum operum. Homo, inquit, interior et spiritualis non moritur: is erit in tormentis æternis, si male rexerit corpus subditum. Possum facile torquere igne animam incorporalem, licet ea dicatur flabilis instar venti. Ipse enim spiritalis, et unus Creator animarum illam assumam, et afficiam suppliciis. Quinetiam cruciabo corpora consortia ejusdem pœnæ: nam possum restituere in pristinum statum cada-

monimenta Weitz. *occidit* Weitz.—190 *spirituus* T.—191 *parili c. pœna* A.—

NOTÆ

hæc fusius perpendit. 'Incisæ sint leges duodecim tabulis, et publico ære præfixo jura præscripta sint: inter ipsa jura peccatur: nec innocentia illic, ubi defenditur, reservatur. Sævit invicem discordantium rabies; et inter togas, pace rupta, forum litibus mugit insanum. Quis inter hæc vero subveniat? Patronus? sed prævaricatur et decipit. Judex? sed sententiam vendit. Qui sedet crimina vindicaturus, admittit: et ut reus innocens pereat, fit nocens judex; flagrant ubique delicta, &c. Nullus de legibus metus est: de quæsitore, de judice pavor nullus; quod potest redimi, non timetur.'

180 *Judex corrumpitur auro*] Hinc poëta quidam: 'Muneris arguitur accepti censor iniquus; Munus enim a norma recti distorquet acumen Judicis, et tetra involvit caligine mentem.'

187 *Liquidam circumdare flammis Naturam*] Adi sup. Apoth. vs. 931. ubi quid hac de re sentiendum sit multis ostendi. De Noto sup. Præf. Sym. vs. 7.

192 *Possum renovare favillas*] Jam sup. Hamart. vs. 836. 'Carpunt tormenta, foventque Materiem sine fine datam. Mors deserit ipsa Æternos gemitus, et flentes vivere cogit.' Quem locum consulas velim.

Antiquam in faciem: nec desperanda potestas:
Qui potui formare novum, reparabo peremtum.
Non desunt exempla meæ virtutis in ipsis
Seminibus: natura docet revirescere cuncta
Post obitum: siccantur enim pereunte vigore
Quo vixere prius: tunc sicca et mortua sulcis
Aut foveis mandata latent, et more sepulcri
Obruta, de tumulis redivivo germine surgunt.
Numquid nosse potes, vel conjectare, quis istud
Tam solers opifex struat, aut quæ vis agat intus?
Nil vos, o miseri, physicorum dogmata fallant.
En, ego gignendi Dominus, ac restituendi,
Quod periit fluxitque, potens: arentia quæque
In veteres formas aut flore, aut fronde reduco.

vera, nec diffido de mea potestate. Potui creare corpus de nihilo, de integro restituam corruptum. Semina ipsa habent speciem quandam meæ virtutis; ac natura docet omnia reviviscere post mortem: nam ea moriuntur, statim atque abiit vigor, quo antea vivebant; tum vero mortua et sicca mittuntur in sulcos aut fossas, deinde latent tanquam condita in sepulcro, ex quo denique exeunt, germine redivivo. Numquid homines possunt intelligere, sive assequi conjectura, quis tam peritus opifex id perficiat, aut quæ virtus agat intus? O inscii, ne ratiocinationes Physicorum vos decipiant. Ego sum Deus, qui habens potestatem creandi, ac reparandi id, quod periit et redactum est ad nihilum, jubeo omnia arida assumere priorem formam, et exire in folia aut in flores; qui aliquando jubebo corpora quoque hominum

203 *Ad vos* Eg. P. *Ne* Vulg.—205 *siccissima quæque* A. G.—209 *reprendat*

NOTÆ

194 *Qui potui formare novum, reparabo peremtum*] Ambros. de Fid. Resurrect. 'Cur miramur renasci posse quod fuerit, cum videamus natum esse, quod non fuit?' Apertius vero Minutius: 'Quis tam stultus aut brutus, ut audeat repugnare, hominem a Deo, ut primum potuisse fingi, ita posse denuo reformari; nihil esse post obitum, et ante ortum nihil fuisse; sicut de nihilo nasci licuit, ita de nihilo licère reparari?'

195 *In ipsis Seminibus*] Ab seminibus ratio resurgendi petita est pluribus. Ambros. de Fid. Resurrect. 'quid de fructibus loquar? Nonne tibi videntur occidere, cum decidunt, resurgere cum devirescunt? Quod satum est, resurgit; resurgit, quod mortuum est, et in eadem genera, in easdem species reformatur. Hos terra primum reddidit fructus, in his primæ naturæ nostræ speciem resurrectionis imitata est. Quid dubitas de corpore corpus resurgere? Granum seritur, granum resurgit.' Tertull. Apol. II. 48. Chrysolog. Serm. 59. Euseb. Homil. de resurrect. Cyrill. Hierosolym. cateches. 4. Maxim. in traditione symboli.

Idque ipsum quandoque homini facturus, inani
Surgat ut ex cinere, structuraque pristina constet,
Quæ mihi pro meritis, vel per tormenta rependat
Crimina, vel summæ virtutis in arce coruscet,
Non peritura dehinc quacumque in sorte manebit.
Interea, dum mixta viget substantia in unum,
Sit memor auctoris proprii, veneretur et oret
Artificem summissa suum: non condidit alter
Halantis animæ figmentum, et corporis alter:
Nec bona præsentis vitæ numerosa gubernant
Numina: non alius segetes et spicea farra
Suppeditat Deus: aut alius dat musta racemis,
Purpureumque gravi fundit de palmite succum.
Ipse ego sum, virides oleas pinguescere baccis
Qui facio, Graia quas Pallade fingitis ortas,

reviviscere ex levi cinere, et primam compositionem membrorum apparere, ut ea, prout merita fuerint, aut persolvant pœnas scelerum, aut coruscent in sede summæ virtutis, postea vero durabunt in æternum quocumque in statu. Quare, dum anima et corpus in unum coalescunt; non obliviscantur suum creatorem, colant ac deprecentur suppliciter suum conditorem. Ne putent alterum condidisse substantiam animæ spiritualis, alterum vero substantiam corporis; ne putent plures Deos regere bona hujusce vitæ. Nam non alius Deus dat segetes et frumentum; alius dat vinum racemis, et fundit humorem bacchi de pampino onerato. Ego ipse, unus Deus, pinguefacio fructus viridis oleæ, quam homines fingunt Græcam Minervam inve-

Eg.—218 *haut* Vulg. *ast* Weitz.—224 *habet* Weitz.—227 *ego ipse elementa* F.

NOTÆ

209 *Quæ mihi pro meritis, vel per tormenta rependat*] Quia, ut Tertulliani verbis utar, 'Dei quidem cultores apud Deum semper superinduti substantia propria æternitatis.'

211 *Non peritura dehinc quacumque in sorte manebit*] Agit adversus eos, qui, ut jam monui, Hamart. vs. 838. damnatorum animas non perpetuo vivere putarunt. Quod Tertullianus etiam semel atque iterum refutavit: præcipue vero Apolog. loco mox laudato: 'Tunc restituetur omne humanum genus ad expangendum quod in isto ævo boni seu mali meruit, et exinde in immensam æternitatis perpetuitatem. Ideoque nec mors jam, nec rursus ac rursus resurrectio, sed erimus iidem qui nunc, nec alii post.'

214 *Non condidit alter, &c.*] Tam sæpe hæc Paganorum commenta refellit, ut non immorer.

220 *Ipse ego sum, virides Qui facio, &c.*] 'Et hæc nescivit,' ait Dominus apud Ose. cap. II. 'quia ego dedi ei frumentum et vinum, et oleum, et argentum multiplicavi ei, et aurum, quæ fecerunt Baal.'

221 *Quas Pallade fingitis ortas*] Virg. Georg. II. 181. 'Palladia gaudent sylva vivacis olivæ.' Cur autem oliva Palladi sit sacra, vide sup. Psych. vs. 687.

Et qui Lucinas tribuo nascentibus horas.
Duplex lege mea per mutua fœdera sexus
Gignere amat sobolem, generisque propagine gaudet;
Quem vos lascivis violatis amoribus ignem,
Et stupra vestra Deæ Veneris prætexitis umbra.
Unus ego elementa rego, nec mole laboris,
Ut miser infirmusve aliquis fragilisve, fatigor.
Lux immensa mihi est, et non resolubilis ætas,
Sensibus et vestris haud intellecta vetustas.
Inde ministeriis ad tot moderamina mundi
Non egeo, nec participes sociosve requiro.
Porro autem angelicas legiones, quas mea fecit
Dextera, nosse meum est, et quæ natura creatis
Subsistat, qualesque mihi serventur ad usus.
Tu, me præterito, meditaris numina mille,
Quæ simules parere meis virtutibus, ut me
Per varias partes minuas: cui nulla recidi

nisse: ego tribuo nascentibus horas natales. Lege, quam posui, animalia diversi sexus juncta mutuo fœdere amant procreare liberos, et gaudent propagine generis; homines vero vitiant hunc castum amorem lascivis amoribus, ac tegunt sua adulteria adulteriis Deæ Veneris. Ego solus rego orbem: tamen non defatigor magno labore, tanquam homo debilis, infirmus, et mortalis. Mihi est lux infinita, et vita semper duratura, et æternitas non comprehensa intellectu humano. Quare non indigeo auxilio ad regendum mundum; nec expostulo participes et socios. Porro autem est meum cognoscere ordines Angelorum, quos mea potestas creavit, et, quæ sit natura rerum corporearum, et quos in usus destinentur a me. Tu vero, o pagane, me derelicto, fingis esse quamplurimos Deos: quos dicis inferiores virtutibus, ut dividas in varias partes me; cui nulla pars aut forma potest detrahi: cui nulla

ego hæc elementa G. C.—229 *nec morte solubilis ætas* Weitz.—234 *quam natura* Bodl.—236 *nomina* Eg. P.—237 *simulas* W. superscr.—246 *rupis* Eg.—247

NOTÆ

222 *Lucinas tribuo nascentibus horas*] Natales scilicet horas: a *luce*, quam infantibus dant. Unde et Dea, quæ partui præerat, dicta est Lucina. Virg. Ecl. IV. 'Toto surget gens aurea mundo, Casta fave Lucina.' De Veneris adulteriis sup. Sym. I. 167.

227 *Unus ego elementa rego*] Nihil frequentius apud Nostrum hac licentia. Cauchius tamen legit *Unus ego hæc elementa rego.* De ministeriis, pro ministris, sup.

233 *Angelicas legiones*] Vel propter angelorum multitudinem, vel propter illorum certos ac definitos ordines, quibus primus Dionysius suos gradus, et functiones, appellationesque tribuit. Christus apud Matth. cap. XXVI. 'An putas, quia non possum rogare patrem meum, et exhibebit mihi modo plusquam duodecim legiones angelorum?'

Pars aut forma potest: quia sum substantia simplex,
Nec pars esse queo: solis divisio rebus
Compositis factisque subest: me nemo creavit,
Ut scindi valeam; cunctorum conditor unus.
Crede, quod ex nihilo formavi, pars mea non est.
Quare age, mortalis, soli mihi construe templum,
Meque unum venerare Deum: cæmenta remitto,
Et quæ saxa Paros secat, et quæ Punica rupes,
Quæ viridis Lacedæmon habet, maculosaque Synnas.
Nativum nemo scopuli mihi dedicet ostrum:
Templum mentis amo, non marmoris: aurea in illo

potest esse pars, quia sum substantia simplex. Una res mixta et creata potest dividi. Nemo autem me creavit, ut possim dividi: nam sum unus creator omnium. Sis ergo certus id, quod feci ex nihilo, non esse meam partem. Itaque, o homo, mihi uni pone templum, et me unum Deum adora. Parvi facio lapides et saxa, quæ extrahuntur ex rupibus Pari et Africæ, quæ Lacedæmon et Synnas habent: hæc viridis, illa varii coloris. Nemo mihi offerat purpuram nativam concharum, quæ adhærent scopulis. Non marmoreum mihi placet, sed templum cordis: cujus

NOTÆ

239 *Quia sum substantia simplex*] Hujus argumenti vis multis ostenditur sup. Hamart. vs. 39. De Pario marmore, candido, et sculpturis apto sup. Perist. XI. 187.

246 *Punica rupes*] De Numidico marmore loquitur, de quo hæc habet Isidorus: 'Marmor Numidia mittit, ad cutem succum dimittit, croco similem, unde et nomen accepit, non crustis, sed in massa et liminum usu aptum.' Cui favet Plinius XXXVI. 6. 'M. Lepidus, Catuli in Consulatu collega, primus omnium limina ex Numidico marmore in domo posuit magna reprehensione.' Neronis tamen principatu et crustas e marmore Numidico inductas legimus. Senec. Epist. 86. Sidon. Epist. II. 2. ubi balneolum suum describit.

247 *Viridis Lacedæmon*] Plinius XXXVI. 7. 'Pretiosissimi quædam generis; sicuti Lacedæmonium viride, cunctisque hilarius.' Sidonius in Paneg. Majoriani: 'Post caute Laconum Marmoris herbosi radians interviret ordo.' Statius Sylv. I. Epith. Steilæ: 'Hic Libycus Phrygiusque silex, hic dura Laconum Saxa virent.'

Lacedæmon] Laconica urbs primaria, quæ antea Sparta dicta fuit, in extrema Peloponneso ad meridiem. Male ultima hujusce nominis syllaba corripitur a Prudentio; Græce enim Λακεδαίμων per ω.

Maculosaque Synnas] Synnas, et Synnada, urbs Phrygiæ, marmore clara, quod Synnadicum appellatur, teste Strabone lib. XII. et maculas habet rubentes. Martial. 'Quod Phrygia Synnas, Afra quod Nomas mittit, Et quod virenti fonte lavit Eurotas.' Claudian. Carm. XX. 272. 'Pretiosaque picto Marmore, purpureis cui cedit Synnada venis.' De ostro sup. Perist. X. 910.

249 *Templum mentis*] Templum enim Dei, ipsum cor hominis credentis; quod Paulus Corinthios docet epist.

Fundamenta manent fidei: structura nivali
Consurgit pietate nitens: tegit ardua culmen
Justitia intérius: spargit sola picta rubenti
Flore pudicitiæ pudor almus, et atria servat:
Hæc domus apta mihi est: hæc me pulcherrima sedes
Accipit, æterno cœlestique hospite digna.
Nec novus hic locus est: fluxit mea gloria in artus,
Et lux vera Dei. Deus illustravit alumnam
Materiem, corpusque parens habitabile fecit
Ipse sibi, placido ut possit requiescere templo.
  Condideram perfectum hominem: spectare superna
Mandaram: totis conversum sensibus in me
Recto habitu, celsoque situ, et sublime tuentem:
Sed despexit humum, seque inclinavit ad orbis
Divitias, pepulitque meum de pectore numen.
Restituendus erat mihimet, summissus in illum

fundamenta aurea Fides jecit; Pietas alba confecit structuram eximiam; Justitia laboriosa posuit tectum; sancta Castitas sparsit interius pavimentum pictum floribus Pudicitiæ, et servat ostium. Hæc domus mihi est commoda: habito in hoc præstantissimo domicilio et digno hospite æterno ac divino. Nec sedes illa mihi est ignota. Nam meus filius, mea gloria, et vera lux assumsit corpus. Et sane Deus ornavit ea membra, quæ creavit, et conditor ipse fecit sibi corpus, in quo habitaret, ut posset quiescere in eo tanquam in templo gratissimo. Creaveram hominem perfectum; et jusseram illum respicere cœlum; esse conversum in me totis sensibus, atque intueri in altum, cum ipsi dedissem rectum corpus et vultum erectum. At conspexit terram, et adjecit animum ad divitias mundi, et meme ejecit e suo corde. Is adhuc mihi erat paran-

Synna Weitz.—253 *pudicitia: pudor almus* Gif. Ind. Lucr. p. 334.—258 *dubitabile* Eg. W. in marg.—261 *viribus* Weitz.—262 *tuendum* W. superscr.—263 *dispexit* P. Eg. Bodl. *respexit* F. 272 *tantummodo rem* B. W. a m. sec.—273

NOTÆ

1. et 2. unde Lactant. vi. 2. 'Sentiebat videlicet, non carne opus esse ad placandam cœlestem majestatem, sed mente sancta, et justo animo, et pectore, quod naturali sit honestate generosum.'

Non marmoris] Quia templa Deo ponere ac statuere supervacaneum esset, nisi mens hominis se Deo immaculatam victimam sisteret, ac domum spiritualem. Hæc enim est religio cœlestis, non quæ constat ex rebus corruptis, sed quæ virtutibus animi, qui oritur e cœlo. Sed de his sup. Perist. x. 346. &c.

260 *Spectare superna Mandaram*] Notum illud Ov. Met. i. 'Os homini sublime dedit, cœlumque tueri Jussit, et erectos ad sidera tollere vultus.'

263 *Sed despexit humum*] Persius Sat. ii. 61. 'O curvæ in terras animæ, et cœlestium inanes.' Adi pag. sup. Hamart. vs. 384.

Spiritus ipse meus descendit, et edita limo
Viscera divinis virtutibus informavit,
Jamque hominem assumtum summus Deus in Deitatem
Transtulit, ac nostro docuit recalescere cultu.
Scire velim, præcepta Patris quibus auribus hæc tu
Accipias, Italæ censor doctissime gentis.
An veterem tantum morem ratione relicta
Eligis? et dici patitur sapientis acumen,
Ingeniumque viri? potior mihi pristinus est mos,
Quam via justitiæ, pietas quam prodita cœlo,
Quamque fides veri, rectæ quam regula sectæ.
Si, quicquid rudibus mundi nascentis in annis
Mos habuit, sancte colere ac servare necesse est;
Omne revolvamus sua per vestigia sæclum
Usque ad principium: placeat damnare gradatim
Quicquid posterius successor reperit usus.
Orbe novo, nulli subigebant arva coloni.
Quid sibi aratra volunt? quid cura superflua rastri?

dus: meus ergo spiritus illapsus est in illum, atque instruxit divinis virtutibus carnem formatam e limo. Tum summus Deus evexit ad divinitatem hominem assumtum, et ostendit recalescere nostro cultu. Jam, o Symmache, doctissime Italorum judex, dic quibus auribus tu audias hæc præcepta Dei. Nonne, ratione relicta, tantum servas antiquam consuetudinem? An mens et intellectus hominis sapientis potest uti hoc sermone? Præfero antiquam consuetudinem viæ justitiæ, sanctitati dimissæ e cælo, fidei veritatis, regulæ veræ religionis. Quod si debemus pie venerari et sequi id omne, quod consuetudo attulit ab ætate imperita mundi nascentis; retrorsum relegamus omnia tempora, usque ad initium mundi: esto, ordinatim rejiciamus id, quod consuetudo temporum attulit ultimis sæculis. Prima mundi ætate nulli agricolæ exercebant agros. Deponamus aratra, deponamus inuti-

NOTÆ

271 *Censor*] Anno urbis 310. duo Censores creati sunt; quorum dignitas, a parvis profecta initiis, tantum cœpit incrementum, ut morum, disciplinæque Romanæ regimen, Senatus, Equitumque centuriæ, decoris dedecorisque discrimen in ipsius ditione essent.

272 *An veterem tantum morem*] Cyprianus egregie atque eleganter id tractat: 'Neque enim consuetudo, quæ apud quosdam irrepserat, impedire debet, quominus veritas prævaleat et vincat. Nam consuetudo sine veritate, vetustas erroris est; propter quod, relicto errore, sequamur.'

282 *Nulli subigebant arva coloni*] Tale illud Virg. Georg. I. 125. 'Ante Jovem nulli subigebant arva coloni.'

283 *Rastri*] Hic rastrum est instrumentum fossorium. Nec potest negari sic poëtas uti, imo Plinium, et alios. Indeque rastellum pro fossorio instrumento apud Suetonium, in

Iligais melius saturatur glandibus alvus.
Primi homines cuneis scindebant fissile lignum:
Decoquat in massam fervens strictura secures
Rursus, et ad proprium restillet vena metallum.
Induvias cæsæ pecudes, et frigida parvas
Præbebat spelunca domos: redeamus ad antra,
Pellibus insutis hirtos sumamus amictus.
Immanes quondam populi, feritate subacta
Edomiti, jam triste fremant, iterumque ferinos
In mores redeant, atque ad sua prisca recurrant.
Præcipitet Scythica juvenis pietate vietum

lem curam rastrorum. Venter melius repletur fructibus quercus. Primi homines dividebant cuneis lignum fissile. Strictura igitur ignea iterum redigant in massam omnes secures; et vena reducatur ad nativum metallum. Olim pellis cæsarum ferarum erat indumentum, et frigidum antrum erat parva domus: ergo habitemus in antris, et induamus vestes asperas ex pellibus non consutis. Olim homines erant feri: deinde illorum feritate subacta, mites fuerunt: jam ergo frement horride, et rursus vivant more belluarum, et faciant sua prisca facinora. Jam liberi pulsi pietate Scythica præcipitent parentes senes de ponte optato: ita enim olim Romani præcipitabant; jam sacra Saturnia fument sanguine liberorum; et

dici id patitur Weitz.—285 *scendebant* Eg.—286 *securem* Eg. *securim* P.—288 *Indubias* Eg.—290 *hirsutis* B. in rasura.—294 *vigetum* W. B.—299 *habuisse*

NOTÆ

Nerone, 'Tubaque signo dato primus rastello humum effodit, et corbulæ congestam humeris extulit.'

284 *Ilignis glandibus*] Terentius, in Adelphis, Plinius lib. XVI. cap. 4. hac voce usi sunt, atque Hor. Sat. II. 2. 'Umber, et iligna nutritus glande, rotundas Curvet aper lances carnem vitantis inertem.'

Iligais melius saturatur glandibus alvus] Primos hominum glande ad pastum, aqua ad potum usos fuisse, quis ignorat? 'Vestro si munere tellus Chaoniam pingui glandem mutavit arista.' Virg. Georg. I.

285 *Cuneis scindebant fissile lignum*] Virg. Georg. I. 143. 'Tum ferri rigor, atque argutæ lamina serræ; Nam primi cuneis scindebant fissile lignum.'

288 *Induvias cæsæ pecudes, &c.*] Lucret. V. 1415. eadem cecinit: 'Sic odium cepit glandis: sic illa relicta Strata cubilia sunt herbis, et frondibus aucta. Pellis item cecidit, vestis contemta ferina est.'

Frigida parvas Præbebat spelunca domos] Audi adhuc Lucret. V. 940. 'Sed nemora, atque cavos montes, sylvasque colebant, Et frutices inter condebant squalida membra.'

294 *Scythica pietate*] Scythæ apud omnes Scriptores notissimæ fuerunt feritatis. Plin. VI. 20. 'Anthropophagi Scythæ insident, humanis corporibus vescentes. Ideo juxta vastæ solitudines, ferarumque multitudo, haud dissimilem hominum immanitatem obsidens.' Ii autem patres suos defunctos devorabant, teste Petron.

Votivo de ponte patrem: sic mos fuit olim.
Cædibus infantum fument Saturnia sacra,
Flebilibusque truces resonent vagitibus aræ.
Ipsa casas fragili texat gens Romula culmo:
Sic tradunt habitasse Remum: regalia fæno

aræ cruentæ resonent gemitibus puerorum. Jam Romani ipsi operiant domos fragili culmo: scriptum est Remum habitasse in talibus domibus. Jam sternant gra-

NOTÆ

Sat. 'Apud quasdam gentes scimus adhuc legem servari, ut a propinquis suis consumantur defuncti, adeo quidem ut objurgarentur ægri frequenter, quod carnem suam faciant pejorem.' Et Lucian. de Amicit. *Τεκμαιρόμενος τοῖς τε ἄλλοις ἃ περὶ αὐτῶν Σκυθῶν*, &c. 'Idque conjiciens ex aliis, quæ de illis Scythis audimus, tum ex hoc quod patres suos defunctos devorant.' Vide Apoth. vs. 426.

Victum] Senes scilicet septuagesimum prætergressos annum.

Præcipitet Votivo de ponte patrem] Vulgata quidem historia seu fabula, et a veteribus diversis opinionibus agitata. Festus ita rem narrat. Sexagenarios de ponte olim dejiciebant, cujus causam Manilius hanc refert, quod Romam qui incoluerint primi Aborigenes, hominem sexaginta annorum qui esset immolare Diti patri quotannis soliti fuerint, quod facere eos destitisse adventu Herculis, sed religione postea veteris moris scirpeas hominum effigies de ponte in Tiberim vetere modo mittere instituisse. Sunt, qui dicant, post urbem a Gallis liberatam ob inopiam cibatus cœptos sexaginta annorum homines jaci in Tiberim; ex quo numero unus filii pietate occultatus sæpe profuerit patriæ consilio sub persona filii. Id ut sit cognitum, ei juveni esse ignotum, et sexagenariis vita concessa. Latebras autem ejus, quibus arcuerit senem, id est cohibuerit, et celaverit, sanctitate dignas esse visas, ideoque Arcæa appellata. Sed exploratissimum illud est causæ, quo tempore primum per pontem cœperunt comitiis suffragium ferre, juniores conclamaverunt, ut de ponte dejicerentur sexagenarii, qui jam nullo publico munere fungerentur, ut ipsi potius sibi, quam illi, deligerent imperatorem. Cujus sententiæ est etiam Sinnius Capito. Vanam autem opinionem de ponte Tiberino confirmavit Afranius in Repudiato.

296 *Cædibus infantum fument Saturnia sacra*] 'Nam de infantibus, qui eidem Saturno immolabantur propter odium Jovis, quid dicam, non invenio. Tam barbarus, tam immanes fuisse homines, ut parricidium suum, id est, tetrum atque execrabile humano generi facinus, sacrificium vocarent; cum teneras, atque innocentes animas, quæ maxime est ætas parentibus dulcior, sine ullo respectu pietatis extinguerent, immanitatemque omnium bestiarum, quæ tamen fœtus suos amant, feritate superarent.' Hæc Lactant. I. 21.

299 *Sic tradunt habitasse*] Casa quoque Romuli fuit in Capitolino, stramento et paleis tecta, quæ Ovidii ac Senecæ tempore adhuc supererat, et ad monumentum priscæ frugalitatis colebatur. Virg. Æn. VIII. 654. 'Romuleoque recens horrebat regia culmo.'

Regalia fæno Fulcra supersternant]

Fulcra supersternant, aut pelle Libystidis ursæ
Compositam chlamydem villoso corpore gestent:
Talia Trinacrius ductor, vel Tuscus habebant.
Roma antiqua sibi non constat, versa per ævum,
Et mutata sacris, ornatu, legibus, armis:
Multa colit, quæ non coluit sub rege Quirino:
Instituit quædam melius, nonnulla refugit.
Et morem variare suum non destitit; et, quæ
Pridem condiderat jura, in contraria vertit.
Quid mihi tu ritus solitos, Romane senator,
Objectas? cum scita patrum populique frequenter
In tabulis placiti sententia flexa novarit.

mine lectulos regios, aut vestiant pilosum corpus lorica facta ex pelle ursæ Libycæ: nam Acestes Siculus et Evander Tuscus ita vestiti erant. Antiqua Roma est instabilis, et diversa a se; variis temporibus mutavit sacra, vestes, leges, et arma. Nunc adorat plures Deos, quos non adorabat Romulo regnante. Alia rectius instituit, alia abolevit, nec cessavit mutare suos ritus. Tulit leges contrarias iis quas olim dederat. Quid ergo, o Symmache Senator Romane, tu mihi objicis veterem consuetudinem? cum populus et Senatores mutantes sententiam sæpe cor-

Ro. 1.—300 *Lybistridis* W. *Libytidis* Eg.—301 *villosam* A. P. *vestent* Eg. *vestant* P.—302 *habebat* Weitz.—303 *Roma sibi antiqua* Ro. 1.—311 *Instabilis* A. *novaret*

NOTÆ

Virg. Æn. VIII. 367. 'Ingentem Æneam duxit, stratisque locavit Effultum foliis et pelle Libystidis ursæ.'

300 *Libystidis*] A Libystis: gentile nomen est, per pleonasmum formatum a proprio Libys. De Libya sup. Sym. I. 184.

Ursæ] Plinius tamen VIII. 54. in Africa ursos non gigni contendit. Cui Solinus cap. 29. atque Albertus M. lib. XXII. de animal. astipulantur; quanquam gigni veteres permulti scriptis prodiderunt; Aristot. Hist. Anim. VIII. 33. et Virg. V. 36. 'Occurrit Acestes, Horridus, in jaculis, et pelle Libystidis ursæ.'

302 *Trinacrius*] Acestes scilicet, Egestæ filius, qui post Trojæ excidium in Siciliam regressus est, et secum Elymum advexit. Ibi recepti a Sicanis, et agris donati, mox Æneam eodem appulsum exceperunt, et cum eo varias illic statuerunt urbes. Laomedon enim, rex Trojanus, offensus quod fraude Hippotis coactus esset Hesionen filiam suam marinæ belluæ exponere, tres ejus filias Siculis nautis tradidit. His in Siciliam appulsis, Egesta Acestem suscepit, qui reversus est Trojam Priami temporibus. Hinc Trinacrius, i. e. Siculus, appellatur. Sicilia enim dicta est Trinacria a tribus promontoriis.

Tuscus] Nempe Evander, Tusciæ rex: de quo sup. Sym. I. 551.

303 *Roma antiqua sibi*] Forte, inquit Heinsius, *Roma sibi antiquum non constat versa per ævum.* De Quirino sup.

Nunc etiam, quoties solitis decedere prodest,
Præteritosque habitus cultu damnare recenti,
Gaudemus compertum aliquid, tandemque retectum,
Quod latuit: tardis semper processibus aucta
Crescit vita hominis, et longo proficit usu.
Sic ævi mortalis habet se mobilis ordo:
Sic variat natura vices: infantia repit,
Infirmus titubat pueri gressusque animusque,
Sanguine præcalido fervet nervosa juventa;
Mox stabilita venit maturi roboris ætas;
Ultima consiliis melior, sed viribus ægra,
Corpore succumbit, mentem purgata senectus.
His genus humanum per dissona tempora duxit
Curriculis ævum mutabile: sic hebes inter
Primitias, mersumque solo, ceu quadrupes, egit.
Mox tenerum docili ingenio, jamque artibus aptum

rexerint constituta sua in tabulis actorum. Nunc etiam quoties prodest non retinere consuetudinem, et novis ritibus damnare antiquos mores; gaudemus quod repererimus aliquid novi, et tandem detexerimus id quod latuerat. Scientia hominis semper crescit aucta lentis progressibus, et proficit longo usu. Hæc etiam successio varia cernitur in vita corporis, et natura non est semper eadem. Infantes reptant: pueri debiles tum pedibus tum animo titubant: sanguis juvenum robustorum fervescit: perfectum robur denotat virilem ætatem accessisse: mens sana est senectuti, ultimæ ætati, et corpus infirmum: hinc senes dant prudentiora consilia, et deficiuntur viribus. Per secula dissimilia tales vicissitudines diviserunt varias ætates generis humani: quod rude per infantiam et affixum terræ repsit more belluarum. Deinde tractabile animo docili, et aptum ad artes, politum fuit novitate

Eg.P. —322 *consilii* Ro. 2.—324 *fluxit* Weitz.—326 *mersumque solo titubavit et,*

NOTÆ

318 *Infantia repit, Infirmus titubat pueri gressusque animusque*] Hæc omnia, ni fallor, mutuatus est Prudentius a Lucret. lib. III. 'Præterea, gigni pariter cum corpore, et una Crescere sentimus, pariterque senescere, mentem. Nam, velut infirmo pueri, teneroque, vagantur Corpore; sic animi sequitur sententia tenuis. Inde, ubi robustis adolevit viribus ætas, Consilium quoque majus, et auctior est animi vis. Post, ubi jam validis quassatum viribus ævi Corpus, et obtusis ceciderunt viribus artus; Claudicat ingenium, delirat linguaque mensque.'

325 *Sic hebes inter Primitias, mersumque solo, ceu quadrupes, egit*] Uterque Rottendorphius, Oxonius, et Egmondanus habent: *Sic hebes inter Primitias, mersumque solo titubavit, et instar Quadrupedis pueri lactantia viscera traxit.* Quæ omnino sunt superflua.

Noscendis, varia rerum novitate politum est.
Inde tumens vitiis calidos adolevit in annos,
Donec decocto solidaret robore vires.
Tempus adest, ut jam sapiat divina, serenæ
Mentis consilio, vivacius abdita solers
Quærere, et æternæ tandem invigilare saluti.
Quanquam, si tantus amor est et cura vetusti
Moris, et a prisco placet haud discedere ritu;
Extat in antiquis exemplum nobile libris,
Jam tunc diluvii sub tempore, vel prius, uni
Inservisse Deo gentem, quæ prima recentes
Incoluit terras, vacuoque habitavit in orbe.
Unde genus ducit nostræ porrecta propago
Stirpis, et indigenæ pietatis jura reformat.
Sed quia Romanis loquimur de cultibus, ipsum
Sanguinis Hectorei populum probo, tempore longo
Non multos coluisse Deos, rarisque sacellis
Contentum paucas posuisse in collibus aras.

variarum rerum. Postea cumulatissimum scelerum complevit annos calidos juventutis, donec firmaret vires perfecta fortitudine. Denique tempus venit jam adamandi res divinas consilio mentis maturæ, quæ sagax est ad acutius quærenda abdita, et ad invigilandum saluti æternæ. Quod si tanto studio et tanta cura retines veterem consuetudinem, et optas non discedere ab antiquo ritu; vetustissimi libri referunt nobile exemplum, ex quo intelligimus tempore diluvii, vel etiam ante, familiam, quæ prima incoluit mundum renovatum, et habitavit in orbe deserto, adorasse unum Deum. Longa series nostrorum parentum ducit genus ab iis: cur mutamus jura patriæ pietatis? Sed, quia loquimur de ritibus Romanorum, tibi ostendo populum ipsum oriundum ab Hectore non adorasse plures Deos per multos annos, et contentum paucis templis posuisse in montibus paucas aras. Postea vero Roma sibi peperit Deos

instar Quadrupedis pueri lactantia viscera traxit A. F. B. Vat. un.—334 *tantum studium* Bo. 1. Eg. Ro. 1. W. superscr.—335 *ut a p. placeat* T.—346 *inde* A.

NOTÆ

336 *Antiquis libris*] Jam monui sup. Apoth. vs. 295. nullum, ante Moysis tempora, scriptum fuisse librum qui saltem ad nos pervenerit.

337 *Jam tunc diluvii sub tempore*] Cum enim infensus Adami posteris Deus universos aquarum eluvione decrevit perdere, unus e Sethi sanguine Noëmus superfuit, qui in fide, ac Dei obsequio perstabat: Gen. VI.

343 *Sanguinis Hectorei populum*] Hector enim Priami et Hecubæ filius fuit; Anchises vero Capyos filius, Assaraci nepos, e stirpe Trojanorum regum.

345 *Paucas posuisse in collibus aras*] Cum sacra fiebant Superis, ac Jovi præcipue, aræ in sublimibus extruebantur locis, ut inquit Melanthes in lib. de sacrificiis: 'Omnis autem

Innumeros post deinde Deos, virtute subactis
Urbibus, et claris peperit sibi Roma triumphis;
Inter fumantes templorum armata ruinas
Dextera victoris simulacra hostilia cepit,
Et captiva domum, venerans ceu numina, vexit.
Hoc signum rapuit bimaris de strage Corinthi,

innumeros, subactis urbibus virtute et insignibus triumphis: armata manus victoris sustulit idola hostium e ruinis fumantibus templorum; et transtulit in Italiam ea captiva, quæ coluit tanquam numina. Roma rapuit hæc idola de direptione Corinthi

—347 *Viribus* Eg. W. superscr. *ex claris* Weitz.—366 *æternumque* F. P. *ex-*

NOTÆ

mons Jovis mons appellatur, quoniam mos fuit antiquorum, ut altissimo Deo existenti in loco sublimi sacrificarent.' Apoll. vero Argon. II. 'Ingentem Jovis humentis tunc exstruit aram, Et sacra imponit in montibus.'

346 *Innumeros post deinde Deos*] Unde Minutius facete quidem Romanos illudit: 'Undique hospites Deos quærunt et suos faciunt, aras exstruunt etiam ignotis numinibus et manibus.' Non immerito ergo Arnobius lib. VI. vocat Romam, 'numinum cunctorum cultricem.'

347 *Peperit sibi Roma triumphis*] Id satis superque explicat Cyprianus de vanitate idolorum.

350 *Et captiva domum, venerans ceu numina, vexit*] 'Tot igitur,' concludit Tertull. Apol. cap. 25. 'Sacrilegia Romanorum, quot tropæa; tot de Diis, quot de gentibus triumphi; tot manubiæ, quot manent adhuc simulacra captivorum Deorum. Et ab hostibus ergo suis sustinent adorari, et illis imperium sine fine decernunt, quorum magis injurias quam adolationes remunerasse debuerant.'

351 *Bimaris*] Bimarem peculiari epitheto appellarunt Corinthum, Hor. Od. I. 7. 'Aut Ephesum, bimarisve Corinthi Mœnia;' Ov. Fast. IV. 'Adriacumque patens late, bimaremque Corinthum;' aliique poëtæ, quod Corinthus inter duo maria, Ionium et Ægeum, quasi spectaculo exposita sit.

De strage] L. Mummius, qui et Achaicus dictus est, Corinthum æquavit anno urb. cond. 607. adeo ut vix ullum Corinthi vestigium fuerit relictum. 'Quid signorum, quid vestium, quidve tabularum raptum, incensum, atque projectum est? Quantas opes et abstulerit, et cremaverit, hinc scias, quod quicquid Corinthii æris toto orbe laudatur, incendio superfuisse comperimus. Nam et æris notam pretiosiorem ipsa opulentissimæ urbis fecit injuria; quia incendio permistis plurimis statuis atque simulacris, æris, auri, argentique venæ in commune fluxere.' Hæc Flor. II. 16.

Corinthi] Corinthus, urbs est Achaiæ in angustiis Isthmi Peloponnesiaci sita: veterum historiis olim celeberrima. 'Cum diu jacuisset,' teste Strab. 'instaurata est a Divo Cæsare propter loci opportunitatem, missis eo libertinis plurimis.' Unde nummi, ubi Bellerophon cum chimæra, insigne Corinthi, cernitur; inscriptio COL. JUL. CO. id est, Colonia Julia Corinthus, sive, COL. L.

Illud ab incensis in prædam sumsit Athenis.
Quasdam victa dedit capitis Cleopatra canini
Effigies; quasdam, domitis Hammonis arenis,
Syrtica cornutas facies habuere tropæa.

bimaris: prædata est illa inter flammas Athenarum. Cleopatra devicta dedit Romanis simulacrum Mercurii habentis caninum caput. Arenæ Lybiæ domitæ obtulerunt cornutam faciem Jovis Hammonis. Quoties Roma nobilis excepit acclama-

NOTÆ

JUL. COR. Colonia laus Julia Corinthus. Nummus uterque delineatur a Patino, Augusto principe cusus.

352 *Athenis*] Athenas, Græciæ decus, juxta fluvium Ilissum sitas, Sylla expugnavit, et columnas inde avexit in Capitolinas ædes. Plinius XXXVI. 6. 'Columnis demum utebantur in templis; nec lautitiæ causa, nondum enim intelligebantur istæ; sed, quia firmis aliter statui non poterant. Sic est inchoatum Athenis templum Jovis Olympii, ex quo Sylla Capitolinis ædibus advexerat columnas.' Plutarchus vero in ipsius vita scribit: 'Academiam devastasse, arboribus inter suburbia alia frequentissimam, et Lyceum.'

353 *Cleopatra*] De Ægypti Regina Cleopatra, et Ptolemæi Auletis filia, loquuntur omnes Historiæ Romanæ Scriptores. A Cæsare primum ea adamata fuit: deinde ab Antonio, quo victo apud Actium prælio navali sese interemit, teste Flor. IV. 11. 'Quod ubi desperavit a principe, servarique se triumpho vidit, incautiorem nacta custodiam, in Mausoleum se recipit. Ibi maximos, ut solebat, induta cultus, in differto odoribus solio, juxta suum se collocavit Antonium; admotisque ad venas serpentibus, sic morte quasi somno soluta est.' Reginam Regum ab Antonio, filiosque ejus Reges vocatos, tradit Plutarchus, et demonstrat nummus Antonii, qui in antica parte Antonii effigiem, cum inscriptione, ANTONI. ARMENIA. DEVICTA. in postica autem, Cleopatræ, cum his verbis: REGINÆ REGUM. FILIORUM. REGUM. CLEOPATRÆ.

Capitis canini Effigies] De Anubide quid sentiendum sit, diximus sup. Apoth. vs. 196. Id unum addam, quod putem designari Mercurium. Et sane quid aliud denotaret in nummo Juliani Anubis cum Sistro Ægyptiorum Deorum insigni, et Caduceo?

354 *Hammonis*] Jovis Hammonis origo varie refertur: tribuitur tamen a poëtis maxime Baccho, cui per Libyæ deserta iter facienti aries cornu fontem ibi monstravit; quem ille Jovem esse patrem arbitratus, templum ibidem erexit Jovi, cornuto et arietino capite. Qui poëtarum commenta aspernantur, volunt Hammonem fuisse regem Ægypti, qui, quod galeam geminis cornibus insignem gereret, sub forma arietis pictus est.

355 *Cornutas facies*] Jovis Hammonis effigies cornu arietinum in fronte gestabat, quale in nummo Cyrenæorum argenteo conspicitur, qui ubique est obvius. Quodque ex lib. XXXVII. Plin. intelligitur. 'Hammonis cornu inter sacratissimas Æthiopiæ gemmas, aureo colore, arietini cornus effigiem reddens, promittitur prædivina somnia repræsentare.' Inde Alexander, quia Hammonis filius videri volebat, in gemmis, statuis, et numismatis cornutus visitur, teste Clem. Alexandrin. Paren. ad Gen. 'Volebat et Alexander Hammonis

Roma triumphantis quoties ducis inclyta currum
Plausibus excepit, toties altaria Divum
Addidit, et spoliis sibimet nova numina fecit:
Numina, quæ patriis cum mœnibus eruta, nullum
Præsidium potuere suis afferre sacellis.
Cernis, ut antiqui semper vestigia moris
Gressibus incertis varie titubasse probentur,
Asciscendo Deos majoribus incompertos,
Seque peregrina sub religione dicasse,
Nec ritus servasse suos? Quodcumque sacrorum est,
Exulat, externumque inimicam venit in urbem.
Frustra igitur solitis, prava observatio, inhæres:
Non est mos patrius, quem diligis, improba, non est.

tionibus currum ducis alicujus triumphantis, toties posuit nova altaria Deis, et sibi finxit ex exuviis nova numina; quæ numina non potuerunt esse auxilio suis templis, et ejecta fuerunt e patriis sedibus. An agnoscis quomodo observatio veteris consuetudinis fuerit semper varia, et titubarit incertis ritibus? nam recepit Deos ignotos patribus, et suscepit religionem externam, et mutavit mores suos. Quotquot Dei Romæ sunt, ii exulant a patria sua, et alienigenæ venerunt in Romam ipsis adversam. Frustra ergo, o pessima observatio, gloriaris de moribus antiquis; nec curas, o perniciosa, hos mores patrios, nec curas, inquam, nec diligis. At versutus Symmachus

NOTÆ

videri filius, atque a statuariis cornutus effingi, pulchrum hominis vultum cornu dedecorans.'

Syrtica tropæa] De Nasamonibus, gente Syrtica, navigiorum spoliis quæstuosa, hæc intelligenda sunt. 'Quippe obsident littora, et æstu destituta navigia notis sibi vadis occupant. Incolæ nemoris, quos Hammonios vocant, dispersis tuguriis habitant: medium nemus pro arce habent, triplici muro circumdatum.' Quint. Curt. IV. 29. De Syrtibus sup.

365 *Nec ritus servasse suos*] Tertullianus eadem Romanis objicit Apolog. cap. 6. 'Ubi religio? ubi veneratio majoribus debita a vobis? Habitu, victu, instructu, sensu, ipso denique sermone proavis renuntiastis. Laudatis semper antiquitatem, et nove de die vivitis. Per quod ostenditur, dum a bonis majorum institutis deceditis, ea vos retinere et custodire quæ non debuistis, cum quæ debuistis non custoditis.'

366 *Externumque inimicam venit in urbem*] Quidam legunt, *æternumque inimicam venit in urbem:* nec male, et satis apte ad mentem Prudentii, qui hæc omnia a Tertulliano mutuatus est, ut facile colligitur ex iis quæ inf. dicuntur vs. 490. 'Peregrinos enim Deos,' inquit Tertull. Apol. cap. 25. 'non putem extraneæ genti magis fautum voluisse quam suæ, et patrium solum, in quo nati, adulti, nobilitati, sepultique sunt, transfretanis dedisse.' Ergo, Romani licet hos Deos colant adorentque, Roma tamen ipsis erit inimica in æternum.

368 *Non est mos patrius, quem diligis*] Et sane Liberum patrem cum mysteriis consules senatus auctori-

Sed solers orator ait: Fataliter urbem
Sortitam, quonam Genio proprium exigat ævum.
Cunctis nam populis seu mœnibus inditur, inquit,
Aut fatum, aut Genius, nostrarum more animarum,
Quæ sub disparili subeunt nova corpora sorte.
Jam primum, qui sit Genius, vel qui status illi
Competat, ignoro: quid possit, et unde oriatur
Spiritus informis, sine corpore, formave; an ulla
Sit species, et quid sapiat, quæ munera curet.
Contra, animas hominum venis vitalibus intus
Sic interfusas intelligo, sanguis ut ex his
Accipiat motumque levem, tenerumque vaporem:
Unde pererratis vegetet præcordia membris,
Frigida succendat, riget arida, dura relaxet.
Sic hominis vitam sibi temperat atque gubernat
Vivida mens, quam tu ficto componere tentas
Murorum Genio, qui nusquam est, nec fuit unquam.
Quin et corporibus versat mens viva regendis
Summum consilium, fida ut tutacula nudis
Invalidisque paret, metuenda pericula vitet;

respondet Romam necessario accepisse a Deo Genium, vi cujus postulat ut ducat proprium ævum. Nam, inquit, more nostrarum animarum, quæ infunduntur in nova corpora sub dissimili sorte, aut fatum, aut Genius datur omnibus populis, sive urbibus. Primo vero nescio, qui sit Genius, qui status ipsi congruat, quæ sit illius potestas, quæ origo: nescio utrum sit merus spiritus, an vero sit forma et species aliqua; nescio quid sapiat, et quæ officia præstet. E contrario, scio animas hominum intus esse infusas per venas vitales ita ut sanguis accipiat ab animabus et modum concitatum et lenem teporem; cujus auxilio currens per artus sustentet corpus, calefaciat frigida, respergat exsiccata, emolliat dura. Animæ generosæ ea ratione sibi subjiciunt et regunt vitam hominis; quam tu vis comparare ficto Genio urbium, qui nec est, nec fuit unquam. Animæ quoque vivæ volvunt in corporibus regendis sana consilia, ita ut instruant firma tutamenta inermibus atque debilibus membris, defendant a peri-

ternumque migrans devenit Ro. 1. C. G. in marg. *micam venit* Eg. *meando venit in orbem* P. superscr.—369 *At* Weitz.—375 *et quid* Vulg.—376 *formane* A. *et illa* Eg. *an illa* P.—385 *Membrorum* W. superscr. Vulg.—387 *consilium fit*,

NOTÆ

tate non modo urbe, sed universa Italia eliminaverunt: Serapidem, et Isidem, et Harpocratem cum suo Cynocephalo, capitolio prohibitos inferri Piso et Gabinius consules, eversis etiam aris eorum, abdicaverunt, turpium et otiosarum superstitionum vitia cohibentes. Ergo circa ipsos Deos, quæ prospecte decreverant majores, Romani resciderunt. De Genio, sup. Sym. I. 447. et vs. 74. hujusce libri.

Utile prospiciat, varias agitetur ad artes;
Consultet, cui se domino summittat, et orbis
Quem putet auctorem, quem rerum summa sequatur.
At tuus hic urbis Genius, dicas volo, quando
Cœpit adhuc parvæ primum se infundere Romæ:
Fluxit ab uberibus nemorosa in valle lupinis,
Infantesque aluit, dum nascitur ipse, gemellos?
An cum vulturibus volitans ignota per auras
Umbra repentinam traxit de nube figuram?
Culminibus summis sedet, an penetralia servat?
Instituit mores, et jura forensia condit?
An castrorum etiam fossis intervenit? acres
Cogit ad arma viros, lituis ciet, urget in hostem?
Quæ quis non videat sapientum digna cachinno?

culis metuendis, serviant utilitati, ediscant varias artes, perpendant, quem Dominum adorent, quem agnoscant conditorem mundi, quem omnes res sequantur. At, dic amabo, quando tuus ille Genius Romæ cœpit primum immittere se in Romam recens natam. Fluxitne ab uberibus lupæ in valle sylvosa, et, dum nascitur ipse, nutrivit pueros gemellos? an vero cum umbra ignota Romæ volitans per aërem cum vulturibus assumsit derepente formam ex nube? Sedetne in altis fastigiis, an vero servat loca interiora domorum? an componit mores, et dat leges publicas? an præest etiam fossis castrorum? an colligit ad bellum milites generosos, incitat tuba, et compellit in hostes? quæ omnia esse digna risu omnes sapientes vident. Sed fingamus aliquem

ut aut t. W. B.—390 *Consulet et* W. B. *Consulte* A.—391 *quæ r. s. sequantur* T. sed corr.—397 *repentina* T. Bo. 1. Ro. 2. *repentini* Eg.—398 *servans* Weitz.—401 *lituos* Eg. Bodl. *lituo* C. Ro. 1.—405 *calidas animet curata medullis* G.

NOTÆ

394 *Ab uberibus lupinis*] Notum illud et tritum. Virg. VIII. 630. 'Fecerat et viridi fœtam Mavortis in antro Procubuisse lupam: geminos huic ubera circum Ludere pendentes pueros, et lambere matrem Impavidos; illam tereti cervice reflexam Mulcere alternos, et corpora fingere lingua.' Ejus lupæ statua in templo Romuli visebatur. Non solum Scriptores Christiani, verum etiam ethnici complures fabulam esse censuerunt. T. Liv. I. 4. Plut. in Rom. vita.

Nemorosa in valle] In antro Martis.

395 *Gemellos*] Remum ac Romulum.

396 *Cum vulturibus*] In auguriis vulture plurimum usi veteres, cum avium fere minime nocens sit. 'Palatinum autem Romulus, Remus Aventinum ad inaugurandum templa capiunt. Priori Remo augurium venisse fertur, sex vultures: jamque, nuntiato augurio, cum duplex numerus Romulo se ostendisset, utrumque regem sua multitudo consalutaverat, tempore illi præcepto: at hi numero avium regnum trahebant.' T. Liv. I. 6. De penetral. sup. Sym. I. 550. De lituo sup. Psych. vs. 318.

Fingamus tamen esse aliquam, quæ talia curet,
Umbram sive animam, per quam respublica fatum
Hauserit, et calidis animetur tota medullis.
Cur non hæc eadem de religione colenda
Consultat? cur non suspectat libera cœlum?
Cur sibi præscriptum non commutabile fatum,
Ut captiva, putat? genesis cur vincula fingit?
Cur jam nolle licet, quod tunc voluisse licebat,
Erroresque abolere suos, ac flectere sensus?
Sic septingentis erravit circiter annis,
Lubricaque et semper dubitans quæ forma placeret
Imperii, quæ regnandi foret æqua potestas.
Regius exortam jam tunc habuit status urbem,

spiritum, sive animam, quæ illa disponat; quæ regat fatum Reipublicæ, et animet calidas illius medullas. Quare ergo illa anima non inquirit quænam religio sit colenda? quare libera non intuetur cœlum? quare, tanquam captiva, arbitratur fatum immutabile sibi esse præscriptum? quare fingit sidus natalitium imponere vincula? Huic Genio licuit nolle id quod antea licebat velle, deponere errores suos, et mutare sententiam. Hinc instabilis et semper dubia quæ forma imperii placeret, quod genus dominatus foret justum, erravit fere per septingentos annos. Reges rexerunt Ro-

in marg.—406 *tenenda* Weitz.—407 *prospectat* Vulg. *aspectat* W. B.—410 Cui Weitz.—414 *et quæ* Weitz.—421 H. vs. postponitur vs. 426. Eg. Bodl.

NOTÆ

409 *Genesis*] Pro sidere natalitio genesis accipitur a Suet. in Vespas. 'Monentibus amicis cavendem esse Metium, quod vulgo crederetur genesim habere imperatoriam, insuper consulem fecit:' et a Juv. Sat. XIV. 245. 'Nota Mathematicis genesis tua: sed grave tardas Expectare colos.'

410 *Cur jam nolle licet*] Unde Tertull. Apol. cap. 6. 'Nunc religiosissimi legum et paternorum institutorum protectores et cultores respondeant velim de sua fide, et honore, et obsequio erga majorum consulta, si a nullo desciverunt? si in nullo exorbitaverunt? si non necessaria et aptissima quæque disciplinæ obliteraverunt,' &c.

412 *Septingentis annis*] Florus quoque ita sentit. 'Populus Romanus a rege Romulo in Cæsarem Augustum, septingentos per annos, tantum operum pace belloque gessit, ut si quis magnitudinem imperii cum annis conferat, ætatem ultra putet.' Nam regibus dat annos ducentos quinquaginta; ab his usque ad Appium Claudium, totidem; ab Appio Claudio usque ad Augustum ducentos ponit: sed alii dissentiunt.

415 *Regius habuit status urbem*] 'Hæc est prima ætas populi Romani, et quasi infantia, quam habuit sub regibus septem.' Flor. I. 8.

Non sine grandævis curarum in parte locatis.
Mox proceres de stirpe senum tractasse videmus
Clavum consilii: plebeias inde catervas
Collatas patribus mixtim ditionibus æquis
Imperitasse diu belloque et pace regendis.
Consule nobilitas viguit: plebs fisa tribuno est.
Displicet hic subito status, et bis quina creantur

mam recens conditam, ita ut tamen Senatores habuerint partes in administratione. Deinde scimus primates ortos a Senatoribus tractasse regimen Reipublicæ: postea plebeios homines, conjunctos simul cum Senatoribus, æqua potestate diu administrasse Romanos et bello et pace. Consul tuebatur nobiles: Tribunus tuebatur plebem. Paulo post hæc administratio displicet, et Decemviri illustrissimi inter claros pri-

NOTÆ

416 *Non sine grandævis curarum in parte locatis*] Nam Romulus, ut essent quibuscum Rempublicam administraret, centum viros elegit. 'Cum jam virium haud pœniteret, consilium deinde viribus parat. Centum creat Senatores.' T. Liv. I. 9.

417 *Mox proceres de stirpe senum*] Vix duo consules creati sunt, L. Junius Brutus, et L. Tarquinius Collatinus, 'quo plus virium in senatu frequentia etiam ordinis faceret, cædibus regis diminutum Patrum numerum, primoribus equestris gradus lectis, ad trecentorum summam explevit. Id mirum quantum profuit ad concordiam civitatis, jungendosque Patribus plebis animos.' T. Liv. II. 1.

418 *Clavum consilii*] Alludendo ad gubernaculum navis, quod metaphorice, quia instar clavi pangitur in navi, clavus dicitur. Cic. in Cat. 'Ille autem clavum tenens, quietus sedet in puppi.'

Plebeias catervas] Tribunis plebis creandis causam dedit secessio plebis a Patribus anno post Urbem conditam 259. Plebs enim nexu gravata et delusa sæpius in montem, qui inde sacer dictus est, trans Anienem discessit. Missus ad eam placandam Menenius Agrippa, vir populo ac patribus juxta carus: cujus oratione delinita plebs in urbem rediit, ea tamen lege ut plebeios haberet magistratus. 'Pavor ingens in urbe, metuque mutuo suspensa erant omnia. Timere relicta ab suis plebes violentiam Patrum: timere Patres residem in urbe plebem, incerti, manere eam, an abire mallent. Placuit igitur oratorem ad plebem mitti Menenium Agrippam, facundum virum, et quod inde oriundus erat, plebi carum. Agi deinde de concordia cœptum, concessumque in conditiones, ut plebi sui magistratus essent sacrosancti, quibus auxilii latio adversus consules esset, neve cui Patrum capere eum magistratum liceret. Ita Tribuni plebei creati duo, C. Licinius, et L. Albinus. Hi tres collegas sibi creaverunt. In his Sicinium fuisse seditionis auctorem; de duobus, qui fuerint, minus convenit.' Adi T. Liv. II. 33.

421 *Plebs fisa tribuno est*] Senatus enim edicta, leges, consulta, acta magistratuum a tribunis sæpe rescissa fuerunt, promulgatæ novæ leges, comitia tum plebis, tum senatus pro arbitrio et coacta et soluta, tributorum collationes, militumque delectus prohibiti, ducti etiam interdum eorum jussu in carcerem consules.

422 *Bis quina creantur Summorum procerum fastigia*] Anno trecentesimo

Summorum procerum fastigia, quos duodeni
Circumstant fasces: simul et sua quemque securis.
Rursus se geminis reddit ductoribus omnis
Publica res, et consulibus dat condere fastos.
Ultima sanguineus turbavit sæcla triumvir.
Fluctibus his olim fatum, Geniusve, animusve
Publicus erravit: tandem deprendere rectum

mates sufficiuntur: quibus singulis præferebantur duodeni fasces et una securis. Iterum Respublica transfert omne dominium ad duos Consules, et vult ut scribant fastos. Sanguineus Triumviratus turbavit postrema tempora. Fatum, sive Genius, sive animus publicus erravit olim illis vicissitudinibus. Denique is doctus sequi

Ro. 1.—425 *doctoris* Eg.—429 *reprendere* Ro. 1.—452 *oris* P.—466 *recondite*

NOTÆ

altero, quam condita Roma erat, iterum mutatur forma civitatis, ab consulibus ad decemviros, quemadmodum ab regibus ante ad consules venerat, translato imperio. Decemviri creati Ap. Claudius, T. Genucius, P. Sestius, L. Veturius, C. Julius, A. Manlius, Ser. Sulpicius, P. Curatius, T. Romilius, Sp. Postumius.

423 *Quos duodeni Circumstant fasces*] Ita priores decemviri servaverant, ut unus fasces haberet, et hoc insigne regium in orbem, suam cujusque vicem, per omnes iret; posteriores vero cum duodenis fascibus prodiere. Centum viginti lictores forum impleverunt, et fascibus secures illigatas præferebant. Decem regum species erat.

424 *Sua quemque securis*] Licet in Republica Romana duodecim fasces virgarum, intra quas ligatæ secures essent, nulli magistratui præferri solerent, toto Magistratus tempore, præter quam Dictatori.

425 *Rursus se geminis reddit ductoribus*] 'Læta principia,' inquit Liv. III. 33. 'Decem virorum nimis luxuriavere, eo citius lapsa res est: repetitumque, duobus uti mandaretur consulum nomen imperiumque.' Ubi vult reditum ad consulare imperium, quale triennio ante fuerat cum provocatione. De consulibus sup.

426 *Condere fastos*] Adi sup. Perist. x. 407. et 614.

427 *Turbavit sæcla triumvir*] Loquitur de Triumviratu Cæsaris, Lepidi, et Antonii, qui venerunt in cruentissimi fœderis societatem. 'Lepidum divitiarum cupido, quarum spes ex turbatione Reipublicæ: Antonium ultiones de his qui se hostem judicassent: Cæsarem inultus pater, et manibus ejus graves Cassius et Brutus agitabant.' Flor. IV. 6.

Sanguineus triumvir] Unde Flor. loc. cit. 'Nullo bono more Triumviratus invaditur,' (alludit scilicet ad triumviratum Crassi, Cæsaris, et Pompeii,) 'oppressaque armis Republica, redit Syllana proscriptio: cujus atrocitas nihil in se minus habet, quam numerum centum quadraginta Senatorum. Exitus fœdi, truces, miserabiles, toto terrarum orbe fugientium. Pro quibus quis pro dignitate rei ingemiscat, cum Antonius Lucium Cæsarem avunculum suum, Lepidus

Doctus iter, caput augustum diademate cinxit,
Appellans patrem patriæ, populi atque senatus
Rectorem, qui militiæ sit ductor, et idem
Dictator, censorque bonus, morumque magister,
Tutor opum, vindex scelerum, largitor honorum.
Quod si tot rerum gradibus toties variatis
Consiliis, ægre tandem pervenit ad illud
Quod probet, ac sancto reverentia publica servet
Fœdere; quid dubitat divina agnoscere jura,
Ignorata priùs sibimet, tandemque retecta?
Gratemur, jam non dubitat: nam subdita Christo
Servit Roma Deo, cultus exosa priores.

viam certam imposuit coronam capiti Cæsaris, quem nominavit patrem patriæ, dominum plebis, et Senatus, quem elegit Ductorem exercituum, et Dictatorem, et justum Censorem, Magistrumque morum, defensorem bonorum, ultorem criminum, et distributorem dignitatum. Sin autem tot vicissitudinibus rerum, consiliis toties mutatis, tam difficiliter reperit aliquid quod laudet, et una voce servet religiose; cur abnuit accipere legem divinam, quæ prius ipsi ignota fuit, nunc vero manifesta est? Fallor, gratulemur Romæ: jam enim fidelis est; subdita Christo adorat unum Deum, et odit ritus antiquos. Gratulemur Romæ, id est, civibus;

NOTÆ

Lucium Paullum suum fratrem proscripserit?'

430 *Caput augustum diademate cinxit*] Anno 727. quo Cæsar 7. et Agrippa 3. Coss. fuerunt, primus imperare cœpit Augustus. Hoc enim anno sententia Munacii Planci Octaviano Cæsari tributum est Augusti nomen; ut ipso nomine et titulo consecraretur; quippe quæ Augusta dicuntur, ea religiosa, et Diis consecrata sunt. Ab anno porro antecedente legitimum deinceps imperium penes Cæsarem extitit. Tunc enim a S. P. Q. R. id illi est attributum, ejusque administrandi certa ratio ab eo constituta, partitis cum populo provinciis.

431 *Appellans patrem patriæ*] Quomodo autem illi datum fuerit, fuse narrat Suet. cap. 58. 'Senatus te consentiens cum populo Romano consalutat Patriæ Patrem. Cui lacrymans respondit Augustus, his verbis: Compos factus votorum meorum, Patres Conscripti, quid habeo aliud Deos immortales precari, quam ut hunc consensum vestrum ad ultimum vitæ finem mihi perferre liceat?'

433 *Dictator*] 'Ob hæc tot facta ingentia Dictator perpetuus, et Pater patriæ dictus. Tractatum etiam in Senatu, an, quia condidisset imperium, Romulus vocaretur.' Flor. IV. cap. ult. Sed hunc honorem fortiter repulit, tribunitia potestate contentus, ut patet ex annalibus et numismatis. Augustum secuti deinceps alii Imperatores Romani primo ipso imperii die TR. P. sumebant, unde imperii a die susceptæ tribunitiæ potestatis inchoantur. De Censore sup.

434 *Largitor honorum*] Pluraque alia honorum genera ei delata fuisse testantur nummi.

Romam dico viros, quos mentem credimus urbis,
Non Genium, cujus frustra simulatur imago.
Quanquam cur Genium Romæ mihi fingitis unum?
Cum portis, domibus, thermis, stabulis soleatis
Assignare suos Genios; perque omnia membra
Urbis, perque locos, Geniorum millia multa
Fingere, ne propria vacet angulus ullus ab umbra.
Restat, ut et fatum similis dementia cunctis
Ædibus imponat, paries ut quisque sub astro
Fundatus structusque suo, qua sorte maneret,
Quando autem rueret, primis acceperit horis.
Ascribunt saxis Lachesis male fortia fila,
Tectorumque trabes fusis pendere rotatis
Credunt, atque ipsis tribuunt decreta tigillis:
Ceu distet, cujus stellæ sit fraxinus ortu
Eruta, quæ summum conscenderet ardua culmen.
Denique nulla hominum res est, nulla actio mundi,
Cui non fatalem memorent incumbere sortem:

quos, non vero Genium, cujus forma frustra fingitur, putamus esse mentem Romæ. Sed cur mihi opponitis unum Genium Romæ? cum soleatis dare Genios portis, domibus, balneis, et stabulis; et distribuere turbam Geniorum per omnia mœnia et loca Romæ, ne aliquis angulus privetur suo Genio. Restat ut par commentum tribuat omnibus ædibus aliquod fatum, ita ut omnia mœnia, fundata et posita sub suo sidere, die natalitio attulerint qua sorte starent, et quo tempore laberentur. Et sane astrologi subjiciunt lapides filis fatalibus Parcarum; putant trabes domorum pendere ex filis versatis, et assignant fata ipsismet tignis. Quasi intersit, sub quo sidere excisa fuerit fraxinus, cui ardue superponitur summum tectum domus. Denique asserunt id omne quod spectat homines, quod agitur in orbe terrarum, subjici fato

NOTÆ

449 *Fatum*] Astrologi necessarias rerum omnium causas, et origines ex astrorum motibus repetendas esse dicebant: Philosophi vero plerique, et inprimis Stoici, ex antecedentibus causis fatali itidem necessitate aptas et connexas putabant. Quod utrumque detestandum est; quippe quod et Dei potestatem, a quo pendent omnia, et liberum hominis arbitrium evertat.

453 *Lachesis*] A λαγχάνω, *sortior*, dicitur. Duæ ipsi sunt sorores, Clotho atque Atropos; quæ, quia nascentibus bonum malumque in partu conferunt, Parcæ appellantur. Colo instructæ sunt, qua vitæ humanæ stamina deducunt. Quis autem hæc ignorat?

455 *Tigillis*] Tigillum, sive tigillus, trabs, cui superponitur tectum. Tibul. Eleg. II. 1. 'Illi compositis primum docuere tigillis Exiguam viridi fronde operire domum.'

456 *Fraxinus*] Genus arboris notissimæ.

Quæ quia constituunt, dicant, cur condita sit lex
Bis sex in tabulis; aut cur rubrica minetur,
Quæ prohibet peccare reos, quos ferrea fata
Cogunt ad facinus, et inevitabile mergunt.
Quin et velle adigunt, pravum insinuantia votum,
Ne liceat miseris vetitum committere nolle.
Cedite, si pudor est, gladiumque retundite vestrum,
Aspera nil meritos pœnis plectentia jura;
Antrum carcereum dissolvite, corpora sub quo

non mutabili. Quia vero id affirmant, dicant cur præcepta scripta sint in duodecim tabulis, aut cur leges minentur pœnas: nam eæ jubent reos non peccare, quos tamen fata dura cogunt et attrahunt necessario ad crimen. Quinetiam excitant illicita desideria, et impellunt ut velint, ne fas sit miseris nolle ferri in hæc illicita. O leges severæ, abite, si pudor est, et continete vos a suppliciis; innocentes plectuntur pœnis: aperite cæcos carceres, in quibus asservatis corpora turbæ innocuæ, nam

NOTÆ

460 *Dicant, cur condita sit lex*] Eadem apud A. Gell. vi. 2. Chrysippo objiciuntur. Is enim Stoicæ princeps Philosophiæ ita fatum definiverat: 'Fatum est sempiterna quædam et indeclinabilis series rerum et catena, volvens semetipsa sese et implicans per æternos consequentiæ ordines, ex quibus apta connexaque est.' Aliarum autem opinionum auctores huic definitioni ita obstrepunt: 'Si Chrysippus fato putat omnia moveri et regi, nec declinari transcendique posse agmina fati et volumina; peccata quoque hominum et delicta non sustentanda neque condicenda sunt ipsis voluntatibusque eorum; sed necessitati cuidam et instantiæ, quæ oritur ex fato omnium, quæ sit rerum domina et arbitra; per quam necesse sit fieri quicquid futurum est: et propterea nocentium pœnas legibus inique constitutas, si homines ad maleficia non sponte veniunt, sed fato trahuntur.'

461 *Bis sex in tabulis*] Allatas enim a Græcia leges decem principes lecti, jubente populo Romano, conscripserunt; ordinatumque fuit in duodecim tabulis totum jus; quas Tac. Ann. iii. 'finem æqui juris' appellat, quia scilicet, non in personas, sed absolute scriptæ erant. Cic. de Orat. lib. i. scribere non est veritus videri sibi, 'unum duodecim tabularum libellum bibliothecas omnium Philosophorum et auctoritatis pondere et utilitatis ubertate superare.' Earum ferendarum auctorem præcipuum Decemviris fuisse ferunt Hermodorum Ephesium exulantem in Italia, cujus statua Romæ fuit in comitio, teste Plin. xxxiv. 5. Vide Cic. Tusc. lib. v. et Strab. lib. xiv.

Rubrica] Plin. xxxv. 14. 'Rubricæ genus in ea voluere intelligi quidam secundæ auctoritatis: palmam enim Lemniæ dabant. Minio proxima hæc est, multum antiquis celebrata. Nec nisi signata,' (capræ scilicet imagine,) 'venumdabatur: unde et Sphragidem appellavere.' Quia vero legum, omniumque quæ scribebantur olim, tituli ac capita rubra erant, seu rubrica minioque notata, ut patet ex Ovid. Trist. i. 1. 'Nec titulus minio, nec cedro charta notetur.' Pro ipsismet legibus ponitur Pers. Sat. v. 90 'Excepto si quid Masuri rubrica vetavit.'

Agminis innocui fato peccante tenetis.
Nemo nocens, si fata regunt quod vivitur ac fit:
Immo nocens, quicumque volens quod non licet audet;
Alterutrum quia velle suum est, nec fata reatum
Imponunt homini; sed fit reus ipse suopte
Arbitrio, placitumque nefas et facta rependit
Impia suppliciis merito, non sorte peremtus.
Quisque putat fato esse locum, sciat, omniparentem
Esse Deum, nulli vetitum fatalibus astris,
Nec mathesis præscripto aliquo pia vota repelli.

unum fatum peccat. Nemo est reus, si vita hominum atque actiones subjiciuntur fato: sed is reus est, qui liber fertur in illicitum; quia homo potest velle bonum et malum, et fatum non illum impellit in culpam: sed ipse fit reus sua voluntate, et reus sua culpa; non autem fato perpetitur pœnas pro factis impiis et criminibus, quæ libens commisit. Ii, qui credunt homines subjici fato, accipiant esse Deum Creatorem omnium, a quo fatale sidus removet neminem, et sancta desideria nullo

Heins. in not.—473 *ipse per amplum Ingenium* Weitz. T. B. W. *suopte Ingenio* T. Bo. *suapte Arbitrio* Bodl. A. P. W. superscr. Eg. a m. sec. *suapte Ingenio* Ro. 1. *suopte Ingenium* Ro. 2. *suapte Ingenitum* Heins. in not.—477 *Nosse* A. G. P. T. Bo. 1. 2. Eg. Bodl. *Posse* Ro. 1. *fallacibus* G. W.—478 *per-*

NOTÆ

470 *Nemo nocens, si fata regunt*] Seneca: 'Fati illa culpa est, nemo fit fato nocens.'

472 *Nec fata reatum Imponunt homini*] Quippe Stoici, ut tuto sibi esse improbis liceret, scelerum suorum causam in fatum nescio quod rejiciebant. Unde Eumenius Paneg. Constant. Aug. 'Quid faciam igitur, ut tam profunda vulnera suspensa manu tractem? usurpabo nimirum illa communia omnium facinorum patrocinia, quæ tamen plerumque etiam a sapientibus asseruntur, neminem hominem peccare nisi fato, et ipsa scelera mortalium actus esse fortunæ, contra autem Deorum munera esse virtutem.'

477 *Deum, nulli vetitum fatalibus astris*] Et sane, si res aliter se haberet, nonne jure ac merito his verbis Lactantii cap. 11. uterentur homines? 'Quid igitur oculos in cœlum tollimus, quid per Superos dejeramus; cum ipsi Superi ad Inferos devolvantur, ibique habeant quod venerentur, et adorent? Illud vero quale est? esse fata, quibus Dii omnes et ipse Jupiter pareat.'

478 *Mathesis*] Ars omnis, quæ firmis demonstrationibus constat, mathesis dicitur, præcipue vero Astrologia, de qua hæc habet Isidor. III. 70. 'Sed nonnulli siderum pulchritudine et claritate pellecti in lapsus stellarum cæcatis mentibus corruerunt, ita ut per supputationes noxias, quæ mathesis dicitur, eventus rerum præscire conentur: quos non solum Christianæ Religionis doctores, sed etiam gentilium Plato, Aristoteles, atque alii rerum veritate commoti, concordi sententia damnaverunt.'

Spirat enim majora animus, seque altius effert
Sideribus, transitque vias et nubila fati;
Et momenta premit pedibus, quæcumque putantur
Figere propositam natali tempore sortem.
Huc ades, omne hominum genus, huc concurrite et urbes:
Lux immensa vocat: factorem noscite vestrum.
Libera secta patet: nil sunt fatalia: vel si
Sunt aliqua, opposito vanescunt irrita Christo.
Sed multi duxere Dei per prospera Romam;
Quos colit ob meritum magnis donata triumphis.
Ergo age, bellatrix, quæ vis subjecerit, ede,
Europam Libyamque tibi: dic nomina Divum.
Jupiter, ut Cretæ domineris, Pallas ut Argis,

repelli cursu astrorum. Nam animus tendit ad altiora, et sese extollit supra sidera, et transit vias et sedes fati, et spernit horam illam quæ putatur die natalitio figere fatum præscriptum. Huc omnes homines advolate, huc omnes civitates accurrite: Christus vos vocat, adorate vestrum Creatorem: tradit religionem, ubi viget libertas, ubi nullum est fatum: quod si quædam videntur fatalia, statim irrita evanescunt, Christo opposito. At multi Dei consuluerunt felicitati Romæ, quos ea ornata magnis triumphis adorat ob tale munus. Eia igitur, o Roma bellatrix, dic quæ potestas tibi subjecerit Europam et Africam: recense nomina Deorum. Jupiter ergo secundo omine tibi dedit imperium Cretæ, Pallas Græciæ, Apollo Del-

scripto Eg.—482 *Fingere* W. B. T. Ro.—487 *dii* P.—500 *indigetum* C.

NOTÆ

482 *Figere*] Ne legas cum nonnullis *fingere*. *Figere*, verbum mathematicum.

488 *Quos colit ob meritum*] Tertull. vero Apol. cap. 25. id tribuit grato Deorum animo: 'Non omittam congressionem, quam provocat illa præsumptio dicentium Romanos pro merito religiositatis diligentissimæ in tantum sublimitatis elatos, ut orbem occuparint; et adeo Deos esse, ut præter ceteros floreant, qui illis officium præter ceteros faciant. Si ista merces Romanis, a Diis pro gratia expensa est.' Ede, dic, sup. Hamart. vs. 110. De Libya sup. Sym. I. 184. De Jove sup.

491 *Cretæ*] Creta, insula maris Mediterranei non procul a Peloponneso, Jovis incunabulis et centum urbibus olim clara. Rarissimus huc spectat nummus, Tito principe cusus, cum hac epigraphe, ΖΕΥΣ ΚΡΗΤΑΓΕΝΗΣ, in quo Jupiter dextra fulmen vibrat inter sidera septem errantia: in altera nummi parte, ΘΕΩ. ΑΥΤΟ. ΤΙΤΩ, Θεῷ Αὐτοκράτορι Τίτῳ. Stephanus ibi et Jovis Cretæi templum, quem Marnan nostra ætate vocant, h. e. Κρηταγενῆ, Cretæ natum. Vide Harduin. pag. 178.

Argis] Argos triplex fuit. Peloponnesiacum, Argiæ regionis caput, non procul a Corintho. Amphilochium, in Epiro, inter Ambracium sinum et Acheloum fluvium. Pelasgicum in Thessalia, Larissæ proximum. De Pallade sup. Perist. X. 275.

Cynthius ut Delphis, tribuerunt omine dextro.
Isis Nilicolas, Rhodios Cytherea reliquit.
Venatrix Ephesum virgo, Mars dedidit Hebrum;
Destituit Thebas Bromius, concessit et ipsa

phorum; Isis deseruit Ægyptios, Venus Rhodienses. Diana venatrix tibi transtulit Ephesum, Mars Thraces. Bacchus dereliquit Thebas. Juno ipsa sivit suos

NOTÆ

492 *Cynthius*] Nomen Apollinis, quia natus est in insula maris Ægæi Delo, ubi mons est Cynthus.

Delphis] 'Liberum oppidum Delphi,' inquit Plin. IV. 4. 'sub monte Parnasso, clarissimum in terris oraculo Apollinis.' Unde in nummis ΔΕΛΦΟΥ et ΔΕΛΦΩΝ, qui passim obvii sunt, caput Apollinis laureatum, cum lyra, laurove; in parte vero aversa Apollo delphino insidet: aut Capræ effigies, ejus nimirum, quæ Delphicum oraculum prima prodidit.

493 *Isis Nilicolas*] Isis in vaccam a Jove mutata fuit: quæ restituta deinde priori formæ Dea facta ab Ægyptiis colebatur. Vide sup. Hinc Ov. Amor. lib. II. 'Isi, Parætonium, genialiaque arva Canopi Quæ colis, et Memphim, palmiferamque Pharon, Quaque celer Nilus, lato delapsus ab alveo, Per septem portus in maris exit aquas.' Adde quod in nummis, Helena Juliani uxor, sub Isidis Phariæ habitu cernitur, cum hac epigraphe, ISIS FARIA.

Rhodios] Rhodus in mari Carpathio insula nobilissima, Cariæ adjacens, ambitu 130. M. passuum.

Cytherea] Quia Cythera, insula Mediterranei maris, contra Cretam, dicata Veneri. 'Parce metu, Cytherea.' Virg. Æn. I. 261.

Reliquit] Fabulati sunt enim nonnulli Venerem a Sole fuisse compressam in Rhodo insula, Rhodumque peperisse; quo tempore auro pluit, et rosæ multæ floruerunt, atque inde datum fuisse nomen insulæ. Pindar. in Olymp. meminit: 'Æquoream hymno laudans filiam Veneris Solisque nympham Rhodum.' Alibi vero: 'Insula dicta Rhodos de Sole et Cypride nata est: De tribus et natis horum tres sunt simul urbes. Cumque Deam Deus accessit, guttis pluit auri, Purpureæque rosæ fudere ac lilia flores.' Hinc in nummis ΡΟΔΙΩΝ rosa visitur.

494 *Venatrix virgo*] Diana scilicet, de qua sup. Sym. I. 363. &c. Id unum addo, Dianæ hanc ob causam fuisse Elaphiæ nomen, seu Laphiæ, ut apud Reinesium; quod vir Phocensis Laphrius in Laphriam mutavit. Hinc nummus Neronis, cum hac epigraphe DIANA. LAPHR. Est enim cervus Græcis ἔλαφος.

Ephesum] Urbs est in Ionia Asiæ, ad ostia Caystri fluvii, Dianæ templo nobilis. Verum in Ephesiorum nummis signari Diana solita: aut cervus, qui Dianæ sacer.

Hebrum] Hebrus fluvius Thraciæ maximus in Ægæum mare influit. Vide sup. Apoth. vs. 429. Apud Thraces autem eximie colebatur Mars; ut colligere est ex Hom. Odyss. lib. VIII. ubi loquitur de Marte et Venere a Vulcano implicitis: 'Hique, ubi sunt illis durissima vincla soluta, Discedunt subito: Thracas mox ille petivit, Ipsa Venus Cyprum petit alma nata Dione.'

495 *Thebas*] Thebæ civitas erat Bœotiæ primaria, ad Ismenum fluvium condita, Bacchi patria, teste

Juno suos Phrygiis servire nepotibus Afros:
Et quam subjectis dominam Dea gentibus esse,
Si qua fata sinant, jam tum tenditque fovetque;
Jussit Romuleis addictam vivere frænis.
Perfidiane Deum indigenum cecidere tot urbes?
Destructæque jacent ipsis prodentibus aræ?
O pietas, o sancta fides! traduxit alumnos
Majestas infida locos, et creditur istis
Numinibus, quæ transfugio meruere sacrari?
An voluit servare suos, luctataque multum
Religio infestas tentavit pellere turmas,
Romanis obnisa globis? sed fortior illam
Virtus luctifico camporum in pulvere fregit?
Immo ita est: armis et viribus indiga veri
Victa superstitio est, et inanem gloria fugit.

Pœnos servire Romanis ortis a Trojanis. Et hæc Dea jussit Carthaginem, quam mox fundabat et fovebat, ut esset domina populis subditis, si id fata sinerent, jussit, inquam, teneri legibus populi Romani. An tot urbes dirutæ fuerunt perfidia Deorum domesticorum? An ipsismet Deis concedentibus aræ destructæ jacent? O pietas, o sancta fides! Diine perfidi tradiderunt locos ubi educati sunt? cur ergo coluntur ii Dii, qui meruerunt adorari, ob fugam? An Dii diu dimicantes voluerunt servare suos populos, et resistentes Romanis cohortibus tentarunt fugare turmas hostiles? virtus autem Romana fortior eos vicit in arena cruenta camporum? Ita sane accidit. Dii illi expertes veritatis victi fuerunt armis et viribus, et inanes

—504 *qui* Weitz. Delph. Gif. Ind. Lucr. P. 352. W. superscr.—509 *ita id est* G.—510 *fugat* Eg. sed *inanis gloria fugit* superscr.—512 *Late*

NOTÆ

Plin. IV. 12. Hinc nummi ΘΗΒΑΙΩΝ sæpe cyathum insculptum habent, impositamque uvam.

Bromius] Ἀπὸ τοῦ βρέμειν, fremere; vel ab effectis vini, vel quia natus est inter tonitrua.

496 *Juno*] Adi sup. Sym. I. 184. De Phryg. sup. De Africa sup. Perist. XIII. 96.

497 *Dea gentibus esse, &c.*] Virg. Æn. I. 21. 'Hoc regnum Dea gentibus esse, Si qua fata sinant, jam tum tenditque fovetque.'

498 *Si qua fata sinant*] Juno enim, et ipse Jupiter, Diique ceteri erant fato subditi.

507 *Globis*] Globus pro multitudine hominum in unum collecta ponitur a Liv. lib. VIII. ab Urbe: 'Extrema concio, et circa Fabium globus, increpabant inclementem Dictatorem.'

510 *Inanem gloria fugit*] Hinc Tertull. Apol. cap. 25. fuse atque eleganter Romanis eadem objicit: 'Vellet et Juno Punicam urbem, posthabita Samo, dilectam ab Æneadum utique genere, deleri? quod si: Hic

Sed nec difficilis fuit, aut satis ardua genti
Natæ ad procinctum victoria, frangere inertes,
Molliaque omnigenum colla inclinare Deorum.
Tunc cum Dictæis bellum Corybantibus asper
Samnitis Marsusque levi sudore gerebat.
Tum mastigophoris, oleoque et gymnadis arte
Unctis pugilibus, miles pugnabat Etruscus:
Nec petaso insignis poterat, Lacedæmone capta,
Mercurius servare suas de clade palæstras.
Apenninicolam peditem Cybeleius hostis

derelicti fuerunt a gloria. At nec difficile fuit, nec satis arduum Romanis natis ad bellum superare ignavos, et dare in servitutem capita effœminata Deorum omnis generis. Modo enim asperi Samnites et Marsi absque ullo labore habebant bellum cum Cretensibus sacerdotibus Cybeles. Modo Hetrusci bellicosi oppugnabant Lacones flagilliferos, et athletas perfusos oleo et deditos gymnicis certaminibus. Nec Mercurius insignis petaso poterat defendere ab exitio sua gymnasia, Lacedæmone diruta. Quomodo Phryges ineuntes pugnam cum militibus Apenninigenis potuis-

procinctus Weitz. Ro. 2. W. B. *Natæ ad procinctus* T. Bodl. Eg. Delph. A. Ro. 1. C.—514 *Nunc* Weitz. Delph. *Tum* A.—515 *sudoris oleoque* Eg. omissis intermediis.—516 *marrucoforis* W. B. Ro. 2. *mastrucophoris* G. in marg.—518 *pegaso* P. superscr.—529 *Instar erant tenuis* Weitz.—532 *duc-*

NOTÆ

illius arma, Hic currus fuit, hoc regnum Dea gentibus esse, Si qua fata sinant, jam tum tenditque fovetque: misera illa conjux et soror adversus fata non valuit. Plane fato stat Jupiter ipse. Nec tantum tamen honoris Romani dicaverunt fatis dedentibus sibi Carthaginem adversus destinatum, votumque Junonis, quantum prostitutissimæ lupæ Larentinæ.' De procinctu sup. Psych. vs. 606. De omnigenis Diis sup. Sym. I. 13.

514 *Dictæis*] Dicte enim Cretæ mons. Virg. Georg. II. 536. 'Ante etiam sceptrum Dictæi regis.' Jovis scilicet, qui in Dictæo monte educatus est.

Corybantibus] Corybantes Jovem infantem aluerunt, tympana jugiter pulsantes, ne Saturnus puerum vagientem audiret. A *κορύσσειν*, i. e. impetu ferri, et furere, dicti sunt Corybantes. De Samnit. sup. Perist. XI. 207.

515 *Marsus*] Marsi, Italiæ populi, sub Samnitibus, juxta lacum Fucinum.

516 *Mastigophoris*] De Laconibus sermo est. Eustathius in Homerum Iliad. B. *μάστιγες Λακωνικαί, καὶ σιδηρίον Λακωνικόν*. Hæc Heinsius. Et sane in sacris certaminibus agonothetas comitabantur servi, virgas præferentes, ad summovendam turbam, et cohibendas seditiones. De Gymnade sup. Perist. X. 190. De Etruscis sup. Perist. XI. 206. De Lacedæmone sup. Hamart. vs. 366. De Mercurio alato sup. Sym. I. 101. De palæstra sup. Hamart. vs. 366.

520 *Apenninicolam*] Incolam Apennini, montis Italiæ, Liguriam a Septemtrione ambientis.

Congressu excipiens, Asiam defendere et Idam
Qui potuit, cogente acies in prælia Gallo?
Idalias nisi forte rosas, laurum citharœdi
Vatis, sylvicolæ calamos arcumque puellæ
Dedere servitio, calcataque sacra domare
Difficilis operis fuit, immensique laboris.
Fluctibus Actiacis signum symphonia belli
Ægypto dederat, clangebat buccina contra.
Institerant tenues cumbæ fragilesque phaseli

sent protegere Trojam et Idam, Gallo ducente exercitum in hostes? Nisi forte velis fuisse opus difficile, et laborem durum, mittere in servitutem rosas Idalias, laurum Apollinis citharœdi, sagittas et arcum Dianæ venatricis, et vincere Deos jam devictos. Concentus dabat signum belli Ægyptiis in sinu Ambracio, tubæ autem accendebant Romanos: naves Ægyptiorum erant tenues cymbæ et fragiles

NOTÆ

Cybeleius hostis] Phryges scilicet, nam Cybele tota fuit Phrygia, et inde allata Romam. Adi sup. Perist. x. 155. 196.

521 *Asiam*] Vix credam de tertia orbis parte, quæ maxima a veteribus censebatur, hic loqui Prudentium; nec id mens poëtæ patitur; nam Cybele per totam Asiam non singulari dignabatur cultu et honore. Quare ad regionem Trojanam refero, quæ, ut scribit Suidas, prius Asia dicta fuit, ab Asio Philosopho.

Idam] Ida Phrygiæ mons, a quo Cybele Idæa appellatur. De Gallo sup. Perist. x. 197.

523 *Idalias*] Idalium urbs in Cypro insula, Veneri sacra. Virg. Æn. x. 51. 'Est Amathus, est celsa mihi Paphos, atque Cythera, Idaliæque domus.' Sunt et nummi ΙΔΑΛΕΩΝ, in quibus Veneris Idaliæ caput insculptum, aut stella Veneris, seu Luciferi, cum equo.

Rosas] In Pervigilio Veneris, vs. 22. 'Ipsa jussit mane ut udæ virgines nubant Rosæ: Facta Cypris de cruore, deque amoris osculis, Deque gemmis, deque flammis, deque solis purpuris.'

Laurum] Laurum Apollini dicatam nemini latet. Phædrus lepide in eam rem, Fab. lib. III. 'Olim quas vellent esse in tutela sua Divi legerunt arbores: quercus Jovi, Et myrtus Veneri placuit, Phœbo laurea,' &c.

Citharœdi] Hinc sæpe in nummis, præcipue Gallieni, Apollo sinistra citharam tenet basi innixam. Rationem autem affert Fulgent. Mythol. lib. I. 'Apollini novem deputant Musas, ipsumque decimum Musis adjiciunt: illa videlicet causa, quod humanæ vocis decem sint modulamina; unde et cum decachorda Apollo pingitur cithara.'

526 *Difficilis operis*] Alii, *difficilisque operis*.

527 *Actiacis*] Actium urbs est et promontorium Epiri, ad os sinus Ambracii contra Nicopolim, ubi maritimo prælio victus est Antonius, anno U. C. 724. 4. Non. Sept.

Symphonia] Symphoniaci enim et cantores apud Ægyptios maxime in usu. Unde Propert. Eleg. III. 9. 'Scilicet incesti meretrix regina Canopi .... ausa .... Romanamque tubam crepitanti pellere sistro.' De Ægypt. sup. de Cumba sup. De phaselo sup. De Memph. sup. Hamart. vs. 463.

Inter turritas Memphitica rostra Liburnas:
Nil potuit Serapis Deus, et latrator Anubis.
Stirpis Iuleæ ductore, exercitus ardens
Prævaluit, Boreæ quem miserat algidus axis.
Non armata Venus, non tunc clypeata Minerva

phaseli; naves vero Romanorum liburnæ turritæ. Hinc Deus Serapis, et Anubis depictus canino capite, non defenderunt Ægyptios; et milites inclyti, quos Octavianus ortus a stirpe Iuli deduxerat ex regione frigida, ipsos domuerunt. Tum nec Venus armata tulit auxilium, nec Minerva gerens scutum: tum Dii illi degeneres,

tor quidam.—533 *gelidum quem m. algidus* B. *gelido quem m. algidus*

NOTÆ

530 *Liburnas*] Turneb. Adv. xii. 14. verba Horatii perpendens, 'Ibis Liburnis inter alta navium, Amice, propugnacula,' hæc habet: 'Cum igitur Mæcenas classi Liburnarum præesset, utrumne inter aliarum navium, ut triremium et quadriremium, propugnacula et turres ibat in bellum, an inter alta suæ classis propugnacula et turritas moles? priorem sensum verba recipiunt:' ac de magnitudine navium Antonii loquuntur Dion lib. xlix. et Flor. iv. 11. 'Antonii naves, a senis in novenos remorum ordinibus, ad hoc turribus, atque tabulatis allevatæ, castellorum et urbium specie, non sine gemitu maris, et labore ventorum ferebantur:' posteriorem vero Prudentius agnoscit et Propert. Eleg. iii. 11. 'Ausa Jovi nostro latrantem opponere Anubin, Et Tiberim Nili cogere ferre minas, Romanamque tubam crepitanti pellere sistro, Baridos et contis rostra liburna sequi.'

531 *Serapis*] Deus Ægyptiorum, qui agriculturæ præerat. Unde a suis sacerdotibus per pagos ad stipem colligendam circumferebatur, ut messis uberrima proveniret ejus numine. Plaut. in Pænulo v. 5. 'Deglupta mæna, Serapis sementium,' &c. Is et Apis et Osiris dicitur. Martial. 'Isæum Serapin Nilus veneratur Osirin.' Vide sup. Apoth. vs. 196.

532 *Stirpis Iuleæ ductore*] Familia Julia originem referebat suam ad Iulum sive Ascanium, Æneæ filium ex Creüsa Priami filia. Virg. Æn. i. 290. 'Nascetur pulchra Trojanus origine Cæsar, Imperium Oceano, famam qui terminet astris, Julius, a magno demissum nomen Iulo.' De quo Cæsar ipse gloriatur in oratione quam habuit pro rostris in funere Juliæ. Huc respiciunt varia gentis Juliæ numismata, quæ Veneris caput in una parte, in altera Æneam, sublato humeris Anchise, manu Palladium gestantem, exhibent. In hanc porro familiam ascitus a Julio Cæsare avunculo fuerat Octavianus.

533 *Algidus axis*] Octaviani quidem milites, ex parte Italiæ Septemtrionali et gelidis regionibus, nempe ex Liguria, ex Alpibus, et Apennino monte deducti fuerant. Lucan. lib i. 'Jam gelidas Cæsar cursu superaverat Alpes.' Arabes, vero Sabæos, aliarumque calidissimarum regionum incolas, in Antoniana classe fuisse testatur Flor. iv. 11. 'Arabumque, et Sabæorum, et mille aliarum gentium Asiæ spolia, purpuram, aurumque in ripam assidue mota ventis maria revomebant.'

534 *Armata Venus*] Ἐνόπλιος Ἀφροδίτη, armata Venus, a Græcis olim

Venere auxilio: non Divum degener ordo,
Et patria extorris, Romanis affuit armis,
Victus et ipse prius, inimica nec agmina juvit;
Si tamen antiquum norat retinere dolorem.
  Sed dicis, legisse Deos, ubi sanctior usus
Templorum cultu celebri sine fine maneret;
Æneadumque ultro victricia signa virorum
Regis amore Numæ, nullo cogente, secutos.
  Num Diomedis item tentoria, et acris Ulyxi
Castra volens Pallas, cæsis custodibus arcis,
Legit, ubi humenti sudaret mœsta sigillo?
Aut quoties ductor Macetum fortissimus altos

et exules patriæ, ipsimet jam ante victi, nec affuerunt exercitibus Romanis, nec opitulati sunt cohortibus inimicis; modo tamen ii potuerint meminisse excidii præteriti. Sed ais, o Symmache, te legisse Deos amore regis Numæ; ultro ac sponte secutos fuisse vexilla victricia Romanorum oriundorum ab Ænea, et venisse Romam, ubi per omne ævum sanctior usus templorum et major cultus manerent. An etiam sponte Pallas venit in tentoria Diomedis, et castra subtilis Ulyssis, qui interfecerunt custodes arcis Trojanæ; sudor tamen ibi fluxit per simulacrum Deæ mœstæ? An quoties invictus Alexander, dux Macedonum, victis Amyclis, acerva-

axe Weitz. *gelido quam m. Alcidus axe* Ald.—535 *Vexere auxilium* Weitz.—536 *ex* P.—540 *celebris* F.—544 *custodibus, ultro* Weitz. Ro. 2. Bo. 2.—545 *ut*

NOTÆ

colebatur. In nummis ΚΥΘΗΡΑΙΩΝ apud Goltzium, Venus dextra sagittam, arcum læva tenet.

Clypeata Minerva] Virg. VIII. 435. ‘Ægidaque horrificam, turbatæ Palladis arma.’ Id vero tralatitium est. De Minerva sup. Perist. XIV. 27.

538 *Si norat retinere dolorem*] Tertull. Apol. cap. 25. ‘Sed qui nihil sentiunt, tam impune læduntur, quam frustra coluntur.’ De Numa et Sym. I. 193.

543 *Diomedis*] Diomedes, Tydei filius, fuit Argivorum dux Trojano bello.

Acris Ulyxi] Ulysses Ithacæ et Cephaleniæ insularum rex fuit, cujus dolis Trojana expeditio præcipue promota est.

544 *Cæsis custodibus arcis*] Id assumtum a Virg. Æn. II. 164. ‘Impius ex quo Tydides sed enim, scelerumque inventor Ulysses, Fatale aggressi sacrato avellere templo Palladium, cæsis summæ custodibus arcis, Corripuere sacram effigiem.’ Uterque sublapsi per cuniculos aut cloacas in urbem Trojam, statuam Palladis ex arce subripuerunt.

545 *Humenti sudaret mæsta sigillo*] ‘Nec dubiis ea signa dedit Tritonia monstris. Vix positum castris simulacrum; arsere coruscæ Luminibus flammæ arrectis, salsusque per artus Sudor iit.’ Virg. loc. cit.

546 *Ductor Macetum*] Alexander Magnus Macedo, qui Persarum imperium devicto Dario evertit, tum India ac tota prope Asia potitus est. Mortuus est anno ætatis 33. ante

Templorum cineres victis cumulavit Amyclis;
Optarunt prædis domini se numina capta
Misceri, Assyriæque vehi Babylonis ad arcem?
Non fero, Romanum nomen, sudataque bella,
Et titulos tanto quæsitos sanguine carpi.
Detrahit invictis legionibus, et sua Romæ
Præmia deminuit; qui, quicquid fortiter actum est,
Ascribit Veneri, palmam victoribus aufert.
Frustra igitur currus summo miramur in arcu

tim accumulavit cineres templorum; Dii devicti optarunt jungi spoliis captis ab Alexandro, et vehi ad arcem Babylonis Assyriæ? Non possum pati gloriam Romanorum, et bella elaborata, et honores partos tanto sanguine ita attenuari. Is, qui tribuit Veneri id omne quod fortiter gestum est, denegat præmia debita invictis legionibus, Romæque, et eripit palmam victoribus. Frustra ergo conspi-

Weitz.—547 *c. ab Indis* F. B. W. in marg.—548 *dominis* Eg.—549 *Assyriaque* F. *ab arce* B.—553 *diminuit* Weitz.—555 *Summa m. in arce* Weitz.—556 *Quadrijugo*

NOTÆ

Christum 324

Macetum] Macedonia, quæ Æmonia et Emathia dicta fuit, Græcia, mari Ionio, et Ægæo, Thraciaque circumscribitur.

547 *Amyclis*] Amyclæ, Laconiæ urbs Straboni, Eustathio, Pausaniæ, et aliis, olim appellata Limnæ, 20. stadiis a Lacedæmone, versus mare. Constat autem Prudentium agere de bello, quod Alexander Magnus cum Lacedæmoniis gessit.

549 *Vehi Babylonis ad arcem*] Nam Babylone, de qua sup. Alexander Magnus ex morbo quem ebrietate contraxerat, seu veneno, ut creditum est, obiit.

554 *Ascribit Veneri*] Templi Veneris Victricis a Pompeio dedicati meminit Plut. in ejus vita, Ἀφροδίτης νικηφόρου ἱερόν. Et Plin. VIII. 7. 'Pompeii quoque altero consulatu, dedicatione templi Veneris Victricis, pugnavere in Circo viginti aut, ut alii tradunt, octodecim elephantes.' Suas autem victorias postea Imperatores sæpius ascripsisse Veneri Victrici legimus apud veteres. Apud Augustinum in nummo Augusti, Venus victrix cum hasta, et galea, et clypeo adjacente: quia victoriam Actiacam maxime Neptuno, Veneri, et Minervæ ascripsit, teste D. August. Confess. VIII. 2. 'Sacrorum sacrilegorum particeps, quibus tunc tota fere Romana nobilitas inflata spirabat, populusque etiam omnigenum Deum monstra, et Anubem latratorem, quæ aliquando contra Neptunum et Venerem, contraque Minervam tela tenuerant, et a se victis jam Roma supplicabat.'

555 *Currus Quadrijugos*] Tarquinium Priscum Romæ primum triumphasse, currusque quadrijugos invenisse, scribunt Eutrop. Messala, et Flor. I. 5. 'Neque pace Tarquinius quam bello promtior. Duodecim namque Tusciæ populos frequentibus armis subegit. Inde fasces, trabeæ, curules, annuli, phaleræ, paludamenta, prætexta, inde, quod aureo curru quatuor equis triumphatur; togæ pictæ, tunicæque palmatæ, om-

Quadrijugos, stantesque duces in curribus altis
Fabricios, Curios, hinc Drusos, inde Camillos;
Sub pedibusque ducum captivos poplite flexo
Ad juga depressos, manibusque in terga retortis,

cimus currus quadrigarum collocatos in fastigio arcus, et duces Fabricios, Curios, Drusos, et Camillos vectos his excelsis curribus: frustra conspicimus captivos sub pedibus triumphatorum abire sub jugum flexo genu, et ligatis manibus post terga:

NOTÆ

nia denique decora et insignia, quibus imperii dignitas eminet.' Currus autem triumphantium, celsus erat ac rotundæ turris instar, ut scribit Zonaras, et ex nummis apparet.

556 *Stantes in curribus altis*] Juv. Sat. VIII. 1. 'Quid prodest, Pontice, longo Sanguine censeri, pictosque ostendere vultus Majorum, et stantes in curribus Æmilianos?'

557 *Fabricios*] C. Fabricius bis consul fuit, bis triumphavit: et primo quidem consulatu de Etruscis, anno Urb. cond. 472. Secundo de Samnitibus et Lucanis, anno 476.

Curios] M. Curius Dentatus ter consul fuit, terque triumphavit: primum de Samnitibus, deinde de Sabinis, denique de Lucanis et Pyrrho.

Drusos] De Druso Germanico hæc intelligenda sunt. Is intra penates Augusti Cæsaris natus est mense tertio post celebratas nuptias, ut jam diximus Sym. I. 254. inter Augustum et Liviam matrem. Qua fortitudine res gesserit, satis indicat Hor. Od. IV. 4. 'Videre Rhæti bella sub Alpibus Drusum gerentem, et Vindelici: quibus Mos unde deductus per omne Tempus Amazonia securi Dextras obarmet, quærere distuli: Nec scire fas est omnia. Sed diu Lateque victrices catervæ Consiliis juvenis revictæ.' Usipetes, Tenchteros, Bructeros, Sicambros, Cattos, Rhætos, Cheruscos, Suevos, Marcomannos, aliasque gentes subegit, atque ovans Urbem ingressus est. Denique cum contra ...manos feliciter pugnasset, ipsorumque opima spolia Urbi inferret, in itinere extinctus est anno ætatis 30. Urb. cond. 745. Ei vero Senatus inter alia complura marmoreum arcum cum tropæis via Appia decrevit, et Germanici cognomen, posterisque ejus. Hinc in ipsius nummis aut Rhenus cernitur, aut arcus triumphalis, cum figura equestri; hinc inde tropæum.

Drusos] Illud cognomen fuit illatum in familiam, ob Drusum, Gallorum ducem, trucidatum. Suet. Tiber. c. 3. 'Drusus, hostium duce Druso cominus trucidato, sibi posterisque suis cognomen invenit.'

Camillos] M. Furius Camillus, de Veiis, decenni obsidione victis, triumphavit anno Urb. cond. 357. ac conspectus est, curru equis albis juncto urbem invectus; quod in Camillo populus improbavit, ut Plut. est auctor. Id enim videbatur non solum excedere modum civis cum civibus comparati, sed hominis relati ad Deos; quia albæ quadrigæ Deorum regi sacræ habebantur, et Soli lucis patri. Tit. Liv. v. 23. 'Maxime conspectus ipse est, curru equis albis juncto urbem invectus: parumque id non civile modo, sed humanum etiam visum. Jovis, Solisque equis æquiparari dictatorem in religionem etiam trahebant: triumphusque ob eam unam maxime rem clarior quam gratior fuit.' Anno vero 363. Gallos, Roma capta, Capitolium obsidentes vicit.

559 *Ad juga depressos*] Sub jugo

Et suspensa gravi telorum fragmina trunco;
Si Brennum, Antiochum, Persen, Pyrrhum, Mithridatem,

frustra conspicimus arma lacera suspensa trunco onerato spoliis; si Flora, Aurora, Ceres, et Larentia vicerunt Brennum, Antiochum, Persen, Pyrrhum, et Mithridatem. His tamen auspicibus, o Symmache, secunda omina dederunt lætos

NOTÆ

victi transire cogebantur. Jugum autem e tribus hastis fiebat, humi fixis duabus, superque eas transversa una deligata.

560 *Telorum fragmina trunco*] Prima quidem tropæa ex arboribus confecta fuerunt, quas amputatis ramis hostium spoliis decoraverunt veteres. Adi Virg. Æn. II. 7.

561 *Brennum*] Ducem scilicet Gallorum, qui cum trecentis armatorum milibus in Italiam irrupit ann. Urb. cond. 362. Romanos apud Alliam fluvium profligavit, anno 363. 15. Kalend. Sextiles, sed paulo post victus est a Camillo. Ab hoc diversum fuisse Brennum, qui Græciam vastavit, templumque Delphicum spoliavit, contendit Cujacius pag. 524. not. 2. ubi et Brenni effigiem ex Iconum promtuario, Gallicum in morem armatam, exhibet.

Antiochum] Antiochus Syriæ rex, Seleuci frater, Callinici filius, qui ob res gestas, et recuperatam imperii partem haud modicam, Magni cognomen adeptus est, impulsus ab Hannibale, qui ad eum confugerat, Romanis intulit bellum anno Urb. cond. 562. Anno urbis 564. L. Cornelius Scipio consul, cum P. Cornelio Africano fratre legato profectus in Asiam, illum superavit. Ad quinquaginta millia peditum cæsa eo die Livius refert lib. XXXVII., equitum quatuor millia.

Persen] Philippi filius, rex Macedonum, qui bellum in Romanos gessit, quod quarto anno tam illius, quam totius Macedonici imperii clade ac servitute finitum est, anno Urb. cond. 586. ductus fuit in triumphum ab Æmilio, deinde Albam cum amicis missus, ubi Æmilii beneficio libera usus custodia, vel vigiliis vel inedia mortem sibi conscivit, ut narrat Plutarchus. Diversa tamen habet Diodorus. Adi T. Liv. lib. XLIV. et Plutarch. in Æmilio. Apud Patinum nummus L. Æmilii habet expressum Æmilii PAULLI de Perseo tropæum, ut colligitur ex eo, quod ascriptum sit in denario TER. Is enim ex Hispania et Liguribus bis jam triumphaverat.

Pyrrhum] Epiri rex Pyrrhus ex genere Achillis originem trahebat. Is anno Urb. cond. 474. in Italiam trajecto exercitu, cum Romanis bellum gessit, quod sex annos tenuit. Ter tamen tantum justo prælio cum Romanis dimicavit: primo, victor: altero, aut victus, aut victoria incerta fuit: tertio, plane devictus a Fabricio, et ex Italia pulsus est. 'Nullus pulchrior,' inquit Flor. I. 18. 'in urbem, aut speciosior triumphus intravit. Sed et nihil libentius populus Romanus aspexit, quam illas, quas timuerat, cum turribus suis belluas: quæ non sine sensu captivitatis, summissis cervicibus, victores equos sequebantur.'

Mithridatem] Rex Ponti fuit Mithridates, et a Persarum regibus originem traxit, ita ut Sextus decimus a Dario Hystaspis filio numeretur. Contra hunc Sulla consul anno 666. profectus Athenas cepit: Mithridatis ducibus victis ipsum ad pacis conditiones adegit. Paulo post tamen semel atque iterum recruduit bellum.

Flora, Matuta, Ceres et Larentina subegit.
His tamen auspicibus successus dextra dederunt
Omina lætificos, et felix affuit ales.
Quid sibi vult virtus, quid gloria, si Corvinum
Corvus Apollineus penna vel gutture juvit?
Sed tamen hic corvus cur defuit exitiali
Forte die, infaustas tegerent cum funera Cannas,

eventus, et affuit bona avis. Quod si corvus dicatus Apollini juvit Corvinum et alis et rostro, virtus nulla est, gloria nulla. Unde etiam corvus non tulit aliquid operis die illa funesta quæ sparsit Cannas infaustas cadaveribus Romanorum, et

Eg. P.—562 *Laurentina* Weitz.—564 *Omnia* quidam Mss. Weitzii.—570 *partha*

NOTÆ

Sed victus denique a Pompeio et anno 691. undique pulsus, desperatis domi rebus, fugam in Gallias meditans, Pharnacis filii et exercitus defectione territus, necem sibi conscivit.

562 *Flora*] Dea quæ præest floribus. Unde variis florum coronis nexa describitur Ov. Fast. lib. IV. 'Mille venit variis florum Dea nexa coronis.'

Matuta] Cic. Tusc. lib. I. 'Quid Ino, Cadmi filia? nonne Leucothea nominata a Græcis, Matuta habetur a nostris?' Matuta autem dicitur, vel a manus, i. e. bonus, ut scribit Festus, vel a tempore, cui præest, nempe a mane, quasi manula. De Cerere sup. Perist. x. 236.

Larentina] Uxor Faustuli, pastoris Amulii, Remi et Romuli nutrix, quæ honoribus est affecta divinis. Illius in honorem festa, Larentalia dicta, 10. Calend. Jan. celebrabantur.

565 *Corvinum*] Marcum Valerium, cui corvus Corvini nomen dedit. 'Divus Augustus ipsi statuam,' inquit Gell. IX. 12. 'in foro suo statuendam curavit. In ejus statuæ capite corvi simulacrum est, rei pugnæque monumentum.'

566 *Corvus Apollineus*] Cum Marcus Valerius adversus Gallum pugnaturus processisset, anno 404. post Romam conditam, corvus repente improvisus advolat, et super galeam insistit, atque inde in adversarii os atque oculos pugnare incipit. Insilibat, obturbabat, unguibus manum laniabat, et prospectum alis arcebat; atque, ubi satis sævierat, revolabat in galeam Valerii: qui spectante utroque exercitu, et sua virtute nisus, et opera alitis propugnatus, ducem hostium ferocissimum vicit interfecitque. Vide Liv. VII. 25.

Apollineus] Poëtæ fingunt corvum, quod pluviam prædicat et serenitatem, cum nunc clara voce, nunc rauca utatur, sacratum esse Apolllini.

568 *Infaustas Cannas*] Quia omnium atrocissima plaga Cannensis fuit, quæ anno Urb. cond. 538. accidit. In hac pugna cum quadraginta Romanorum millibus, octoginta Senatoribus, viris Consularibus, Prætoribus et Ædilitiis, et duobus millibus, et septingentis equitum Æmilius Paulus consul occubuit. Alter vero consul C. Terentius Varro effugit. Quod si Hannibal uti victoria scivis-

Oppeteretque super congesta cadavera consul?
Cur Cremeræ in campis cornice vel oscine parra,
Nemo Deum monuit perituros Marte sinistro
Tercentum Fabios, vix stirpe superstite in uno?
Nullane tristificis Tritonia noctua Carris

illuxit Consuli occumbenti mortem super acervos corporum? Unde nullus Deus monuit cornice, vel parra augure futuri trecentos Fabios perituros bello infausto in regione Cremeræ, ita ut unus tantum e familia superesset? An aliqua noctua con-

W. B. *parta* F.—571 *novit* P. Eg.—576 *libum* C. *lembum* A. *nimbum* F.—578 *dices*

NOTÆ

set, actum erat de Roma.

Cannas] Cannæ, Apuliæ oppidum juxta Aufidum amnem.

569 *Consul*] Æmilius Paulus, ut mox dixi. De Consule sup.

570 *Cremeræ*] Crèmera, amnis est Tusciæ, qui, ex Baccanensi lacu profluens, in Tiberim se effundit. Distat 5. milliario ab Urbe.

Cornice] Nam cornix omnis per se funesta est. 'Sinistra cava prædixit ab ilice cornix.' Virg. Ecl. I.

Oscine] Avium aliæ sunt oscines, aliæ alites: illæ ore, hæ alis auspicium faciunt. Plin. lib. X. 'Nunc de secundo ordine dicamus, qui in duas dividitur species, oscines, et alites: illarum generi cantus oris, his magnitudo differentiam dedit.'

Parra] Avis inauspicata. Horat. Od. III. 27. 'Impios parræ recinentis ómen Ducat.'

571 *Perituros Tercentum Fabios*] Bellum Romanos inter et Veientes initum, Fabii privatis viribus et armis persequendum depoposcerunt. Cum autem ad Cremeram castrametati essent, circumventi hostium insidiis eodem die trecenti sex periere anno Urb. cond. 276. Hanc Fabiorum cladem T. Liv. II. 50. Dionys. lib. IX. et Ov. Fast. lib. II. describunt. Dies hujus cladis inter atros ac nefastos relatus est.

572 *Tercentum Fabios*] Eutropius et Florus Prudentio consentiunt. Livius vero, Victor, Dionys. aliique omnes 306. periisse scribunt.

Fabios] Fabiæ gentis alii originem referunt ad Herculem, qui ex Evandri filia Fabium genuerit: alii nomen ab agrorum fossione deducunt, quasi primum Fodii, deinde Fabii dicti sint.

Vix superstite in uno] Omnes enim Fabii cæsi fuere, teste Livio loco citato, præter Quintum Fabium Vibulanum, Marci filium, impuberem Romæ relictum, qui unus gentis cladi superstes fuit, et nobilissimam hanc familiam restauravit.

573 *Tritonia*] Mela I. 7. paludem, Tritona, memorat, non longe a Syrti minore; 'unde et Minervæ cognomen inditum est,' inquit, 'ut incolæ arbitrantur, ibi genitæ.' Sic et Lucan. IX. 347. 'Torpentem Tritonos adit illæsa paludem. Hanc et Pallas amat: patrio quæ vertice nata Terrarum primam Libyen, nam proxima cœlo est, Ut probat ipse calor, tetigit.'

Noctua] Noctua, Palladis symbolum, uti nummi omnes præferunt. 'In hujus autem tutela noctuam volunt, quod sapientia etiam in tenebris proprium fulgorem possideat.' Fulgent. Mythol. lib. II.

Advolitans, præsto esse Deam prænuntia Crasso
Prodidit? aut Paphiam niveæ vexere columbæ,
Cujus inauratum tremeret gens Persica limbum?
Sed video, quæ te moveant exempla vetustæ
Virtutis: dicis domitum terraque marique
Orbem: res lætas et prospera quæque retexis:
Mille triumphorum memoras ex ordine pompas,
Ductaque per mediam spoliorum fercula Romam.

secrata Palladi venit Carras fatales, et prænuntia monuit Crassum præsto esse Palladem? An albæ columbæ vexerunt Venerem, ut Persæ terrerentur illius aureo limbo? Agnosco tandem quæ exempla antiquæ virtutis te moveant. Dicis universum mundum terra et mari victum fuisse a Romanis: percurris lætos successus, et omnes prosperitates Romanorum: refers ordine pompam plurimorum triumphorum, et gestamina spoliorum, quæ ducta fuerunt per mediam Romam. Visne, o Roma, a me

NOTÆ

Carris] Urbs Mesopotamiæ, sic dicta a Carra Syriæ flumine.

574 *Crasso*] Anno Urb. cond. 698. C. Cæsar cum Pompeio Crassoque ita pactus est, ut sibi provincia Gallia prorogaretur, Pompeius Hispaniam, Crassus Syriam sortiretur, Parthicumque bellum; ad quod iste profectus anno 699. miserrime cum majori exercitus parte periit. 'Dum Gallos per Cæsarem in Septemtrione debellat, interim ad Orientem grave vulnus a Parthis populus Romanus accepit. Adversis et Diis et hominibus, cupiditas Consulis Crassi, dum Parthico inhiat auro, undecim strage legionum, et ipsius capite multata est.' Hæc Flor. III. 11.

Præsto esse] Nam Perpenna consul, audita morte Crassi, in Asiam advolat; Aristonicum recenti exultantem victoria improviso bello adoritur, vincit, et capit.

575 *Paphiam*] Venerem: a Papho, urbe in insula Cypro, ubi insigniter colebatur. Plin. II. 97. 'Celebre fanum habet Veneris Paphos, in cujus quandam aram non impluit.' Apud Goltzium nummi ΠΑΦΙΩΝ aut Veneris caput et Cupidinis effigiem exhibent, aut Paphiæ Veneris fanum.

Columbæ] Poëtæ Veneris currum a columbis trahi finxerunt, teste Ov. Met. lib. XV. 'Perque leves auras junctis invecta columbis Littus adit Laurens.' Ob fœcunditatem autem ipsi erant sacræ columbæ. Virg. Æn. VI. 193. 'Tum maximus heros Maternas agnoscit aves.'

576 *Gens Persica*] Parthia, tempore Romanorum, dicta fuit totum Persarum imperium, quod Parthi eo potirentur.

Inauratum limbum] Ironice id dictum fuisse in statuam Veneris aureo limbo variegatam vult Giselinus, nec male. Fabric. vero legit *nimbum, qui splendor est circum divina corpora.* 'Unde,' ut Servius ait, 'nimbus cum numinibus semper est: et hoc modo nostri divi cum nimbo aurato pinguntur.'

581 *Spoliorum fercula*] Proprie pegmata, in quibus spolia ferebantur ad triumphi pompam, quam Plin. in paneg. Trajano dicto graphice describit. 'Videor jam cernere non spoliis provinciarum, et extorto sociis auro, sed hostilibus armis, captorumque regum catenis triumphum gra-

Vis dicam, quæ causa tuos, Romane, labores
In tantum extulerit? quis gloria fotibus aucta
Sic cluat, impositis ut mundum frænet habenis?
Discordes linguis populos, et dissona cultu
Regna volens sociare Deus, subjungier uni
Imperio, quicquid tractabile moribus esset,
Concordique jugo retinacula mollia ferre
Constituit, quo corda hominum conjuncta teneret
Religionis amor: nec enim fit copula Christo
Digna, nisi implicitas societ mens unica gentes.
Sola Deum novit concordia, sola benignum
Rite colit tranquilla Patrem: placidissimus illum
Fœderis humani consensus prosperat orbi,
Seditione fugat, sævis exasperat armis:
Munere pacis alit, retinet pietate quieta.
Omnibus in terris, quas distinet occidualis
Oceanus, roseoque aurora illuminat ortu,

accipere, quæ causa extulerit tam alte tuos labores? quibus auxiliis tuta tua gloria splendeat, ita ut regas orbem terrarum legibus impositis? Deus optans conjungere populos discordes loquela, et regna dissona religione, decrevit subjicere uni imperio omnes gentes tractabiles moribus, et congregare iisdem legibus, ut amor ejusdem religionis conglutinaret animos omnium hominum. Et sane non fit societas digna Deo, nisi gentes conjunctæ inter se idem sentiant. Uni concordes noverunt Deum; uni pacifici recte adorant Deum mansuetum. Tranquillus consensus societatis humanæ efficit Deum prosperum hominibus. Discordia abalienat eum, et bella crudelia irritant; munus vero pacis illi placet, et pietas pacifica invitat. Tetra discordia armaverat in mutua vulnera feros homines, et turbaverat omnes populos regionum, quas aquæ occiduæ alluunt, et Aurora illuminat ortu purpureo.

Weitz.—583 *fortibus* Vulg. *fontibus* Rittershus. in marg.—584 *Quis valet* B. W. *cluat* superscr.—594 *Seminis* W. superscr. *orbem* Eg. P.—597 *continet* Weitz.—

NOTÆ

vem. Videor ingentia ducum nomina, nec indecora nominibus corpora noscitare. Videor intueri immanibus massis barbarorum onusta fercula, et sua quemque facta vinctis manibus sequentem; mox ipsum te sublimem instantemque curru domitarum gentium tergo, ante currum autem clypeos, quos ipse perfoderis.' De verbo, cluo: sup. Psych. vs. 2.

590 *Nec enim fit copula Christo Digna, nisi, &c.*] Eodem modo Psychom. vs. 773. 'Nil placitum sine pace Deo.' Et sane idem velle, et idem nolle, ea est vera caritas. De roseo ortu sup. Apoth. vs. 425. et de Bellona sup. Psych. vs. 236.

Miscebat Bellona furens mortalia cuncta,
Armaratque feras in vulnera mutua dextras.
Hanc frænaturus rabiem Deus, undique gentes
Inclinare caput docuit, sub legibus isdem,
Romanosque omnes fieri, quos Rhenus et Ister,
Quos Tagus aurifluus, quos magnus inundat Hiberus,
Corniger Hesperidum quos interlabitur, et quos
Gangis alit, tepidique lavant septem ostia Nili.
Jus fecit commune pares, et nomine eodem
Nexuit, et domitos fraterna in vincla redegit.
Vivitur omnigenis in partibus, haud secus ac si
Cives congenitos concludat mœnibus unis
Urbs patria, atque omnes lare conciliemur avito.

Deus, ut comprimeret hunc furorem, docuit cunctas nationes accipere easdem leges, et populos, quos Rhenus et Danubius, et Tagus aurifluus, et magnus Iberus alluunt, quos Tiberis, rex aquarum Italicarum, irrigat, quos Ganges alit, quos Nilus septemgeminus lavat, fieri Romanos. Leges eadem fecerunt pares; et idem nomen conjunxit; et vincula communia imposita fuere ipsis devictis. In variis regionibus non aliter nunc vivitur, ac si Roma concluderet parens omnium suis muris cives simul genitos, et omnes habitarent in eadem domo paterna. Provinciæ dis-

600 *Armabatque* Weitz.—605 *et quas* W.—606 *Ganges* Weitz. *hostia* Weitz.—611

NOTÆ

603 *Rhenus*] Fluvius Europæ post Danubium celeberrimus, qui oritur ex Alpibus, in parte Occidentali Rhœtiæ, et prope Schenkiam arcem in duo brachia scinditur; quorum alterum Vahalis, alterum Rheni servat nomen.

Ister] Alias Danubius, Europæ fluviorum maximus in Alpibus oritur, et in Pontum Euxinum pluribus ostiis effunditur.

604 *Tagus*] Fluvius Hispaniæ celeberrimus, qui ortus in Castella nova Ulyssiponem præterlabitur, et occiduo miscetur Oceano.

Aurifluus] Quod aureas trahat arenas. De Ibero sup.

605 *Corniger*] Fluvius enim flexuosos dividitur in alveos, qui vocantur cornua.

Corniger Hesperidum] Tibris scilicet, qui ob magnitudinem Romæ, quam præterfluit, a Virg. vocatur VIII. 77. 'Corniger Hesperidum fluvius regnator aquarum.' De Hesperia, Italia, Perist. XIII. 104.

606 *Gangis*] Ganges, Asiæ celeberrimus fluvius, ex Imao Ptolemæi oritur, et in meridiem versus fluens exit in Oceanum Indicum.

Septem ostia Nili] De Nilo, Ægypti fluvio, ejusque septem ostiis, sup. Psych. vs. 655. Virg. Æn. VI. 800. 'Et septemgemini turbant trepida ostia Nili.'

611 *Lare avito*] Pro domo ipsa illud nomen poni certum est. Ov. Fast. I. 'Omnis habet geminas hinc

Distantes regione plagæ, divisaque ponto
Littora, conveniunt nunc per vadimonia ad unum
Et commune forum, nunc per commercia et artes
Ad cœtum celebrem, nunc per genialia fulcra
Externi ad jus connubii: nam sanguine mixto
Texitur alternis ex gentibus una propago.
Hoc actum est tantis successibus atque triumphis
Romani imperii: Christo jam tunc venienti,
Crede, parata via est, quam dudum publica nostræ
Pacis amicitia struxit moderamine Romæ.
Nam locus esse Deo quis posset in orbe feroci,
Pectoribusque hominum discordibus, et sua jura
Dissimili ratione tuentibus, ut fuit olim?
Sic incompositos humano in pectore sensus,
Disjunctasque animi turbato fœdere partes,
Nec liquida invisit sapientia, nec Deus intrat.
At si mentis apex, regnandi jure potitus,
Pugnacis stomachi pulsus fibrasque rebelles
Frænet, et omne jecur ratione coërceat una;
Fit stabilis vitæ status, et sententia certa

junctæ intervallo, et littora divisa mari nunc vocant se in jus atque adeunt eosdem et communes judices; nunc petunt nundinas celebres ut mercentur et vendant manufacta; nunc nubunt in familiam externam, et conciliant jugales toros; nam mixto sanguine unum genus fit ex aliis gentibus. Hæc omnia attulerunt tot victoriæ ac triumphi imperii Romani. Crede mihi, o Roma, illa via, quam dudum generalis amor arctæ societatis fecit sub imperio Romanorum, parata est Christo jam tandem nato. Quis enim locus possit esse Deo in orbe barbaro, et sub ducibus discordibus, et varia ratione defendentibus sua jura; ut accidit primis temporibus? Nec pura sapientia, nec Deus intrant corda hominum quorum motus perturbati sunt, et animas quæ rupto fœdere trahuntur variis affectionibus. Quod si pars superior animæ exercens suum dominium coërcet motus et cupiditates rebelles carnis molestæ, et reprimat una ratione omnes appetitus concupiscentiæ; fit status vitæ

concilientur G.—628 *Ut* Eg.—653 *præfetur* C.—667 *sceleraret* P. *in funere* A.

NOTÆ

atque hinc janua frontes: E quibus hæc populum spectat, at illa larem.' Adi sup.

613 *Vadimonia*] Vadimonium a vade ductum est, ut mercimonium a merce: et eo nomine proprie censetur obligatio sistendi se judicio. De foro sup. Perist. xi. 45. De geniali lecto sup.

Haurit corde Deum, domino et subjungitur uni.
  En ades, Omnipotens, concordibus influe terris:
Jam mundus te, Christe, capit, quem congrege nexu
Pax et Roma tenent: capita hæc et culmina rerum
Esse jubes, nec Roma tibi sine pace probatur.
Et, pax ut placeat, facit excellentia Romæ,
Quæ motus varios simul et ditione coërcet,
Et terrore premit: nec enim spoliata prioris
Robore virtutis senuit, nec sæcula sensit,
Nec tremulis, cum bella vocant, capit arma lacertis:
Nec tam degeneri venerandis supplicat ore
Principibus, quam vult prænobilis ille senator,
Orandi arte potens, et callida fingere doctus,
Mentitumque gravis personæ inducere pondus:
Ut tragicus cantor ligno tegit ora cavato,
Grande aliquod cujus per hiatum crimen anhelet.
  Si vocem simulare licet, nempe aptior ista

quietus, et consensus sententiarum attrahit Deum in cor, quod tunc obedit uni Domino. O magne Deus, jam venisti, largiaris velim tuas gratias hominibus concordibus: o Christe, homines, quos pax et imperium Romanum consociant vinculis concordiæ, jam te possident. Ipsemet jubes hunc principatum, et apicem magnitudinis esse penes Romam. Roma non tibi placet sine pace; et magnitudo Romæ, quæ simul et coërcet potestate et reprimit metu varios motus, causa est cur pax placeat. Ea enim nec consenuit viribus spoliata antiquæ virtutis, nec defecit ætate, nec, cum bellum gerendum est, sumit arma manibus debilibus, nec implorat Imperatores venerandos ore tam vili, quam asserit Symmachus, Senator illustris, clarus arte oratoria, peritus excogitare astutas fallacias et induere mentitam severitatem serii hominis; more actoris comediæ, qui tegit vultum schemate cavato, ut per hiatum illius libere promat magnum aliquod scelus. Quod si fas est introducere

NOTÆ

646 *Cantor*] Histrio, vel actor fabulæ: Hor. de Arte Poët. 'Donec cantor, vos plaudite, dicat.'

Tegit ora] Æschylus, teste Hor. loc. cit. primus introduxit personas, i. e. vultus fictos et simulatos, quibus vera histrionum facies tegebatur. 'Post hunc personæ pallæque repertor honestæ Æschylus, et modicis instravit pulpita tignis.'

647 *Crimen anhelet*] Tanta enim fuit dicendi libertas, ut modum superaverit, et in maledicentiam non ferendam eruperit: 'Donec jam sævus apertam In rabiem verti cœpit jocus, et per honestas Ire domos impune minax: doluere cruento Dente lacessiti.' Hor. vero de Arte Poët. 'Sed in vitium libertas excidit, et vim Dignam lege regi: lex est accepta, chorusque Turpiter obticuit, sublato jure nocendi.'

648 *Nempe aptior ista Vox Romæ est*] Ambros. contra Sym. lib. II. eadem fere habet: 'Facessat igitur invidiosa illa populi Romani querela.

Vox Romæ est, quam nunc ejus sub nomine promam.
Quæ, quia turpe putat templorum flere repulsam,
Ægidaque in dubiis pro se pugnasse periclis
Dicere, seque gravem senio inclinante fateri,
Ductores complexa suos, sic læta profatur:
  O clari salvete Duces, generosa propago
Principis invicti, sub quo senium omne renascens
Deposui, vidique meam flavescere rursus
Canitiem: nam cum mortalia cuncta vetustas
Imminuat, mihi longa dies aliud parit ævum,
Quæ, vivendo diu, didici contemnere finem.
Nunc, nunc justa meis reverentia competit annis:
Nunc merito dicor venerabilis, et caput orbis,
Cum galeam sub fronde oleæ, cristasque rubentes
Concutio, viridi velans fera cingula serto;
Atque armata Deum sine crimine cædis adoro.
Crimen enim, piget heu, crimen persuaserat atrox
Jupiter, ut sacro justorum sanguine tincta,
Assuetum bellis scelerarem funere ferrum.
Illius instinctu primus Nero, matre peremta,

Romam loquentem: nam verba, quæ nunc loquar illius nomine, fortiora sunt. Quia vero putat indecorum esse lugere templa idolorum ademta, dicere Palladem pugnasse in dubiis periculis pro ipsius salute, et fateri ipsam deficere senectute proxima, ea complectitur suos imperatores, et læta hæc loquitur: Salvete, o inclyti imperatores, et illustres filii Theodosii invicti, sub quo juvenescens deposui omnem senectutem, et vidi meas vires iterum vigere: nam, licet vetustas corrumpat res omnes creatas, anni tamen mihi pepererunt aliam senectutem, siquidem, diu vivendo, didici non timere mortem. Nunc tandem justa reverentia convenit meæ ætati: nunc jure dicor veneranda et domina mundi, cum cingo corona oleagina galeam, et cristas rubentes; cum velo arma feralia floribus pacificis, et armata sine effusione sanguinis colo Deum. Nam, eheu piget, Jupiter duxerat ad nefandum scelus, persuaserat ut inquinata sacro sanguine martyrum macularem mortibus ferrum assuetum bello. Hujusce Jovis suadela Nero, qui interfecerat suam matrem, primus

NOTÆ

Non hanc Roma mandavit. Aliis illa eos interpellat vocibus.' De Ægide sup. Perist. x. 275.

654 *Duces*] Arcadium intellige et Honorium.

655 *Principis invicti*] Theodosii. Adi Sym. I. not. 1. De cristis sup. Psych. vs. 117.

666 *Justorum sanguine tincta*] Ambros. loc. cit. 'Quid me casso quotidie gregis innoxii sanguine cruentatis? ..... Odi ritus Neronum .... Pœnitet lapsus, et vetusta canities pudendi sanguinis traxit ruborem.' De Nerone sup.

668 *Primus*] Cum enim Petri et Pauli studio Romæ Christiana fides adolesceret, primus eam insectatus

Sanguinem Apostolicum bibit, ac me strage piorum
Polluit, et proprium facinus mihi sævus inussit.
Post hunc et Decius, jugulis bacchatus apertis,
Insanam pavit rabiem: mox et sitis arsit
Multorum similis, per vulnera tristia flagrans,
Extrahere insignes animas, ac ludere pœnis,
Undantesque meum in gremium defundere mortes;
Et sub jure fori non noxia colla secare.
Hac me labe ream modo tempora vestra piarunt.
Vivo pie vobis auctoribus, impia pridem
Arte Jovis, fateor: quid enim non ille cruentum
Tradidit? aut quid mite sibi, placidumve poposcit?
Qui, dum præmetuit cultus inolescere Christi,
Sæviit, ac miserum fœdavit sanguine sæclum.

sitivit sanguinem Petri et Pauli, et me polluit internecione Christianorum, et sævus transtulit in me suum crimen. Decius imitatus est Neronem, et bacchatus in cæsa capita sedavit rabiem indomitam. Mox multi alii arserunt eadem siti sanguinis, et optaverunt dedere morti diræ animas generosas, se oblectare suppliciis Christianorum, perfundere meum gremium mortibus cruentis, et lege publica percutere capita innocua. Sub vestro regno expio hæc crimina, quibus maculata eram. Jam, vestra ope vivo sancte, licet olim, ut fateor, impia fuerim suasione Jovis. Nam quid cruentum ille non me docuit? aut quid sibi poposcit lene et mansuetum? Is, dum timuit ne cultus Christi cresceret, sæviit, et inquinavit cædibus hæc calami-

—671 *hæc* A.—674 *Et trahere* Eg.—675 *diffundere* Vulg. B. W.—678 *aucta*

NOTÆ

est Nero. Vide Perist. Hymn. 12.

670 *Proprium facinus mihi inussit*] Quia Nero, cum Urbi subjecisset ignes anno 64. falso sceleris hujus in Christianos derivavit invidiam. Ideo comprehensi plerique a Romanis, et horrendis affecti suppliciis.

671 *Post hunc*] Septimam tamen Decius, uti vulgo computant, tantum instituit persecutionem; sed nulla fuit tam crudelis et sæva, tam Neronianæ persecutioni similis. Hinc sæpe Christiani populi carnificina dicitur.

Decius] Ex inferiore ortus erat Pannonia: imperavit menses 30. et contra Barbaros pugnans, in promiscua turba paludis haustus gurgite periit, anno 251. Vide Victor. Zosim. atque Eutrop.

672 *Insanam pavit rabiem*] Modo Eusebio credamus, 'quoniam Philippo, cui successit, erat infensus, quod Christianus esset, persecutionem adversus Ecclesiam excitavit:' quæ Origenis infidelitate clara fuit.

Sitis arsit Multorum similis] Eandem enim carnificinam, qui Decio successere, persecuti sunt Gallus, Volusianus, Valerianus, Gallienus, et Diocletianus.

674 *Ludere pœnis*] Et sane nonnulli sebo, adipe, ac pice obliti, facium instar, in usum nocturni luminis arserunt.

682 *Sæviit*] Innumerabiles enim per tria sæcula pro Christi fide va-

Et sunt, qui nobis bella exprobrare sinistra
Non dubitent, postquam templorum sprevimus aras;
Affirmentque Libyn Collinæ a cardine portæ
Hannibalem Jovis imperio Martisque repulsum;
Victores Senonas Capitoli ex arce fugatos,
Cum super e celso pugnarent numina saxo.
Qui mihi præteritam cladem, veteresque dolores
Inculcant iterum, videant me tempore vestro
Jam nil tale pati: nullus mea barbarus hostis

tesa tempora. Nonnulli tamen non dubitant nobis objicere bella infausta, statim atque contempsimus aras Deorum; et asserunt Hannibalem Africanum repulsum fuisse imperio Jovis et Martis a locis circumjectis portæ Collinæ, et Senones victores fugatos fuisse ex arce Capitolina, quod Dii dimicarent ex alto monte? Ii, qui mihi iterum objiciunt priscas clades, et antiquos dolores, videant me, sub vestro regno, jam non accipere tales clades. Nullus hostis barbarus concutit hastis meas

mihi P. Eg.—683 *vobis* A.—688 *excelso* Vulg.—699 *prostraverat* Weitz. B.

NOTÆ

rio cruciatuum genere consumti sunt.

685 *Libyn*] Libys, Libyos, cujus fœmininum est Libyssa. De Libya Perist. XIII. 4.

Collinæ] Una ex Romæ portis, quæ ducit ad Campum sceleratum. Varro scribit hanc ita dictam fuisse a varietate collium quos habet Quirinalis, huic portæ proximus. Unde et Quirinalis vocatur, et Agonensis. Juv. Sat. VI. 'Proximus urbi Annibal, et stantes collina in turre mariti.'

686 *Hannibalem*] Hannibal Hamilcaris filius: Cannensi victoria celebris, quem novem annos natum secum duxerat in Hispaniam missus Hamilcar; cum prius eum ad aram adductum jurare jussisset, nunquam se in amicitia cum Romanis fore. Campaniæ deliciis fractus, ad Nolam a Marcello superatus, tandem in Africa cæsus fuit et fugatus, cum multis Pœnorum millibus, obsidente Carthaginem Scipione Africano. Adi not. vs. 578. hujusce libri.

Jovis imperio] Argumentum D. Ambrosii ex Hannibale desumtum præterire nequeo. 'Ergo Hannibal,' inquit, 'diu sacris insultavit Romanis, et Diis contra se dimicantibus usque ad muros urbis vincendo pervenit. Cur se obsideri passi sunt, pro quibus Deorum suorum arma pugnabant . . . Deinde vero. Sed etiam Hannibal eosdem Deos colebat; utrum volunt, eligant. Si in Romanis vicerunt sacra; in Carthaginensibus ergo superata sunt: si in Carthaginensibus triumphata; nec Romanis utique profuerunt.'

Repulsum] Bellum Punicum secundum anno Urb. cond. 536. initium habuit, exitum vero anno 552.

687 *Victores Senonas*] Fuse id tractavimus vs. 561. De Capitol. sup.

688 *Pugnarent numina*] Unde Roma apud Ambros. 'Aliis ego disciplinis orbem subegi. Militabat Camillus, qui sublata Capitolio signa, cæsis Tarpeiæ rupis triumphatoribus reportavit: stravit virtus, quos religio

Cuspide claustra quatit: non armis, veste, comisque
Ignotus, capta passim vagus errat in urbe,
Transalpina meam rapiens in vincula pubem.
Tentavit Geticus nuper delere tyrannus
Italiam, patrio veniens juratus ab Istro,
Has arces æquare solo, tecta aurea flammis
Solvere, mastrucis proceres vestire togatos;
Jamque ruens, Venetos turmis protriverat agros,
Et Ligurum vastarat opes, et amœna profundi
Rura Padi, Tuscumque solum victo amne premebat.
Depulit hos nimbos equitum non pervigil anser,

fores: nullus ignotus armis, vestimentis, et capillamento, errat passim vagus in urbe capta, nec trans Alpes duxit captivos meos juvenes. Tyrannus Alaricus nuper conatus est depopulari Italiam; veniens juraverat per Danubium patrium diruere meas arces, delere flamma ædes magnificas, et dare mastrucas Senatoribus Romanis; ruens jam conculcarat agros Venetos, et vastarat exercitu bona Ligurum, campoque amœnos quos alluit Padus profundus, et Tiberi superato diripiebat Tusciam. Anser pervigil, et per noctem obscuram monitor occulti periculi, non non removit.'

NOTÆ

692 *Claustra*] Virg. Æn. vii. 185. 'Et portarum ingentia claustra.' Juv. Sat. viii. 261. 'Prodita laxabant portarum claustra tyrannis.' De Alpibus sup.

695 *Geticus tyrannus*] Alaricus scilicet, rex Gothorum, qui cum Athaulpho fratre Romam obsedit, obtinuitque anno Christi 410. Quo ex loco colligimus aut Prudentium ante hoc tempus a vita discessisse, aut saltem id cecinisse.

Geticus] Nam Getæ dicebantur tum, qui postea Gothi. Spartian. in Caracall. 'Helvius Pertinax filius Pertinacis dicitur joco dixisse: adde si placet etiam Geticus Maximus, quod Getam occiderat fratrem, et Gotti Getæ dicerentur.'

696 *Patrio veniens juratus ab Istro*] More Barbarorum, quibus per patria flumina jurare solenne. Claudian. de Alarico idem habet Carm. xxvi. 80. 'Qui, cuncta sibi cessura ruenti Pollicitus, patrii numen juraverat Istri, Nonnisi calcatis loricam ponere rostris.' De Istro not. vs. 603. hujus libri.

698 *Mastrucis*] 'Mastruca,' teste Isidoro, 'vestis est Germanica ex pellibus ferarum.' Populos autem Septemtrionales ob cœli inclementiam usos fuisse pellibus consutis scribunt Justin. lib. ii. Sen. xiv. 91. et Claudian. Carm. viii. 466. 'Plaustra cruore natant: metitur pellita juventus.' et Carm. xxvi. 481. 'Crinigeri sedere patres, pellita Getarum Curia.'

699 *Venetos agros*] Veneti sunt maris Adriatici accolæ. Eos a Trojanis per Antenorem ducere originem scribunt Plinius, Livius, Virgilius.

700 *Ligurum*] Ligures a Macra fluvio ad Alpes habitabant.

701 *Padi*] Padus, nobilissimus Italiæ fluvius, ex Vesulo monte in Alpibus Cottiis exoritur, et in mare Adriaticum multis ostiis influit. De Tuscis sup. Sym. i. 57.

702 *Nimbos equitum*] Claudianus

Proditor occulti tenebrosa nocte pericli:
Sed vis cruda virum, perfractaque congredientum
Pectora, nec trepidans animus succumbere leto
Pro patria, et pulchram per vulnera quærere laudem.
Numquid et ille dies Jove contulit auspice tantum
Virtutis pretium? Dux agminis imperiique
Christipotens nobis juvenis fuit, et comes ejus
Atque parens Stilicho: Deus unus Christus utrique.

fugavit hanc multitudinem militum: sed virtus aspera virorum, et animus invictus pugnantium, et corda non metuentia mori pro patria, et petere per vulnera gloriam illustrem. Numquid ille dies attulit etiam, Jove auspice, tantum pretium virtutis? Honorius Christianus, adhuc juvenis, dux exercitus et imperii mihi affuit, necnon Stilicho ejus socius, et socer; Christus vero unus Deus affuit utrique. Nam

W.—704 *præfractaque* F. G.—712 *draconis* Weitz—722 *renitenti* A. F.—723

NOTÆ

Carm. XXI. 353. 'Non equitum Latiis nimbos obsistere pilis.'

Non pervigil anser] Alludit ad anserem, cujus clangore excitatus Manlius Gallos nocte subeuntes a Capitolio dejecit. Virg. Æn. VIII. 655. 'Atque hic auratis volitans argenteus anser Porticibus, Gallos in limine adesse canebat, Galli per dumos aderant, arcemque tenebant Defensi tenebris et dono noctis opacæ.' Ovid. Met. II. 538. 'Nec servaturis vigili Capitolia voce Cederet anseribus.'

705 *Succumbere leto Pro patria*] 'Pietatis patriæ majestati,' inquit Val. Max. V. 6. 'etiam illa, quæ Deorum numinibus æquatur, auctoritas parentum vires suas subjecit: fraterna quoque caritas æquo animo ac libenti cedit, summa quidem cum ratione. Quia eversa domo, intentatus Reipublicæ status manere potest: urbis ruina, penates omnes trahat secum necesse est.'

706 *Per vulnera quærere laudem*] Tale illud Virg. 'Pulchramque petunt per vulnera mortem.'

708 *Dux agminis imperiique Christipotens nobis juvenis fuit*] Prudentio astipulatur Claudian. Carm. XXVIII. 437. 'Sed ab omnibus unum, Si fama necdum patuit, te, Roma, docebo, Subjectum nostris oculis, et cujus agendi Spectator, vel causa fui.' At nullis unquam ipsum bellis interfuisse, sed ea per legatos gessisse, certum est atque indubitatum. Adde quod Honorius Ravennæ degens tribus milliaribus distaret a Stilichone hæc gerente.

709 *Comes*] Summa enim tum erat in Republica principum duorum dignitas et potentia; Ruffini in Oriente, in Occidente Stilichonis; quem Theodosius morti proximus liberis suis tutorem constituerat.

710 *Parens*] Quia Stilicho Serenam, Theodosii fratre genitam, habebat in matrimonio, et ex ea susceptas filias duas, Mariam primo, tum ea mortua, Thermantiam Honorio collocaverat.

Stilicho] Genere Vandalus, mire laudatus a Claudiano, dux sane præstantissimus, Radagaisum, qui cum quadringentis millibus totam inunda-

Hujus adoratis altaribus, et cruce fronti
Inscripta, cecinere tubæ: prima hasta dracones
Præcurrit, quæ Christi apicem sublimior effert.
Illic, ter denis gens exitiabilis annis
Pannoniæ, pœnas tandem deleta pependit.
Corpora famosis olim ditata rapinis
In cumulos congesta jacent: mirabere seris,
Posteritas, sæclis inhumata cadavera late,

tubæ cecinerunt, postquam altaria Christi adorata fuerunt, et signum crucis inscriptum fuit fronti. Prima hasta, quæ sublimior effert nomen Christi, anteibat alia vexilla. Gens autem illa Pannoniæ exitiabilis per triginta annos, tandem illic profligata dedit pœnas; ac milites olim locupletati famosis rapinis nunc jacent congesti acervatim. Posteri seris sæculis admirabuntur late sepulta corpora, quæ

NOTÆ

verat Italiam, mira felicitate Fesulanis inclusam montibus internecione delevit, anno 405. duce ipso capto et occiso. At, cum post Theodosii obitum imperium ad sese transferre, et Eucherium filium suum gentilem, et Christianis inimicum, Imperatorem appellare vellet, Honorii jussu interfectus est. Unde Orosius scribit, 'fuisse Vandalorum imbellis, avaræ, perfidæ, et dolosæ gentis genere editum, parvique pendentem, quod sub Imperatore imperabat.'

Deus unus, &c.] Unde Baronius: 'Qui Christi nomine invictus erat exercitus Romanorum, præposito ei postmodum duce ethnico, Saule dicto, idem turpiter est paulo post superatus,' quod ipso Paschæ die, inconsiderate barbaros aggressus fuisset. De Draconibus sup.

714 *Ter denis annis*] Getas tamen anno tantum 395. vocatos fuisse a Ruffino affirmat Claudian. in Ruff. I. 308. 'Jam gentes Istrumque movet, Scythiamque receptat Auxilio, traditque suas hostilibus armis Reliquias.' Et paulo post: 'Tunc impius ille Proditor imperii conjuratusque Getarum.'

715 *Gens Pannoniæ*] Pannonia regio fuit Europæ maxima, inter Danubium ad Septemtrionem et Ortum, Noricum ad Occasum, et Illyricum ad meridiem. Sub Imperatoribus Romanis Arcadio, Honorio, et sequentibus, pluribus vocabulis distincta fuit. Prudentius autem hic loquitur de Pannonia Sirmiensi, quam Gothorum sedem nominat Cassiodorus lib. III. Variarum, ad Colosseum.

716 *Famosis olim ditata rapinis*] Omnes ad unum Scriptores cladem Europæ a Gothis illatam describunt. Zosim. lib. v. Oros. VII. 39. Eunap. in Maxim. Sozom. VIII. 1. Hieron. Epist. 3. et 30. præcipue vero Claudian. Ruffin. II. 30. 'Invadunt Orientis opes: jam pascua fumant Cappadocum, volucrumque parens Argæus equorum: Jam rubet altus Halys; nec se defendit iniquo Monte Cilix. Syriæ tractus vastantur amœni; Assuetumque choris, et læta plebe canorum Proterit imbellem sonipes hostilis Orontem. Hinc planctus Asiæ: Geticis Europa catervis Ludibrio prædæque datur, frondentis adusque Dalmatiæ fines: omnis qua mobile ponti Æquor, et Adriacus tellus interjacet undas, Squalet inops pecudum, nullis habitata colonis, Instar anhelantis Libyæ.'

Quæ Pollentinos texerunt ossibus agros.
Si potui manibus Gallorum excisa levare
De cinerum squalore caput, redeunte Camillo
Signa renidenti fumans si fronte recepi;
Si potui miseras sertis redimire ruinas,
Et male pendentes lauro præcingere turres;
Quo te suscipiam gremio, fortissime princeps?
Quos spargam flores? quibus insertabo coronis
Atria? quæ festis suspendam pallia portis,
Immunis tanti belli, ac te stante sub àrmis

texerunt ossibus agros Italos. Si ego diruta manibus Senonum potui me efferre ex squalore cinerum; si adhuc fumans resumsi vultu hilari vexilla, Camillo redeunte; si potui ornare floribus miseras parietinas, et cingere lauro turres ruinosas; o Imperator fortissime, quo te sinu complectar? quos flores spargam? quibus coronis ornabo ædes? quas votas vestes immunis tanti belli, et libera, te stante in armis, et

misera Eg.—724 *lauru* T.—729 *Alpe tenus* G. Eg. W. superscr.—730 *repertis*

NOTÆ

719 *Pollentinos texerunt ossibus agros*] Mirum est quod hac in re Zozim. Oros. Sozom. aliique Scriptores varias in partes iverint. Ii perfidiæ et ambitionis Stilichonem arguunt: illi laudibus extollunt: ut ut est, ad urbem Pollentiam in Liguria Italiæ Alaricum Stilicho debellavit, fugavitque. 'Jam Pollentini tenuatus funere campi, Concessaque sibi, rerum sic admonet usus, Luce, tot amissis sociis, atque omnibus una Direptis opibus, Latio discedere jussus Hostis, et immensi revolutus culmine fati, Turpe retexit iter.' De Camillo sup. vs. 561. huj. lib.

723 *Sertis redimire ruinas*] Veteres feriis suos postes sertis umbrabant atque velabant. Seneca in Thyeste: 'Ornetur altum culmen, et lauro fores Lætæ virescant: dignus adventu tuo Splendescat ignis.' Catull. de Nupt. Pelei: 'Vestibulum ut molli velatum fronde vireret.' Juv. Sat. VI. 'Ornentur postes, et grandi janua lauro.' Pacat. in Paneg. Theodos. 'Quid portas virentibus sertis coronatas?' Tertull. Apol. cap. 35. 'Quam recentissimis et ramosissimis laureis postes præstruebant.' Et alibi: 'Cur die læto non laureis postes obumbramus? nec lucernis diem infringimus?'

726 *Quos spargam flores*] Florum sparsiones receptas in eos, quos veteres honore volebant affectos, Lips. ad Tac. jam ex variis auctoribus annotavit. Plin. XXI. 3. 'Quaque præferebatur, flores e prospectu omni sparsit.'

727 *Suspendam pallia portis*] Id adhuc antiquis usitatum et solitum. Pacat. in paneg. Theodos. 'Quid aulæis undantes plateas, accensisque funalibus auctum diem?'

728 *Immunis tanti belli*] Quia, ut jam monui vs. 710. Alaricus a Stilichone devictus non solum non Romam, ut ipsi erat animus, oppugnavit, verum etiam exivit ex Italia.

Libera, et aure tenus Geticos experta tumultus?
Scande triumphalem currum, spoliisque receptis
Huc, Christo comitante, veni: date, vincula demam
Captivis gregibus; manicas deponite, longo
Tritas servitio, matrum juvenumque catervæ.
Dediscat servire senex laris exul aviti;
Discat et ad patrium limen genitrice reversa
Ingenuum se nosse puer: timor omnis abesto.
Vicimus: exultare libet. Quid tale, repulso
Pœnorum quondam duce, contigit? Ille petitæ
Postquam perculerat tremefacta repagula portæ,
Baianis resolutus aquis durissima luxu
Robora destituit, ferrumque libidine fregit.
At noster Stilicho congressus comminus ipsa
Ex acie ferrata virum dare terga coëgit.
Hic Christus nobis Deus affuit, et mera virtus:

experta tumultus Gothorum, fere usque ad exitium, suspendam decoratis portis? O princeps, conscende currum triumphalem, et spoliis receptis huc veni comitatus Christo. Mihi permitte ut abrumpam catenas multitudini captivorum. Vos vero, o turba matrum et puerorum, adimite vestra vincula, trita longa servitute. Senes mox exules domus paternæ obliviscantur servire: pueri autem discant se esse liberos, quandoquidem matres reversæ sunt ad tecta patria. Jam omnis metus abeit. Vicimus; fas est exultare gaudio. Olim aliquid simile accidit, Annibale Carthaginensium duce repulso. Is, licet jam percussisset vectes pæne eversos portæ oppugnatæ, emollitus aquis Baianis amisit luxuria firmas vires, et hebetavit arma libidine. Sed noster Stilicho derepente oppugnans coëgit milites validissimos omnis exercitus fugere. Christus Deus et vera virtus me defenderunt a Gothis. Tua vero amœnitas, o Campania

Weitz.—731 *data* Vulg.—733 *caterva* Eg. a m. pr.—742 *congressum* Vulg.—

NOTÆ

731 *Date, vincula demam*] Maronianum illud: 'Date, vulnera lymphis Abluam.' Æn. IV. 684. De manicis sup. Psych. vs. 567. De lare Perist. X. 782. De Pœnis sup.

739 *Repagula*] Quia panguntur et repanguntur. Veteres enim pago dixere.

740 *Baianis resolutus aquis*] Baiæ, Cumanorum oppidum in Campania, cum balneis.

Resolutus] Flor. II. 6. 'Adeo ut vere dictum sit, Capuam Annibali Cannas fuisse. Siquidem invictum Alpibus, indomitum armis, Campaniæ, quis crederet, soles, et tepentes fontibus Baiæ, subegerunt.' Sed hac de re jam sup. egimus.

742 *Congressus comminus*] Huc spectat illud Claudian. XXVI. 594. 'Morte viri turbatus eques flectebat habenas; Totaque præciso nutassent agmina cornu, Ni celer instructa Stilicho legione secutus Subsidiis peditum pugnam instaurasset equestrem.' De Stilichone vs. 710.

Illic lascivum, Campania fertilis, hostem
Deliciæ vicere tuæ: non Jupiter acrem
Protexit Fabium, sed juvit amœna Tarentus,
Quæ dedit illecebris domitum calcare tyrannum.
His ego pro meritis quæ præmia digna rependam,
Non habeo: membra statuis effingere vile est.
Virtutem nil vile decet: nam vile, quod ætas
Eripit: æra cadunt, aut fulvum defluit aurum;
Aut candor perit argenti, si defuit usus,
Et fuscata situ corrumpit vena colorem.
Viva tibi, princeps, debetur gloria, vivum
Virtutis pretium, decus immortale secuto.
Regnator mundi Christo sociabere in ævum,
Quo ductore meum trahis ad cœlestia regnum.
Nil te permoveat magni vox rhetoris, oro,
Qui sub legati specie sacra mortua plorans,
Ingenii telis et fandi viribus audet,
Heu, nostram tentare fidem: nec te videt, ac me
Devotos, auguste, Deo: cui sordida templa
Clausimus, et madidas sanie dejecimus aras.

ferax, vicit Hannibalem lascivum. Tum Jupiter non protexit Fabium fortem; sed suavitas Tarenti juvit, nam tribuit vincendum Hannibalem fractum suis illecebris. Nulla mihi sunt præmia digna quæ offerantur pro his meritis. Et sane vile est exprimere statuis tuam effigiem: nihil autem vile convenit ad virtutem. Id, quod tempus conficit, est vile. Æra vero concidunt; aurum fulvum deficit; candor argenti evanescit, nisi sit in usu; et metallum fuscatum vetustate amittit colorem. O Imperator, gloria immortalis, et præmium virtutis immortale tibi debentur, qui secutus es decus immortale. O Dominator orbis, sociabere in æternum Christo, quo duce in altum evehis meum regnum. Ne te moveat oratio Symmachi viri facundi, qui sub specie legati lugens idola abolita, eheu, audet aggredi nostram fidem vi ingenii et viribus eloquentiæ. Non videt, o Imperator, me et te adorare Deum: propter quem clausimus templa profana, et evertimus altaria madida sanguine. Christus

NOTÆ

745 *Campania*] Regio Italiæ fertilitate et urbibus clarissima, cognomine Felix.

747 *Fabium*] Nempe Q. Fabium Maximum, 'qui novam de Hannibale victoriam commentus est, non pugnare. Hinc illi cognomen novum, et Reipublicæ salutare, Cunctator.' Flor. II. 6.

Tarentus] Tarentum, Calabriæ, Apuliæ, et Lucaniæ caput in maris Adriatici faucibus, ex Floro, in Salentinorum confinio.

748 *Illecebris domitum*] Sen. Epist. 52. 'Vina Hannibalem hyberna solverunt, et indomitum illum nivibus atque Alpibus virum enervarunt fomenta Campaniæ. Armis vicit, vitiis victus est.' De adytis sup. Sym. I. 246. De haruspice sup. Apoth. vs. 64.

Unus nostra regat servetque palatia Christus,
Ne quis Romuleas dæmon jam noverit arces,
Sed soli pacis Domino mea serviat aula.
  Sic affata pios Roma exoravit alumnos,
Spernere legatum non admittenda petentem,
Legatum Jovis ex adytis ab haruspice missum:
At non a patria: patriæ nam gloria Christus.
Persistit tamen affirmans, iter esse viandi
Multifidum variumque Deus cum quæritur unus.
Hinc alios, ast inde alios properare seorsim
Quemque per anfractus proprios; sed compita eodem
Fine coarctari, simul et concurrere in unum.
Quinetiam cœlum atque solum, ventos, mare, nubes,
Omnibus in commune dari, vel qui colimus te,
Christe, vel exta litant sculptis qui tabida saxis.
  Non nego communem cunctis viventibus usum
Aëris, astrorum, pelagi, telluris, et imbris.
Immo etiam injustus pariter justusque sub uno
Axe habitant, unas capit impius et pius auras;
Castus et incestus, meretrix et nupta; nec alter
Ore sacerdotis quam myrmillonis anhelat

unus gubernet et tueatur nostras ædes, ne quis diabolus nunc colatur in sedibus Romanorum, mei vero proceres servient uni Deo pacis. Roma sic locuta rogavit pios Principes ut aspernarentur Symmachum petentem sacra illicita; is quippe missus est legatus ab haruspice ex templo Jovis, non vero a patria; nam Christus est gloria patriæ. Symmachus tamen asseverat constanter esse iter multifidum et diversum incedendi, cum itur ad unum Deum. Vult, hinc alios homines, inde alios separatim incedere, unumquemque per suos calles, qui tamen calles coëunt in eundem finem, et simul concurrunt in unum. Addit cœlum, terram, mare, aërem, et pluviam dari æqualiter omnibus, tum nobis, qui te adoramus, o Christe, tum iis, qui offerunt viscera putrida saxis sculptis. Fateor usum aëris, cœli, maris, terræ, et pluviæ esse communem omnibus hominibus. Quinetiam sceleratus et sanctus habitant æqualiter sub eodem cœlo. Impius et pius, castus et impudicus, meretrices et matronæ hauriunt auram communem; nec alius halitus, qui temperat vitam haustu aëris, exit ex ore Sacerdotis quam ex ore pugilis. Vento impellente nubes pluit

747 *vicit* Weitz.—756 *secutum* Weitz.—771 *sua gloria* Bodl.—775 *competa* Weitz.

NOTÆ

771 *Non a patria*] Quia maxima pars Senatorum Christi fidem amplexa fuerat: vide lib. I. vs. 575. 'Vix pauca invenies gentilibus obsita nugis Ingenia, obtritos ægre retinentia cultus.'

785 *Myrmillonis*] Myrmillones, gladiatorum genus, de quo accurate

Spiritus, aërio vitam qui temperat haustu.
Nubes verna pluit zephyro impellente, sed æque
Furis et innocui fœcundat rura coloni.
Gurgitis æstivi sic pura fluenta viator,
Ut latro fessus, adit: sic piratis mare servit,
Ut mercatori; nec fluctus secius hosti
Obsequitur, quam cum licitæ fert transtra carinæ.
Ergo capax utriusque rei natura creandis
Se præbet populis, nec habet discernere dispar
Viventum meritum, quos tantum pascere jussa est:
Servit enim mundus, non judicat: hoc sibi summus
Naturæ Dominus præscripta in tempora servat.
Nunc adsunt homini data munera legibus isdem,
Quis concessa semel: fons liquitur, amnis inundat,
Velivolum ratibus mare finditur, influit imber,
Aura volat tenuis, vegetatur mobilis aër,
Et res naturæ fit publica promtaque cunctis,
Dum servant elementa suum famulantia cursum:

vere aquoso, et fœcundat æqualiter agros agricolæ rapacis et innocentis. Fur lassus æque ac viator adit per æstatem aquam puram rivi; mare servit piratis æque ac mercatoribus; nec fluctus minus obedit hosti, quam cum fert scamna navis licitæ. Natura igitur capax utriusque rei se dat populis creandis, nec potest internoscere meritum dissimile hominum, quos jussa est alere tantum. Nam mundus famulatur, non autem judicat: supremus Dominus naturæ id sibi reservat in diem judicii præscriptam. Nunc homines fruuntur donis datis, eadem lege qua semel concessæ fuerunt. Fons fluit, fluvius irrigat, mare navigabile scinditur navibus, pluvia decidit, ventus levis volat, aër mobilis attrahitur, et bona naturæ fiunt publica, ac sunt ad manum omnium, dum elementa famulantia peragunt suum cursum. Justus igitur

A. W.—780 *commune c. v. ipsum* A.—786 *hausto* Eg.—791 *secius* Eg.—792 *quum dominæ fert* Vulg.—800 *implevit* Heins. in not.—807 *Daa* G. *Daca* A. *Dea* F. *Dana*

NOTÆ

Lips. Sat. II. 9. Ii toti erant in armis, teste Ammiano de Persis, lib. XXIII. 'Pedites in speciem myrmillonum contecti jussa faciunt.' Unde nomen acceperint, docet Fest. lib. XVI. 'Retiario pugnanti adversus myrmillonem cantatur. Non te peto, piscem peto; quid me fugis, Galle? quia myrmillonicum genus armaturæ Gallicum est, ipsique myrmillones ante Galli appellabantur, in quorum galeis piscis effigies inerat.'

790 *Piratis mare servit*] Sen. de Benef. IV. 25. 'Et sceleratis sol oritur, et piratis patent maria.'

792 *Transtra*] Transtra in navibus sunt scamna remigum. Fest. lib. XVIII. 'Transtra, tabulæ navium dicuntur.'

Sic probus, atque reus capitalis criminis isdem
Sideribus, facilisque poli bonitate fruuntur.
Vivere commune est, sed non commune mereri.
Denique Romanus, Daha, Sarmata, Vandalus, Hunnus,
Gætulus, Garamas, Alamannus, Saxo, Galaulas,
Una omnes gradiuntur humo, cœlum omnibus unum est,
Unus et oceanus, nostrum qui continet orbem.
Addo aliud: nostros potant animalia fontes:
Ipso rore mihi seges est, quo gramen onagris,

et reus sceleris atrocis fruuntur iisdem stellis et bonitate cæli communis. Omnes vivunt, sed non omnes merentur. Denique Romani, Dahæ, Sarmatæ, Vandali, Hunni, Gætuli, Garamantes, Alamanni, Saxones, Galaulæ calcant eandem terram. Omnibus est unum cælum, et unus oceanus, qui circuit universam terram. Addo quod belluæ potent fontes, quos potamus; ros ille, qui dat herbam asinis, det mihi segetes; sues lutulenti se lavent fluminibus, quibus nos lavamus; aër, quo vivimus,

W.—808 *Garamans* Weitz. et al.—812 *inagris* W. sed glossa alteram stabilit lec-

NOTÆ

804 *Sic probus, atque reus*] Ita Arnob. lib. III. 'Fervorem genitalem solis Deus, noctis et tempora, ventos, pluvias, fruges, cunctis subministrat æqualiter, bonis, malis, injustis, servis, pauperibus, divitibus.' Ita Petron. 'Quid autem non commune est, quod natura optimum fecit? Sol omnibus lucet. Luna innumerabilibus comitata sideribus etiam feras ducit ad pabulum. Quid aquis dici formosius potest? in publico tamen manant.'

807 *Daha*] Dahæ inter Oxum et Jaxartem, non procul a maris Caspii littore, habitabant.

Sarmata] Duplex Sarmatia distinguitur, Europæa et Asiatica. Illa ab Germania et Pannonia ad orientalem Europæ limitem extensa erat: ista ulterius usque ad Carambycen fluvium et lineam ab illo ductam ad boreale Caspii littus supra Volgam extendebatur.

Vandalus] Vandali, populi circa oram maris Baltici incolentes, ubi nunc Pomerania ulterior.

Hunnus] Hunni, populi alias circa Mæotidem paludem incolentes: unde egressi in Pannonias, quibus Hungariæ nomen ab his inditum traditur, migrarunt.

808 *Gætulus*] Gætuli, Libyæ interioris populi, nullo certo loco considentes, teste Lucan. lib. IV. 'Autololes, Numidæque vagi, semperque paratus Incultus Gætulus equo.'

Garamas] Geramantes, interioris Libyæ populi, circa ortum Cinyphi fluvii incolentes. Lucan. lib. IX. 'Syrtibus haud ultra Garamantidas attigit undas.'

Alamannus] Olim populi Germaniæ finitimi. Posterioribus vero sæculis omnes Germani, Alamanni dicti fuere. Sidon. paneg. Avit. 'Sternebat: Rhenumque, ferox Alamanne, bibebas.'

Saxo] Saxones, Scythiæ populi juxta Imaum, qui ex Scythia in Germaniam venerunt.

Galaulas] Galaules, sive, ut alii legunt, Gaulales, Æthiopiæ populi, olim Auloles dicti, teste Orosio.

Spurca sues nostro amne natat, nostra intrat et ipsos
Aura canes, animatque levi fera corpora flatu.
Sed tantum distant Romana et barbara, quantum
Quadrupes abjuncta est bipedi, vel muta loquenti:
Quantum etiam qui rite Dei præcepta sequuntur,
Cultibus a stolidis, et eorum erroribus absunt.
  Non facit ergo pares in religione tuenda
Aëris et cœli communio: corpora tantum
Gignit, alit, reparat, recidivaque semina servat.
Nec refert, cujus generis, cujusve figuræ,
Aut cujus meriti: modo sint, ut corpora terra
Edita, terrenis quibus est vigor ex elementis:
Artificis quia Patris opus discrimine nullo
Influit in medium, nec avaro munere currit,
Ante datum, quam primus homo sordesceret Adam.
Nec vitio utentum restrictum deficit, aut se
Subtrahit indignis, nec fœda et turpia vitat.
Haud aliter solis radius colluminat omnes

alat ipsos canes, et ductus levi spiritu animet corpora belluina. Atqui quantum bellua distat ab homine, sive animal mutum a loquente; quantum ii etiam, qui recte exequuntur mandata Dei, distant a cultoribus stolidis et erroribus ipsorum, tantum Romani distant a barbaris. Ergo usus communis aëris et cœli non probat omnes servare eandem religionem. Gignit solum, alit, restaurat corpora, et conservat semina iterum projecta. Neque interest cujus sint generis, aut cujus formæ, aut cujus valoris: modo terra genuerit ea æque ac corpora quæ accipiunt virtutem ab elementis terrestribus. Quia bona terræ, opera Dei artificis, data antequam Adamus primus homo peccaret, in commune conferuntur, et large nascuntur. Non deficiunt diminuta vitio eorum qui illis utuntur, non se subtrahunt indignis, non fugiunt res fœdas et turpes. Sic radius solis illustrat omnes locos sparso lumine.

tionem.—813 *Sordida sus* A. F. W. superscr. *Spurcaque sus* G. T. *Spurca suis* Weitz. Bo. 2.—816 *Quadrupides bipedi abjunctæ, mutæve loquenti* A. F. Eg.—817 *Tantum* Weitz.—819 *tenenda* W. in marg. Vulg.—821 *redivivaque*

NOTÆ

813 *Spurca sues*] In Egmondano, *sordida sus*. Sus vero et Sues, ut plebs et plebes.

816 *Abjuncta*] Ita apud Alcim. Avit. lib. III. poëmat. et lib. IV. 'Abjunctæ partes, et abjuncta elementa. Nec sinit abjunctas misceri fœdere partes.' Alibi vero: 'Et tamen abjunctis quæ constant ex elementis.'

821 *Recidiva*] Explicant plerique *repullulantia:* et deducunt a cado: alii vero legunt, *rediviva*, quod utrumque facit ad mentem Prudentii. De Capitolio sup. De fornice Perist. XIV. 129. De laquearibus sup.

Diffuso splendore locos: ferit aurea tecta,
Sed ferit et nigro sordentia culmina fumo:
Intrat marmoribus Capitolia clara; sed intrat
Carceris et rimas, et tetra foramina clausi
Stercoris, et spurcam redolenti in fornice cellam.
Sed non illud erunt obscura ergastula, quod sunt
Regia gemmato laquearia fulva metallo:
Nempe magis non illud erunt, qui numen in urnis
Quærunt ac tumulis, et larvas sanguine placant:
Quod sunt qui summum cœli Dominum venerantur,
Justitiamque litant, et templum pectoris ornant.
Secretum sed grande nequit rationis opertæ
Quæri aliter, quam si sparsis via multiplicetur
Tramitibus, et centenos terat orbita calles,
Quæsitura Deum variata indage laténtem.
Longe aliud verum est: nam multa ambago viarum,
Anfractus dubios habet, et perplexius errat:
Sola errore caret simplex via, nescia flecti
In deverticulum, biviis nec pluribus anceps.
Non tamen inficior, duplex occurrere nobis

Illuminat quidem tecta aurata; sed illuminat etiam tecta infecta nigro fumo. Penetrat quidem saxa famosi Capitolii; sed penetrat etiam rimas carceris, et fœda foramina clausi stercoris, et cellam impuram lupanaris maleolentis. Cæci tamen carceres non erunt id, quod sunt regia laquearia fulva auro gemmato. Ergo nec multo magis ii, qui quærunt Deos in cineribus et sepulcris hominum, et mactant victimas manibus, non erunt id, quod sunt ii qui adorant supremum rectorem cæli, et offerunt Deo animum justum, et ornant templum cordis. At, inquies, nemo potest aliter pervenire ad profundum secretum veritatis occultæ, quam si via scinditur in divisos calles, et rotæ terant quamplurima itinera quæ ducant ad Deum occultum vario tramite. Aliter se res habet: nam iter multifidum habet dubios circuitus, et ducit in errorem inexplicabilem. Unum iter simplex, nec scissum

F. G. W.—830 *cum luminat* Vulg.—835 *in* deest Weitz. *redolent in f.* A. Eg. —844 *si centenos* G. F.—849 *diverticulum* Weitz.—850 *infiteus* Eg. W. in

NOTÆ

838 *Urnis*] Quia cineres imponebant urnis, ut sepulcro deinde mandarentur. De orbita sup. Perist. XI. 102.

847 *Perplexius errat*] Hinc Prosper lib. de ingratis: 'Quem non recto via limite ducit, Quanto plus graditur, tanto longinquius errat.'

848 *Sola errore caret simplex via*] Alludit ad illud Prov. X. 'Qui ambulat simpliciter, ambulat confidenter.' De Thyrsigero Baccho sup. Perist. X. 280. De Dionysiis sive Bacchanalibus Sym. I. 128. 134. De Saturnalibus sup.

Semper iter, geminis mortalia partibus ire,
Cum dubitant quonam ferat ignorantia gressum.
Altera multifida est: at simplex altera, et unum
Una Deum sequitur: divos colit altera pluros,
Et tot sunt ejus divortia, quot templorum
Signa, quot aëreis volitant phantasmata monstris.
Aut hos thyrsigeri rapit ad Dionysia Bacchi,
Illicit aut alios ad Saturnalia festa:
Aut docet, occultus quæ sacra Diespiter infans
Inter tinnitus solvi sibi poscat aënos.
Jamque Lupercales ferulæ, nudique petuntur
Discursus juvenum: Megalesius hinc spado, diris
Incensus furiis, cæca ad responsa vocatur.
Sunt, qui quadriviis brevioribus ire parati
Vilia Niliacis venerantur oluscula in hortis:
Porrum et cepe Deos imponere nubibus ausi,
Alliaque, et Serapin cœli super astra locare.
Isis enim, et Serapis, et grandi simia cauda,

in semitas transversas, nec anceps multis biviis, caret errore. Fateor tamen nos semper esse in bivio, et homines committere se duobus callibus; cum mali dubitant, quo ignorantia eos ducat. Altera via est multipartita: altera vero unica, quæ unica ducit ad unum Deum; altera tendit ad plures Deos: et quot sunt idola in templis, quot phantasmata, fictitia illa monstra aëria volitant, tot sunt hujus viæ semitæ. Ducit hos ad festa Bacchi gerentis thyrsum: attrahit alios ad festa Saturni, aut docet sacra, quæ Jupiter, puer occultus, vult sibi solvi inter sonitus cymbalorum. Modo itur ad verbera Lupercaliorum, et discursus nudorum juvenum: modo ad obscura responsa, ad quæ vocantur Sacerdotes eunuchi Cybeles, incensi diris furiis. Nonnulli parati ingredi quadrivia haud trita, et ausi collocare in cœlo porrum cepeque tanquam Deos, et ponere allium ac Serapim, adorant in hortis Ægypti vilia olera. Nam Isis, Serapis, Simia longa cauda, et Crocodilus, sunt idem quod

marg.—853 una Vulg.—867 *Serapen* Weitz. et al.—869 *crocodrillus* W. *id*

NOTÆ

859 *Diespiter*] Jupiter, quasi diei pater. Horat. lib. I. 'Namque Diespiter Igni corusco nubila dividens.'

860 *Inter tinnitus aënos*] 'Ardua jamdudum resonans tinnitibus Ida, Tutus ut infanti vagiat ore puer. Pars manibus clypeos, galeas pars tundit inanes: Hoc Curetes habent, hoc Corybantes opus.' Ovid. Fast. IV. Sed de his, semel atque iterum. De Lupercalibus ferulis Perist. X. 162. De Megalesio spadone Sym. I. 629. Psych. vs. 655. De Superstitionibus Ægyptiorum Perist. X. 254. De Iside Sym. I. 680. De Serapide sup. De Simia grandi cauda, i. e. Cercopitheco, et Crocodilo, Perist. X. 258.

Et crocodilus idem, quod Juno, Laverna, Priapus.
Hos tu, Nile, colis, illos tu, Tibris, adoras:
Una superstitio est, quamvis non concolor error.
Hinc alia exoritur tenebrosis tecta frutetis
Semita, quam pecudes et muta animalia carpunt,
Quæque latens sylvis operitur. Nescia cœli
Mens hominum, sævo vivens captiva tyranno!
Hæc putat esse Deum nullum: namque omnia verti
Casibus, et nullo sub præside sæcla rotari.
Hoc iter haudquaquam magno discrimine distat
Hisce viis, quas vos teritis, qui numina multa,
Et portenta, Deum summum, numerosa putatis.
Simplicis ergo viæ dux est Deus, ille per unam
Ire jubet mortale genus, quam dirigit ipse
Sublimem dextro celsa ad fastigia clivo.
Prima viæ facies inculta, subhorrida, tristis,

Juno, Laverna, et Priapus. Ægyptii adorant hos Deos; vos vero, o Romani, adoratis illos. Eadem est superstitio, licet error sit dissimilis. Alia via tecta opacis arboribus sequitur postea, hæc latens operitur sylvis, et assumitur a belluis et mutis animalibus: nempe a mentibus hominum, qui discedunt a cælo, et captivi sunt sub imperio crudelis dæmonis. Ii putant nullum esse Deum, atque omnia subjici fato, et tempora fluere absque ullo rectore. Illa via non maxime discrepat ab iis viis, quas vos, qui putatis multos Deos et multa monstra esse Deum omnipotentem, sequimini. Deus igitur est dux viæ simplicis. Is jubet omnes homines ire per eandem viam: quam sublimem ipse dirigit a dextera parte ad altum cælum. Prima facies hujusce viæ est inculta, aspera, tristis, ardua: sed terminus est amœnus, repletus maximis

est Weitz. *idem est* Bodl.—870 *H. t. N. Deos colis et tu T. a.* Vulg.—873 *Quæ-*

NOTÆ

869 *Laverna*] Dea quam Romani fures invocabant, ut instituta sua furandi et mentiendi ad effectum perduceret. Hor. Ep. I. 'Pulchra Laverna, Da mihi fallere, da justum sanctumque videri.' Varro lib. IV. 'Hinc porta Lavernalis ab ara Lavernæ, quod ibi ara ejus Deæ.' Hæc Dea caput erat sine reliquo corpore, teste Hesych. De Priapo sup. Perist. X. 241. De Tiberi Perist. XI. 174.

884 *Prima viæ facies inculta, &c*] Fusius id describit Lactant. VI. 3. 'Duæ sunt viæ, quas et poëtæ in carminibus, et Philosophi in disputationibus suis induxerunt. Et quidem Philosophi alteram virtutum esse voluerunt, alteram vitiorum: eamque, quæ sit assignata virtutibus, primo aditu esse arduam et confragosam, in qua si quis difficultate superata in summum ejus evaserit, habere eum de cetero planum iter, lucidum amœnumque campum, et omnes laborum suorum capere fructus uberes atque jucundos. Quos

Difficilis, sed fine sui pulcherrima, et amplis
Prædita divitiis, et abundans luce perenni,
Et quæ præteritos possit pensare labores.
Multiplici dux dæmon adest, qui parte sinistra
Centifidum confundit iter, trahit inde sophistas
Barbatos, trahit hinc opibus vel honore potentes:
Illicit et volucrum linguis, et haruspice fallit,
Instigat bacchantis anus ambage Sibyllæ,
Involvit mathesi, magicas impellit in artes,
Omine solicitat, capit augure, territat extis.
Cernis, ut una via est multis anfractibus errans,
Talem passa ducem, qui non sinat ire salutis
Ad Dominum, sed mortis iter per devia monstret?
Devia, picta bonis brevibus, sed fine sub ipso
Tristia, et in subitam præceps immersa charybdim.
Ite procul, gentes: consortia nulla viarum
Sunt vobis cum plebe Dei: discedite longe,

bonis, abundans luce æterna, et potest remunerare labores præteritos. Dæmon est dux viæ multipartitæ. Is a sinistra parte miscet semitas semitis. Hinc attrahit barbatos philosophos, hinc attrahit potentes opibus vel dignitatibus: decipit cantu avium, fallit haruspicibus: incitat verbis ambiguis vetulæ Sibyllæ furentis: implicat astrologia: impellit ad artem magicam: instigat ominibus: capit oraculis: terret visceribus. Vides ut una via, quæ habet hunc ducem, qui non solum non sinit homines ire ad Dominum salutis, verum etiam ducit per devia in viam perditionis, fallax est multitudine semitarum? Devia repræsentant bona momentanea: sed finis ipsorum tristis est, et subito desinit in abruptam voraginem. O Gentiles, recedite procul: nulla est vobis societas viarum cum populo Dei; procul

que latens silvis. Operitur n. A. F. *latent* W. superscr.—888 *Multiplicis dux* Weitz. Eg. W. G. *Multiplici dæmon sed adest* A. F. *at est* G. *morte sinister* A. F.—891 *Illicitat* Gif. Ind. Lucr. p. 374.—892 *bachatus* Weitz. W.—893 *In magicas artes trahit, involvitque mathesin* A. F.—897 *monstrat* A. F. Eg.—

NOTÆ

autem primi aditus difficultas deterruerit, eos in eam vitiorum viam labi atque deflectere, quæ primo ingressu sit quasi amœna multoque tritior: deinde cum in eam paulo ulterius processerint, amœnitatis ejus speciem repente subduci: exoriri autem viam præcipitem, nunc saxis asperam, nunc obductam sentibus, nunc gurgitibus intercisam, vel torrentibus rapidam, ut laborare, hærere, labi, cadere sit necesse.' De barbatis Philosophis sup. Hamart. vs. 403. De Sophistis sup. Perist. x. 404. De haruspice Apoth. vs. 215. De Sibylla Apoth. vs. 440. De mathesi, sup. vs. 178. De Charybde sup.

900 *Gentes*] Quia, veluti ex eadem gente, i. e. familia, oriundi sunt.

Et vestrum penetrate chaos, quo vos vocat ille
Prævius infernæ perplexa per avia noctis.
At nobis vitæ Dominum quærentibus unum
Lux iter est, et clara dies, et gratia simplex.
Spe sequimur, gradimurque fide, fruimurque futuris:
Ad quæ non veniunt præsentis gaudia vitæ,
Nec currunt pariter capta et capienda voluptas.
Ultima legati defleta dolore querela est:
Palladiis quod farra focis, vel quod stipis ipsis
Virginibus, castisque choris alimenta negentur:
Vestales solitis fraudentur sumtibus ignes.
Hinc ait et steriles frugescere rarius agros,
Et tristem sævire famem, totumque per orbem
Mortales pallere inopes, ac panis egenos.

recedite, et adite locum illum confusionis, quo dæmon dux noctis infernæ vos vocat per transversa itinera. Nobis vero, qui quærimus Dominum vitæ, lux, et dies clara, et gratia simplex sunt una via. Sequimur spe, et gradimur fide, et fruimur bonis futuris, ad quæ gaudia hujusce vitæ non perveniunt. Gaudia capta et gaudia capienda incedunt per vias dissimiles. Ultima querela Symmachi effusa est ex dolore, quod placentæ denegentur aris Palladis, pecunia ipsis Vestalibus, et alimenta castis collegiis; quod ignis perpetuus fraudetur sumtibus solitis. Is vult hanc ob causam steriles agros rarius ferre fructus, diram famem sævire, et homines pauperes, egen-

910 *stipes* Weitz. W.—911 *toris* Vulg.—913 *parcius* Weitz.—918 *peno* T.—920

NOTÆ

904 *At nobis vitæ Dominum quærentibus*] Audi et Ambros. lib. II. contra Symm. 'Quod vos ignoratis, id nos Dei voce cognovimus. Et quod suspicionibus quæritis; nos ex ipsa sapientia Dei et veritate compertum habemus. Non congruunt igitur vestra nobiscum.'

909 *Ultima legati*] Ut ea, quæ sequuntur, facilius intelligantur ab omnibus, quædam animadvertenda sunt. Agros a Numa attributos fuisse Vestalibus, quorum vectigalibus alebantur, colligimus tum ex Suet. cap. 31. 'Augustus sacerdotum et dignitatem et commoda auxit, præcipue Vestalium virginum;' tum ex Hygino de limitibus: 'Virginum quoque Vestalium et Sacerdotum quidam agri vectigalibus sunt redditi locatim.' Symmachus etiam ipsis agros, a privatis pietatis ergo legatos fuisse aperte significat: 'Agros etiam Virginibus et Ministris deficientium voluntate legatos fiscus retentat.' Hos autem sub Valent. et Theodosio Impp. fiscus eripuit, anno 383. quo Roma tam dira fame laboravit, ut pauperes liberique homines ab urbe pulsi fuerint. Symmachus, quod agri Vestalium ademti fuissent, eam accidisse pluribus ostendit in relatione, quam anno 384. ad Valentinianum conscripsit.

910 *Stipis*] Stipis, vetusti codices, Prudentiano ritu. Vide sup.

Quæ tanta extiterit præsenti tempore, tamque
Invidiosa fames, quam Triptolemi Cererisque
Moverit ira, penu pro virginis ulciscendo,
Non memini: nec tale aliquid vel fama susurrat.
Audio per Pharios Nilum discurrere campos
More suo, viridisque sata stagnare Canopi.
Haud venit a sicco qui flumine nuntius affert
Jejunam squalere siti sub pulvere Memphim,
Nec Pelusiacæ limum sudare paludis.
Num fons arcano naturæ tectus operto
Aruit, et tenuem vix stillat vena liquorem?
Num refugus nostras odit præstringere ripas

teque pæne pallere per omnem terram. Non memini hac ætate tantam et tam sævam famem motam fuisse a Triptolemo et Cerere irata, ut ulciscerentur stipem non persolutam Vestalibus. Fama ipsa non sparsit talem famem. E contra audio Nilum irrigare more solito agros Ægyptios, et fœcundare semina viridis Canopi. Nuntius non venit a Nilo siccato, qui referat Memphim jejunam premi siti ob pulverem, et limum paludis Pelusiacæ non exhalare nebulas. An fontes Nili occulti abdito secreto naturæ aruerunt, et aqua modica fluit a capite? An Nilus refugus

per varios W. superscr.—922 *Aut veniat* Weitz. A. Eg. W. Gif. Ind. Lucr. p. 471. *Haud veniat* F.—923 *sitis* Weitz.—927 *perstringere* Vulg.—928 *exustus* Eg.

NOTÆ

917 *Triptolemi*] Triptolemus, Celei Eleusinis regis filius, primus agriculturam docuit homines. Nam Ceres per orbem terrarum filiam quærens venit Eleusin; Celeus, cujus uxor Hyona Triptolemum pepererat, liberalissime hospitio suscepit. Tum forte parentes nutricem quærebant, quare Ceres ultro sese obtulit. At puerum divino lacte nutritum noctu clam sub igne occultabat. Quo pacto id fieret, pater observavit; unde irata Ceres Celeum exanimavit, ac Triptolemo currum a draconibus tractum dedit, ut omnes homines frugum sationem doceret. Huc spectant nummi Hadriani, et Getæ, in quibus Triptolemus curru draconibus binis juncto vehitur. De Cerere sup. Perist. x. 236.

919 *Vel fama susurrat*] Hujusce tamen sævæ famis meminerunt Ambrosius Officior. III. 7. ubi conqueritur, suo tempore plurimos ob famem Roma ejectos; et Symmachus II. 7. ad Flavianum fratrem: 'Defectum timemus annonæ, pulsis omnibus, quos exerto et pleno ubere Roma susceperat. Fors fuat ut his remediis convalescamus. Quanto nobis odio Provinciarum constat illa securitas? Dii patrii facite gratiam neglectorum sacrorum, miseram famem pellite. Quamprimum revocet urbs nostra, quos invita dimisit.' De Phariis agris sup. Nilo, Psych. vs. 655. Canopo sup. Memphi, Hamart. vs. 463. Pelusiaco sup.

925 *Fons tectus*] Fontes Nili veteribus ignoti vulgo cum extitissent,

Amnis, et exustos cursum deflectit ad Indos?
Num tractu in medio bibulus vorat alveus undam
Fluminis, et subito stagna absorbentur hiatu?
Ne sulcos operire vadis, neve arida possint
Ægypti per plana trahi, glebasque rigentes
Infusis ad pingue lutum mollire fluentis:
Unde seges late crinitis fluctuet agris,
Densius et gravidis se vestiat æquor aristis?
Respice, num Libyci desistat ruris arator
Frumentis onerare rates, et ad ostia Tibris
Mittere triticeos in pastum plebis acervos?
Numne Leontini sulcator solvere campi
Cesset frugiferas Lilybæo ex littore cumbas?
Nec det vela fretis, Romana nec horrea rumpat
Sardorum congesta vehens granaria classis?

odit alluere ripas regionum nobis subjectarum, et agit aquas ad nigros Æthiopes? An alveus bibulus bibit in medio cursu aquam Nili, et fluvius evanescit subitis hiatibus? ita ut nec possit operire undis sulcos, nec diffundi per agros steriles Ægypti, et terram siccam emollire aqua infusa, ut afferat lutum pingue: unde segetes late fluctuent in campis spiciferis, et terra induatur abundanter spicis gravidis. Vide an agricolæ Africani cessent onerare naves frumentis, et transportare cumulos tritici ad ostia Tiberis, ut populus Romanus alatur? vide an cultores telluris Siculæ cessent solvere naves frumentarias ex littore Lilybæo? Nonne classis Sardorum onusta frumento collecto se committit mari, et replet granaria Romana?

NOTÆ

demum reperti sunt. Is enim oritur in Goyamo Abissinorum regno ex Lunæ, ut vocant, montibus.

928 *Exustos ad Indos*] Nempe ad nigros Æthiopes: ad quos a Memphi Nilo vectus Alexander penetravit, ut testatur Q. Curt. IV. 27. 'A Memphi eodem flumine vectus ad interiora Ægypti penetrat: compositisque rebus ita, ut nihil ex patrio Ægyptiorum more mutaret.' Nam populi quaslibet calentes plagas incolentes, Indi dicuntur. De Ægypto sup. De æquore Psych. vs. 258. De Libya Perist. XIII. 4.

937 *Ad ostia*] Tyberis duo ostia, quibus in mare Tyrrhenum evolvitur; ubi urbes duæ, Ostia ad Orientem, Portus ad Occidentem.

938 *Mittere triticeos*] Nam, ut recte notat Fabricius, granaria Romanorum fuerunt, Sicilia, Sardinia, Ægyptus, et Libya.

939 *Leontini campi*] Oppidum Leontini, in Sicilia, teste Plin. III. 4. Soli ubertas maxima est; unde Cicero in Verrem: 'Caput rei frumentariæ, campus Leontinus.' Et Sid. Apoll. II. 14. 'Cum pransuro Sardanapalitium in morem panis daretur e Leontina segete confectus.'

940 *Lilybæo ex littore*] Lilybæum, tertium Siciliæ promontorium, ad Occidentem. Ibi olim urbs Lilybæum, cujus in ruinis urbs est hodie Marsalla.

942 *Sardorum*] Sardinia insula est Italiæ, alias regio titulo insignita,

Ergo pyris mensas sylvestribus implet arator
Pœnus, et avulsas Siculus depascitur herbas?
Jamque Remi populo quernas Sardinia glandes
Suppeditat, jam corna cibos lapidosa Quiritum?
Quis venit esuriens magni ad spectacula circi?
Quæ regio gradibus vacuis jejunia dira
Sustinet? aut quæ janiculi mola muta quiescit?
Quantos quæque ferat fructus provincia, quamque
Ubere fœcundo large fluat orbis opimus,
Indicio est annona, tuæ quæ publica plebi,
Roma, datur, tantæque manus longa otia pascit.
Sit fortasse aliquis paulo infœcundior annus:
Nil mirum, nec in orbe novum didicere priores,
Perpessi plerumque famem: si tabidus aër

Agricola Africanus non apponit super mensam pyra sylvestria, et Siculus non vescitur herbis avulsis? Sardinia non subministrat nepotibus Remi fructum quercus; corna dura non sunt cibus Romanorum? Nemo venit famelicus ad spectacula magni Circi. Nulla pars Romæ laborat dura fame, quod gradus vacui sint: nulla mola Janiculi cessat terere frumentum. O Roma, alimenta publica, quæ dantur tuis civibus, et quæ nutriunt altum otium tantæ turbæ, indicant quantos fructus ferant omnes provinciæ; et quam fæcundo sinu terra opima ubique expromat opes. Quod si forte aliquis annus non est tam fertilis, non mirum est; et majores nostri, sæpe perpessi famem, noverunt non esse rem novam in mundo, quod aër pestifer ardenti

—940 *frugigeras* Eg.—946 *cibus* Weitz. Delph.—949 *janiculo mola nota* F. G. —963 *tantasque manus l. o. pascunt* Weitz. T. Ro. 2.—955 *novo* A. F.—959 *viri-*

NOTÆ

'minus octo millibus passuum a Corsicæ extremis,' ut testatur Plin. III. 13.

Congesta granaria] Sardiniam tritici feracem esse notat Cicero in Verr. Hor. Od. I. 31. Lucan. III. 65. Flor. IV. 2. Strab. lib. V. aliique omnes ad unum Scriptores. Hinc Val. Max. VII. 6. ait 'Sardiniam et Siciliam benignissimas fuisse urbis Romæ nutrices.' De Pœnis sup.

944 *Siculus*] Sicilia, omnium Mediterranei maris insularum maxima; Trinacria olim dicta a triangulari figura, quam efficiunt tria promontoria. De spectaculis Circi sup. Hamart. vs. 362. De pane dispertito ex gradibus Sym. I. 583.

949 *Janiculi*] Unus ex septem Romæ collibus, trans Tyberim versus Meridiem: ex quo Roma conspicua propter ejus altitudinem, teste Martiali, 'Hinc septem dominos videre montes, Et totam licet æstimare Romam.'

Mola muta quiescit] Et sane Procop. de bell. Goth. lib. I. notat, 'omnes molas ad Janiculi radices in Tiberi fuisse.'

952 *Plebi datur*] Adi Sym. I. 583.

Siccavit tenues ardenti sidere nubes,
Nec vernas infudit aquas creberrimus imber
Fruge nova et viridi: si messis adulta, priusquam
Conceptas tenero solidaret lacte medullas,
Afflatum calido succum contraxit ab Euro,
Jejunosque tulit calamos, atque irrita vota
Agricolæ, sterilis stipularum sylva fefellit.
His, ni fallor, ager vitiis corruptus, et ante
Subjacuit, quam Palladium, quam Vesta, penates
Sub lare Pergameo servarent igne reposto,
Quam Priami genitor conductis mœnia fabris
Exstrueret, quam virgo suas fundaret Athenas
Pallas: in his quoniam Vestalis origo favillæ
Urbibus, ut memorant, primo de fomite sumta est,

sole siccaverit leves nubes, et pluvia creberrima non irroraverit aquis vernis segetes novas et virides: quod frumentum surgens contraxerit, antequam corroboraret lacte tenero recentes spicas, succum aridum vento calido, et tulerit calamos steriles, et copia stipularum sterilium fefellerit vota irrita agricolæ. Nisi fallor, segetes corruptæ et obnoxiæ fuerunt his vitiis, ante quam Palladium et Vesta, tuerentur Deos Penates sub tectis Trojanis, ob ignem ipsis servatum, ante quam Laomedon pater Priami, fabris conductis, conderet muros Trojæ, ante quam Pallas virgo poneret Athenas ipsi dicatas: nam in illis civitatibus, ut fertur, origo ignis vestalis

NOTÆ

961 *Euro*] Eurus spirat ab Oriente brumali, Latinis Vulturnus appellatur ex Plin. II. 47. 'Ab Oriente brumali Vulturnus; hunc Eurum Græci appellant.' De Palladio Sym. I. 195. Vesta sup. Penat. ut sup. Lare Perist. X. 782. Pergam Sym. I. 194.

967 *Priami genitor conductis mœnia fabris Exstrueret*] Laomedon Priami pater, Trojanorum rex, cum urbem suam hactenus immunitam cingeret mœnibus, Neptunum et Apollinem, qui fabricam illam susceperant, pacta mercede fraudavit. De Athenis dicatis Palladi sup. Psych. vs. 687.

970 *Primo de fomite*] Alii tamen dissident, et Vestam ipsam Terram interpretantur. Ov. 'Stat vi Terra sua, vi stando Vesta vocatur.' Cicero vero de N. D. lib. I. astipulatur Prudentio: 'Vesta nomen sumtum est a Græcis. Ea enim est, quæ illis Ἑστία dicitur: visque ejus ad aras et focos pertinet.' et Ov. 'Nec tu aliud Vestam, quam vivam intellige flammam.' Nonne etiam ex nummis variam antiquorum opinionem colligere est. Passim nummi Vestæ effigiem sedentem exprimunt, et altera manu facem, altera pateram libatoriam præferentem, Quid ita? quia, teste Plinio, Stabilis est Vesta, i. e. Terra, et, ut Servii verbis utar, 'Terram ignem habere non dubium est, ut ex Ætna Vulcanoque datur intelligi.' Nummus vero Faustinæ Pii aram tantum exhibet, ex qua ignis erumpit; cum hac epigraphe, VESTA. Quæ sane

Sacraruntque focos aut Phryx aut Graius alumnos.
Antiquis elementa labant erroribus, ac de
Legitimo discussa modo plerumque feruntur
In casus alios, quam lex habet, aut iter anni.
Nunc consumit edax segetem rubigo maligni
Aëris ex vitio, nunc culpam vere tepenti
Post zephyros gelidi glacies aquilonis inurit,
Ambustumque caput culmi fuligine tingunt.
Seminis aut teneri turgens dum germinat herba,
Continuis nimiisque perit constricta pruinis,
Nec potis est tenuem telluri affigere fibram:
Mox ejecta solo glacie sidente superfit,
Nudaque subducto radix avellitur arvo.
Ancipites tribuli subeunt, et carduus horrens.

sumta est de primo foco, et Trojani Græcive sacrarunt focos ex his excitatos. Elementa concidunt ob antiquum peccatum, et ejecta ex recto ordine sæpe feruntur in alios casus, quam lex præscripsit, aut curriculum anni. Nunc noxia rubigo, quæ nascitur ex vitio aëris maligni, absumit spicas: nunc post Zephyros glacies frigidi Aquilonis inurit vitiosum humorem, ortum ex vere tepido; et summitas calamorum exustorum nigrescit. Culmus frumenti teneri, dum turgidus emittit germen, aut perit concretus continuo et nimio gelu, nec potest mittere in terram tenuem radicem: aut glacie remanente superest non adhærens terræ, et radix nuda evellitur ex arvo subtracto. Aculeati tribuli, et cardui hispidi succedunt. Siccitas gignit tribulos:

dis Weitz. Eg. si deest Eg.—971 *Sacravitque* Lips. Syntag. de Vesta cap. 2.—

NOTÆ

maxime favent iis, qui negant Vestæ ullum fuisse simulacrum. Ov. 'Esse diu stultus Vestæ simulacra putavi, Mox didici curvo nulla subesse tholo.' Mox causam reddit: 'Ignis inextinctus templo celatur in illo, Effigiem nullam Vesta nec ignis habent.'

971 *Phryx aut Graius*] Prudentius Vestæ originem ambigue vel ad Trojam, vel ad Athenas refert; nec male: nam Athenis ignem cultum fuisse docent Athenæus et Pausanias, qui sæpe Vestæ et æterni foci meminerunt. De Phrygibus sup. Græcis sup.

975 *Rubigo*] Vitii genus, quo culmi nigrescunt. Ex nebula nascitur, vel ex pluvia, cum e spica non decutitur, sed solis superventu putrescit.

977 *Zephyros*] Zephyrus, ventus flans ab occasu æquinoctiali: qui genitalis est mundi spiritus, et a fovendo dictus; inquit Plin. XVI. 25. De Aquilone sup. Psych. vs. 833.

978 *Fuligine*] Nigrum illud, quod ex adustione comparatur, dicitur fuligo, quasi fumiligo.

980 *Pruinis*] Pruina, ros concretus secundum Aristotelem, quasi pyrina ἀπὸ τοῦ πυρός: vel secundum Festum, quasi perurina ab peruro, quod, cum sole liquefacta est, fruges perurat et arbusta.

984 *Tribuli*] Tribulus, herba e car-

Hos fert sicca sitis, hunc ebrius educat humor.
Temperies effusa minus, vel plus, agit istos
Terrarum morbos, et mundum vulnerat ægrum.
Non aliter nostri corruptus corporis usus
In vitium plerumque cadit, nec in ordine recto
Perstat, et excessu moderaminis afficit artus:
Unus enim status est mundique et corporis hujus
Quod gerimus: natura eadem sustentat utrumque.
Edita de nihilo crescunt, nihilumque futura,
Aut titubant morbis, aut tempore victa senescunt.
Nec natura caret vitio, cui terminus instat.
Semper, crede, polus variis proventibus annos
Texuit: hos multa ditavit fruge fluentes:
Quosdam infelices astris damnavit iniquis,
Spe cassa et sterili curam frustratus agrestem.
Sed, si Vestales ulciscitur ista puellas
Pestis, ab infido quæ gignitur improba mundo,
Cur non Christicolum tantum populatur agellos
Per quos virginibus vestris stata dona negantur?
Utimur et ruris reditu, et ratione colendi:
Exercere manus non pœnitet: et lapis illic

abundantia aquæ nutrit carduos. Temperatio cæli peccans vel defectu vel abundantia affert hos morbos terræ, et sauciat orbem infirmum. Usus vitiosus nostri corporis ita sæpe incidit in vitium, invertit ordinem rectum, et violatione ordinis inficit membra. Nam status mundi et illius corporis, quod gerimus, est idem; et eadem natura sustentat utrumque. Illa orta ex nihilo augescunt, et, antequam revertantur ad nihilum, aut languent morbis, aut victa annis senescunt. Natura quoque, cui finis imminet, non immunis est vitii. Crede mihi, cælum semper miscuit annos variis eventibus. Ditavit quosdam annos, abundantes multis fructibus: damnavit quosdam steriles sideribus malignis; ita ut frustretur vanam et inutilem expectationem agricolarum. Sin autem ea fames pestifera, quam vis secutam fuisse infidelitatem hominum, ulciscitur virgines Vestales. Quare ergo non vastat tantum agros Christianorum, qui denegant vestris Vestalibus dona statuta. Nam ii utuntur fructibus agrorum, et arte arandi, nec eos pœnitet dare operam agriculturæ: ii,

982 *erecta* Weitz.—985 *crebrior* Ro. 1.—990 *Præstat* Eg.—995 *carit* Eg.—996 *credo* Eg.—1002 *Christicolas* Ro.2.—1003 *statuta* Eg.—1007 *Fasceolis* T.Bodl. *rigare*

NOTÆ

duorum genere, et floribus aculeatis.

1005 *Lapis illic si stetit*] Terminorum Deus, de quo hic loquitur, colebatur sub figura rudis ac informis lapidis, vel stipitis. Ov. Fast. lib. II. 'Ter-

Si stetit, antiquus quem cingere sueverat error
Fasciolis, vel gallinæ pulmone rogare,
Frangitur, et nullis violatur Terminus extis:
Et quæ fumificas arbor vittata lucernas
Servabat, cadit ultrici succisa bipenni.
Nec tamen idcirco minor est aut fructus agelli,
Aut tempestatis clementia læta serenæ,
Temperet aut pluvius qui culta novalia ventus.
Sed nec magno opus est frugi viventibus, et cum
Maxima proveniunt, non amplo in gaudia censu
Solvimur, inque lucrum studio exultamus avaro.

si statua Termini illic stetit, quam veteres idololatræ solebant involvere fasciis, et placare pulmone gallinæ, frangunt, et aspernantur Terminum, cum nullas ipsi mactent victimas: ii cædunt securi ultrici arbores vittatas, quibus lucernæ ardentes affixæ erant. Nec tamen aut messis agrorum, aut læta temperatio aëris puri, aut ventus pluvius, qui temperet arva culta, ideo minor est. At viri probi non egent multis, et, cum adest fertilitas, ampla fortuna non effert lætitia Christianos, et

Weitz. Gif. Ind. Lucr. p. 366.—1010 *Servebat* W.—1013 *Temperat aut pluviis* Weitz.—1014 *venientibus* W. in marg.—1024 *acie* Weitz. W. superscr. *aciem*

NOTÆ

mine, sive lapis, sive es defossus in agro Stipes, ab antiquis tu quoque numen habes.' Et Tibull. Eleg. I. 1. 'Nam veneror, seu stipes habet desertus in agris, Seu vetus in trivio florida serta lapis.' In nummis tamen gentis Calphurniæ, quæ originem a Numa ducebat, modo caput Termini expressum est, modo integrum simulacrum.

1007 *Cingere Fasciolis*] Terminales lapides floribus fasciisque donavit antiquitas, tanquam judices et arbitros finium, ac proinde pacis et amicitiæ custodes. Sicul. Flacc. de Condition. Agror. 'Cum Terminos disponerent, ipsos quidem lapides in solidam terram collocabant, proxime ea loca quibus fossis factis defixuri eos erant, et unguento, velaminibusque, et coronis eos ornabant.'

Gallinæ pulmone] Neminem reperi, qui Prudentio astipularetur. Nam Ov. Fast. lib. II. ubi loquitur de Terminalibus, quæ fiebant 23. Februarii, quo nempe ita annum quoque terminare viderentur, immolari agnum Termino, seu suillam asserit: 'Spargitur et cæso communis Terminus agno: Nec queritur, lactens cum sibi porca datur.' Quod si Plutarcho credimus: Termino apud Romanos frugibus in ignem jactis, et favis, et vino litabatur.

1009 *Arbor vittata*] Ita Stat. lib. II. 'Ab arbore casta Nectent purpureas niveo discrimine vittas.'

Lucernas Servabat] Unde et Martial. Epig. X. 6. 'Quando erit illa dies, quo campus, et arbor, et omnis Lucebit Latia culta fenestra nuru.' Quod semper in more positum fuit apud antiquos. De novalibus Psych. vs. 213.

Nam quibus æternum spes informatur in ævum,
Omne bonum tenue est, quod præsens ingerit ætas.
O felix nimium sapiens, et rusticus idem,
Qui terras animumque colens, impendit utrisque
Curam pervigilem, quales quos imbuit auctor
Christus, et assumtis dedit hæc præcepta colonis:
Semina cum sulcis committitis, arva cavete
Dura lapillorum macie, ne decidat illic,
Quod seritur: primo quoniam præfertile germen
Luxuriat; succo mox deficiente, sub æstu
Sideris igniferi sitiens torretur, et aret.
Neve in spinosos incurrant semina vepres:
Aspera nam segetem surgentem vincula texunt,
Ac fragiles calamos nodis rubus arctat acutis.
Et ne jacta viæ spargantur in aggere grana,
Hæc avibus quia nuda patent, passimque vorantur,
Immundisque jacent fœda ad ludibria corvis.
His Deus agricolam confirmat legibus: ille
Jus cœleste Patris non summa intelligit aure:
Sed simul et cordis segetem disponit, et agri,
Ne minus interno niteant præcordia cultu,
Quam cum læta suas ostentant jugera messes.
Extirpamus enim sentos de pectore vepres,

amor avidus lucri non illos tenet. Nam omne bonum, quod hæc vita importat, est leve iis qui ponunt spem in ævo æterno. O nimium fortunatos homines, qui sunt simul sapientes et agricolæ, qui colentes et animum et terram, consumunt curam assiduam in utroque, qui similes sunt iis quos Christus auctor docuit, cum dedit hæc præcepta apostolis electis: Cum mandatis semen terræ, vitate agros duros macritudine petrarum, ne semen cadat super petras: nam primo germen fertile eminet: deinde vero succo deficiente, aridum ob ardores solis flammei exuritur et arescit. Ne semen cadat inter dumeta spinosa: nam spinæ acutæ compingunt segetem surgentem, et vepres coarctant nodis aculeatis teneros calamos. Denique ne semen missum cadat secus eminentiam viæ: nam illud detectum objicitur avibus, et passim devoratur, et est fœdo ludibrio immundis corvis. Deus instruit his præceptis agricolam: qui non audit divina monita Dei aure negligenti; sed præparat segetem et animi et agrorum, ne cor minus nitescat cultu interiore quam agri, cum flaventes ostendunt suas messes. Nam evellimus e corde spinas hispidas, ne virgæ malignæ

A.—1025 *primum* Weitz.—1035 *surda* T. pro var. lect.—1039 *Extirpemus* Ro.

NOTÆ

1022 *Dedit hæc præcepta colonis*] Nempe apud Matth. cap. XIII. Marc. IV. et Luc. VIII.

Ne vitiosa necent germen vitale flagella,
Ne frugem segetemque animæ spinosa malorum
Impediat sentis scelerum peccamine crebro,
Glarea ne tenuis jejunis siccet arenis
Marcentem sub corde fidem: ne pectoris æstus
Flagret, et effœtis urat charismata venis.
Denique ne jecoris detrita in parte relinquat
Vilis cura Deum: ne spem, qua vescimur intus,
Deserat, obscœnisque avibus permittat edendam,
Et projecta fides hosti sit præda volucri.
Talis nostrorum solertia centuplicatos
Agrorum redigit fructus: quibus acrius instat,
Nec metuit, ne congestum populetur acervum
Curculio, vel nigra cavis formica recondat.
Sunt et virginibus pulcherrima præmia nostris,
Et pudor, et sancto tectus velamine vultus,

suffocent germen vitale, ne frequentibus peccatis spinosa dumeta criminum noceant frugibus et segetibus cordis, ne terra tenuis siccis arenis siccet fidem languescentem sub corde, ne calor cordis ardeat et adurat dona Dei, venis exesis, denique ne studium sordidum terrenorum pellat Deum in contemtam partem jecoris, ne deserat spem, qua alimur intus, et det illam in cibum obscœnis volucribus, ita ut fides quoque projecta sit prædæ avibus infestis. Hæc cura adhibita colligit fructus centuplicatos nostrorum agrorum: quos colit diligentius, nec timet ne curculio corrodat cumulum collectum, aut atra formica abscondat in horrea subterranea. Nostræ virgines donantur eximiis præmiis; pudore scilicet, facie sancta, quæ velatur linteo, honore

2.—1042 *sentu* T. Ro. 1. *sentix* Weitz. Eg. W. Gif. Ind. Lucr. p. 367.—1048 *edendum* Vulg.—1051 *reddit* F. G. *redit* W. superscr. *acriter* Weitz.—1059 *seni*

NOTÆ

1041 *Segetemque animæ*] Hinc Basilius: 'Abscide virgulta spinarum de agro cordis tui, ne defigant in te altas radices. Scito quod cor tuum ager est Domini. Excole eum cœlestibus disciplinis, et non sinas in agro Domini seminare zizaniam.' De flagellis sup.

1042 *Glarea*] Minutissimi lapilli. Virg. Georg. II. 212. 'Nam jejuna quidem clivosi glarea ruris Vix humiles apibus casias roremque ministrat.' De charismatibus sup. Præf. Apoth. vs. 11.

1050 *Centuplicatos Agrorum redigit fructus*] Alludit ad illud loci citati: 'Alia autem ceciderunt in terram bonam: et dabant fructum, aliud centesimum,' &c.

1053 *Curculio*] Vermis frumenta corrodens: dictus quasi gurgulio. Virg. Georg. I. 185. 'Populatque ingentem farris acervum Curculio, atque inopi metuens formica senectæ.'

1055 *Tectus velamine vultus*] Paulus ad Corinth. 1. cap. XI. 'Omnis an-

Et privatus honos, nec nota et publica forma,
Et raræ tenuesque epulæ, et mens sobria semper,
Lexque pudicitiæ, vitæ cum fine, peracta.
Hinc decies deni rediguntur in horrea fructus,
Horrea nocturno non unquam obnoxia furi.
Nam cœlum fur nullus adit, cœlestia nunquam
Fraude resignantur: fraus terris volvitur imis.
Quæ nunc Vestalis sit virginitatis honestas,
Discutiam, qua lege regat decus omne pudoris.
Ac primum parvæ teneris capiuntur in annis,
Ante voluntatis propriæ quam libera secta,
Laude pudicitiæ fervens et amore Deorum,
Justa maritandi condemnet vincula sexus.

privato, pulchritudine ignota et abscondita, cœnis sobriis et frugalibus, mente semper libera, denique legibus castitatis durantibus usque ad finem vitæ. Deinde fructus centuplicati comportantur in granaria, quæ granaria nunquam sunt obnoxia latronibus nocturnis. Nam nullus latro intrat cœlum: fraus nunquam aperit tecta cœlestia: fraus versatur in terra inferiori. Nunc ostendam quæ sit laus pudicitiæ Vestalium; et qua lege servetur illud ornamentum castitatis. Primum Vestales parvæ sumuntur in primis annis, priusquam ipsarum voluntas inflammata pulchritudine castitatis et amore Deorum, rejiciat vincula legitima sexus muliebris.

NOTÆ

tem mulier orans aut prophetans non velato capite, deturpat caput suum,' &c. De velandis autem virginibus primi ævi Scriptores tam sæpe locuti sunt, ut inane esset ac supervacaneum iis immorari. Adi Tertullianum, quem his in rebus sequi mihi videtur Prudentius.

1065 *Teneris capiuntur in annis*] Lege enim cautum erat, ne qua annis vel sex minor, vel major decem legeretur, teste Labeone Antistio, 'Minorem quam annos sex, majorem quam annos decem natam, capi fas non erat.' Quid ita: ut certæ pudicitiæ et vitii expertes essent. Quare, meo quidem judicio, is locus facit ad intelligentiam nummi Juliæ Piæ, cum hac epigraphe: VESTA. Oiselius putat quatuor tantum cum duobus camillis adesse Vestales, quot ab initio a Numa institutæ fuerant. Sex vero, ni fallor, exhibentur hoc in nummo Vestales: quarum duæ adhuc recens electæ cærimonias, ritus, rationemque sacrorum discunt. Nemo autem ignorat ad senarium numerum auctas fuisse, 'ut populus,' ait Festus, 'quia civitas Romana in sex erat distributa partes, pro sua quisque parte haberet ministram sacrorum.' Id enim aperte scribit Dionys. lib. II. 'Virgines, quæ Deæ sacris operabantur, quatuor erant ab initio; et jus eas capiendi penes reges esse Numa voluit: postea tamen propter sacrificiorum multitudinem ad senarium numerum auctæ,' &c.

1067 *Amore Deorum*] Eodem modo Vestales carpit Ambros. lib. II. adv. Symm. 'Non est virginitas quæ pretio emitur, non virtutis studio possidetur. Non est integritas, quæcumque tanquam in auctione nummario ad tempus elicitatur compendio.'

Captivus pudor ingratis addicitur aris:
Nec contemta perit miseris, sed ademta voluptas
Corporis intacti: non mens intacta tenetur.
Nec requies datur ulla thoris, quibus innuba cæcum
Vulnus, et amissas suspirat fœmina tædas.
Tum, quia non totum spes salva interficit ignem:
Nam resides quandoque faces adolere licebit,
Festaque decrepitis obtendere flammea canis,
Tempore præscripto membra intemerata requirens,
Tandem virgineam fastidit Vesta senectam.
Dum thalamis habilis tumuit vigor, irrita nullus
Fœcundavit amor materno viscera partu.
Nubit anus veterana, sacro perfuncta labore,
Desertisque focis, quibus est famulata juventas,
Transfert emeritas ad fulcra jugalia rugas,
Discit et in gelido nova nupta tepescere lecto.
Interea dum torta vagos ligat infula crines,

Virginitas captiva immolatur aris ingratis; et infelices Vestales non fruuntur voluptate corporis, quod servant intactum, non quod eam contemnant, sed quod non liceat frui. Hinc cor impurum est; et nullam capiunt quietem in lectis, in quibus virgines appetunt amorem insanum, et jus connubii amissum. Nam, quia spes remanet, amor impudicus non omnino extinguitur. Et sane fas erit aliquando inire nuptias frigidas, et obtendere capillis senilibus diem matrimonii. Vesta, quæ requirit per tempus præscriptum Sacerdotes virgines, tandem respuit Vestalem vetulam. Dum juventus apta ad matrimonium viguit, nullus amor fœcundavit partu materno uterum vacuum. Vix autem Vestalis veterana perfuncta est sancto labore, tum nubit, relicto igne, quem servavit per juventutem. Illa transfert rugas veteranas ad lectum conjugalem, et nova nupta discit tepescere in lecto frigido. Vestalis virgo per tempus, per quod constringit tæniis contortis capillos

Vulg.—1068 *condemnat* A. F. *contemnet* W.—1070 *contenta* A.—1079 *Cum* Weitz.—1082 *juventa* Weitz. *juventus* G. W. B. superscr.—1084 *ingelido* Gif. Ind.

NOTÆ

1081 *Nubit anus*] Nempe anno 37. aut 40. Nam non nisi 30. annos obligabantur, et post id tempus licitum erat nubere. Dionys. 'Tempus tricennale manere eas oportet, castas et a nuptiis vacuas, sacra ex more facientes. Quo tempore decem annos discere debent, decem sacris operari, decem docere.'

1083 *Emeritas rugas*] Alludit ad emeritos milites, qui militia perfuncti, ab eaque absoluti, vacationem habebant. Forte tamen 'emeritas rugas' eodem sensu dixit, quo Martialis, 'emeritos annos,' i. e. effœtos. 'Emeritos Musis et Phœbo tradidit annos.' De fulcris sup. Hamart. vs. 330. De infula sup.

Fatalesque adolet prunas innupta sacerdos,
Fertur per medias, ut publica pompa, plateas,
Pilento residens molli, seque ore retecto
Imputat attonitæ virgo spectabilis urbi.
Inde ad consessum caveæ, pudor almus, et expers
Sanguinis it pietas: hominum visura cruentos
Congressus, mortesque, et vulnera vendita pastu
Spectatura sacris oculis. Sedet illa verendis

fluitantes, et alit ignem fatalem, fertur, ut pompa publica, per medios vicos, vecta in curru molli, et vultu detecto Vestalis spectabilis videtur arguere Romanos attonitos, dum iis se ostendit. Deinde virgines sanctæ, dicatæ Deo, et expertes sanguinis eunt ad conventum theatri, ut videant cruentas pugnas gladiatorum, et inspicientes pascant sacros oculos morte et plagis factis pretio. Vestales insignes ve-

Lucr. p. 365.—1089 *expectabilis* Weitz.—1106 *tristibus* F.—1110 *quatiunt* W.

NOTÆ

1087 *Ut publica pompa*] Idem Ambros. loc. cit. ‘En totus numerus, quem infulæ vittati capitis, purpuratarum vestium murices, pompa lecticæ ministrorum circumfusa comitatu, privilegia maxima, lucra ingentia, præscripta denique pudicitiæ tempora coëgerunt.’ Uterque autem tangit morem Romanum, cum Dii quotannis Circensium diebus in carpentis traducebantur. Unde Plaut. in Mil. ‘ut te hodie quasi pompam illac prætenducerem.’

1088 *Pilento residens molli*] Apud Ambros. Vestales Lectica vehuntur, ‘pompa lecticæ ministrorum circumfusa comitatu.’ Sed uterque minus accurate locutus est; ac Prudentius respexit hunc locum Virg. VIII. 665. ‘Castæ ducebant sacra per urbem Pilentis matres in mollibus.’ Constat enim ex Tac. Ann. l. XII. Carpento usas fuisse: ‘Suum quoque fastigium Agrippina altius tollere, carpento Capitolium ingredi: qui mos sacerdotibus et sacris antiquitus concessus, venerationem augebat fœminæ.’

Pilento molli] I. e. pensili, interprete Servio. Unde puto pilentum tectum fuisse superne et cameræ in modum, atque a carpento in eo tantum diversum, quod esset pensile. Et sane Isidor. illud describit tanquam contextum quatuor rotis vehiculum.

1089 *Imputat*] ‘Objicit, ostenditque ignominiose, et quasi eo ipso urbem impensæ perditæ coarguens;’ inquit Giselinus. Quo sensu Suet. in Tib. cap. 53. ‘Imputavit etiam, quod non laqueo strangulatam in Gemonias abjecerit.’ De cavea sup. Sym. I. 384.

1090 *Ad consessum caveæ*] Arnob. adv. Gent. lib. IV. ‘Sedent et in spectaculis publicis sacerdotum omnium magistratuumque collegia, Pontifices maximi, et maximi Curiones . . . . . necnon et castæ Virgines, perpetui nutrices et conservatrices ignis.’

1092 *Vulnera vendita*] De his fuse egimus in Hamartig. vs. 360.

Vittarum insignis phaleris, fruiturque lanistis.
O tenerum mitemque animum! consurgit ad ictus:
Et, quoties victor ferrum jugulo inserit, illa
Delicias ait esse suas, pectusque jacentis
Virgo modesta jubet converso pollice rumpi;
Ne lateat pars ulla animæ vitalibus imis,
Altius impresso dum palpitat ense secutor.
Hoc illud meritum est, quod continuare feruntur
Excubias, Latii pro majestate Palatî;

rendis ornamentis vittarum sedent, et oblectantur sanguine gladiatorum. O corda tenera et mansueta! Illæ virgines modestæ consurgunt ad ictus: et, quoties victor immittit ensem in jugulum victi, dicunt hisce oblectari, et verso pollice jubent victorem transfodere latus victo: ne ulla pars animæ lateat in imis visceribus, dum secutor victus palpitat ense altius immisso. Hoc illud merentur, quod dicantur vigilare

NOTÆ

1094 *Vittarum*] Propria Vestalium insignia. Dionys. 'Licet nubere, post annos impletos, sed depositis vittis, et quæ alia sunt sacerdotii insignia.' Ambros. 'Infulæ vittati capitis, purpuratarum vestium murices,' &c. Quare Ovidius ingeniose de Ilia jam compressa: 'Decidit ante sacros lanea vitta focos.' Quasi non jam Vestalis, amissa virginitate, nec dignanda illis insignibus.

1094 *Lanistis*] Lanistæ quidem principes erant ac magistri gladiatorum, quibus veluti laniandis præerant, et quos erudiebant. Hic tamen pro ipsismet gladiatoribus sumitur Lanista, sed 'parum proprie, immo imperite,' inquit Lips. Sat. lib. I.

1098 *Converso pollice rumpi*] Antiquitus in pollice favoris erat et studii significatio, ita ut, qui faveret, pollicem premeret: qui minus faveret, pollicem converteret. Conversus ergo retro pollex signum erat occidendi gladiatoris, qui succubuerat, Juv. Sat. III. 36. 'Munera nunc edunt, et verso pollice vulgi Quemlibet occidunt populariter.' Et poëta vetus: 'Sperat et in sæva victus gladiator arena, Sit licet infesto pollice turba minax.'

1099 *Ne lateat pars ulla*] Belle furorem hunc tangit Lactant. lib. VI. 'Quæro nunc an possint pii et justi homines esse, qui constitutos sub ictis mortis ac misericordiam deprecantes, non tantum patiuntur occidi, sed efflagitant. Irascuntur etiam pugnantibus, nisi celeriter e duobus alter occisus est.'

1100 *Secutor*] Inter gladiatores secutor dicitur is, qui adversus retiarios pugnabat, ut testatur Isidor. XVIII. 55. 'Secutor est ab insequendo retiarium dictus. Gestabat enim cuspidem et massam plumbeam, quæ adversarii jaculum impediret, ut antequam ille feriret rete, iste superaret. Hæc armatura sacrata erat Vulcano. Ignis enim semper insequitur; ideoque cum retiario componebatur, quia ignis et aqua semper inter se inimica sunt.' Illius autem mentio multa est. Cic. ad Attic. lib. VII. 'Secutorum in ludo duo millia fuerunt.' Juv. Sat. VIII. 'Cum Graccho jussus pugnare secutor.' Dio in Commodo: 'Usus est armatura eorum, qui secutores dicuntur.'

1102 *Excubias*] Idem docet Sen.

Quod redimunt vitam populi, procerumque salutem:
Perfundunt quia colla comis bene, vel bene cingunt
Tempora tæniolis, et licia crinibus addunt?
Et quia subter humum lustrales testibus Umbris
In flammam jugulant pecudes, et murmura miscent:
An quoniam podii meliore in parte sedentes

perpetuo pro dignitate imperii Romani: quod redimunt vitam populi, et vitam Senatorum; quod concinne obtegant humeros capillis, quod belle cingant caput tæniis, et illigent comam filis, quod subter terram, Diis testibus, consumant igne victimas lustrales, et proferant verba; vel quod sedentes in superiore loco theatri spectent,

NOTÆ

de Provid. cap. 5. 'Quid porro? non est iniquum nobilissimas Virgines ad sacra facienda noctibus excitari, altissimo somno inquinatas frui.' Et Val. Max. I. 1. 'Adjiciendum his, quod P. Licinio Pontifici maximo virgo Vestalis, quia quadam nocte parum diligens æterni ignis custos fuisset, digna visa est, quæ flagro admoveretur.' Ex quibus colligere est singulas per vices ivisse, et suis noctibus dumtaxat excubasse.

Latii pro majestate] Alterum enim Vestalium munus erat, arcanum imperii pignus asservare. Liv. l. XXVI. 'Vestæ ædem petitam, et æternos ignes, et conditum in penetrali fatale imperii pignus.'

1103 *Quod redimunt*] Pro quo diu noctuque sacra faciebant assidua. Forte tamen etiam alludit ad id quod scribit Plut. 'Quod si reo, ad supplicium qui ducitur, fortuitu factæ sint obviæ, is pœnæ liberatur. Oportet autem jurare, a casu, non a consilio, fuisse hunc occursum.'

1104 *Perfundunt quia colla comis bene*] Capillos Vestalium in spiras quasdam plexos et divisos, tum vittis illigatos, a tergo annulatim dependisse statuæ ipsæ demonstrant.

1105. *Licia*] Fila, quibus utrimque ligantur stamina.

1106 *Subter humum*] Quod Vestam crederent Terram esse: cujus sacra, ut inscrutabilem terræ profunditatem exprimerent, gravi premebantur silentio, atque subter humum peragebantur.

Testibus Umbris] Veteres putabant adesse numina ante aras et focos. Ov. Fast. VI. 305. 'Ante foces olim longis considere scamnis Mos erat: et mensæ credere adesse Deos.' De murmure sup. Apoth. vs. 477.

1108 *Podii*] Podium, pars muri projectior et prominentior, ante imum spectaculorum gradum: cui columnæ impositæ cum epistyliis ad ornatum, sive ad innixum. Vitruv. v. 7. 'Podii altitudo, ab libramento pulpiti cum corona et Lysi, duodecima orchestræ diametri. Supra podium, columnæ cum capitulis et spiris, altæ quarta parte ejusdem diametri.' Ad hoc podium, spectare soliti primi e Senatu. Juv. 'Et Capitolinis generosior, et Marcellis, Et Catulis, Paulisque minoribus, et Fabiis, et Omnibus ad podium spectantibus.'

Meliore in parte sedentes] Suet. in Aug. cap. 44. 'Fœminis ne gladiatores quidem, quos promiscue spectari solenne olim erat, nisi ex superiore loco spectare concessit. Solis virginibus Vestalibus locum in theatro separatim, et contra Prætoris tribunal, dedit.'

Spectant, æratam faciem quam crebra tridenti
Impacto quatiant hastilia, saucius et quam
Vulneribus patulis partem perfundat arenæ,
Cum fugit, et quanto vestigia sanguine signet?
Quod genus ut sceleris jam nesciat aurea Roma,
Te precor, Ausonii dux augustissime regni,
Et tam triste sacrum, jubeas, ut cetera, tolli.
Perspice, nonne vacat meriti locus iste paterni,
Quem tibi supplendum Deus, et genitoris amica
Servavit pietas? solus ne præmia tantæ
Virtutis caperet, Partem tibi, nate, reservo,
Dixit, et integrum decus intactumque reliquit.
Arripe dilatam tua, dux, in tempora famam,
Quodque patri superest, successor laudis habeto.
Ille urbem vetuit taurorum sanguine tingi:
Tu mortes miserorum hominum prohibeto litari.

quam crebra hastilia fuscinæ immissæ feriant caput armatum Secutoris, quam patulis vulneribus secutor vulneratus respergat arenam, cum fugit, et quanto sanguine notet sua vestigia. O Imperator augustissime imperii Romani, a te peto ut Roma nobilis non inquinet se hoc genere criminis. Jube hanc cruentam cærimoniam aboleri, ut aliæ jam abolitæ sunt. Vide id deesse meritis tui patris: Deus, et amor paternus Theodosii hoc tibi servavit supplendum? Is enim ne solus perciperet fructum tantæ virtutis, O fili, inquit, tibi reservo partem aliquam: et sane reliquit illud decus integrum et intactum. O Imperator, acquire gloriam dilatam in tua tempora, et successor laudis paternæ collige id, quod pater reliquit. Ille jussit Romam non maculari in sacrificiis sanguine taurorum: tu vero jube deleri spectacula, in

—1122 *patris* F. G. B.

NOTÆ

1109 *Æratam faciem*] Quæ verba denotant Prudentium ea fuisse opinione, Secutorem cum Myrmillone eundem esse: is enim totus erat in armis.

Tridenti Impacto] Retiarii enim, de quibus hic agit Prudentius, rete jaculo et fuscina erant armati. De Auson. sup. Apoth. vs. 380.

1114 *Dux augustissime regni*] Honorium alloquitur, rogatque ut theatricam gladiatorum lanienam interdicat.

1123 *Taurorum sanguine tingi*] Theodosius quidem, ut jam monui, post necem Maximi paganorum cærimonias et sacrificia aboleri jussit.

1124 *Tu mortes miserorum hominum prohibeto litari*] Eo quod Honorius imprudens restituisset sæculares ludos, et tot Christianorum Imperatorum legibus vetita gladiatorum cruenta munera; ea tamen lege, ut ritibus Gentilitiis non peragerentur. At paulo post, teste Theodoreto, omnino sustulit: ‘ Cujus rei hæc fuit occasio: Proficiscebatur ab Oriente Telemachus quispiam qui in religione soli-

Nullus in urbe cadat, cujus sit pœna voluptas,
Nec sua virginitas oblectet cædibus ora.
Jam solis contenta feris infamis arena,
Nulla cruentatis homicidia ludat in armis.
Sit devota Deo, sit tanto principe digna,
Et virtute potens, et criminis inscia Roma,
Quemque ducem bellis sequitur, pietate sequatur.

quibus tot miseri homines immolantur. Nemo interficiatur Romæ, cujus mors sit aliis voluptati, nec Vestales pascant suos oculos mortibus. Infamis arena theatri jam contenta solis belluis, nemini per jocum afferat interitum ferro crudeli. Roma sit devota Deo, sit digna tanto Imperatore, sit potens virtute, et inscia criminis; et sequatur pietate Imperatorem, quem sequitur ducem in bello.

1131 *belli* Weitz.

NOTÆ

taria vita exerceretur, venitque ita Romam, ubi forte abominandum spectaculum istud edebatur; descendit tum et ipse in circum, ac dirimere concursum, et infesta arma tentavit. At spectatores cædis, furore perciti sitientis cruorem dæmonis, lapidibus obruunt moderatorem pacis. Hac re cognita, rex mirificus hunc quidem inter victores Martyres referri, illud vero nefarium spectaculum intermitti imperavit.'

1125 *Sit pœna voluptas*] Voluptas dicta de spectaculis peculiari significato. Sen. Epist. 18. loquens de spectaculis: 'Nam quod fieri nisi in tumultu et tristi tempore civitatis non solet, voluptatis causa, et festorum dierum vestem mutavimus.' Cassiod. Epist. v. 42. 'Ludum crudelem et sanguinariam voluptatem.'

LIBRORUM CONTRA SYMMACHI ORAT. FINIS.

AURELII PRUDENTII
CLEMENTIS
DIPTYCHON†
UTRIUSQUE TESTAMENTI.

TESTAMENTUM VETUS.

Libellum hunc, quem nonnulli Prudentio abjudicant, genuinum ejus fœtum esse, eique hunc titulum assignandum, ostendimus in Præf. c. 2.

I. Adam et Eva.

Eva columba fuit tunc candida; nigra deinde
Facta, per anguineum malesuada fraude venenum,
Tinxit et innocuum maculis sordentibus Adam:
Dat nudis ficulna draco mox tegmina victor.

Eva fuit tum columba alba: postea facta est nigra dolis serpentis venenati impellentibus ad malum; et Adamum innocentem inquinavit turpibus maculis peccati. Deinde serpens victor dat ipsis nudis vestem ficulneam. Deus accipiens victimas

---

† *Enchiridion* Delph. *Dirocheum* Bodl.—1 *tum* Vulg.—2 *anguinum* A. F. P. —4 *Mox draco dat nudis ficulnea tegmina victor* Vat. un.—13 *hoc* deest Vat. un.

NOTÆ

† *Diptychon* [*Enchiridion*] Exiguus quivis libellus, ita dictus quod ad manum semper haberi debeat, sive quod manu nullo negotio possit circumferri. Διττοχαῖον Græce, a duplici veluti cibo appellatur: nam διττὸς duplex, et ὀχὴ cibus; vel, ut contendit Giffanius, δίπτυχον.

Enchiridion] Nonnulli, quod enchiridion cultius aliis operibus videatur, Amœno cuidam ignoto priscis poëtis cum Georgio Fabricio tribuerunt: aut Sedulio cum Joanne Sichardo; Giselinus tamen ex fide Mss. codicum et excusorum, quos quidem viderat, Aurel. Prudent. asseruit post Gennadium, qui id aperte profitetur. Addit deinde stylum, verba, sententias, phrases, allegorias, traductiones, omnia denique Prudentium sapere, redolere, loqui.

II. ABEL ET CAIN.

Fratrum sacra Deus nutu distante duorum
Æstimat, accipiens viva, et terrena refutans.
Rusticus invidia pastorem sternit: in Abel
Forma animæ exprimitur: caro nostra in munere Cain.

III. ARCA NOE.

Nuntia diluvii jam decrescentis ad arcam
Ore columba refert ramum viridantis olivæ:
Corvus enim ingluvie per fœda cadavera captus
Hæserat: illa datæ revehit nova gaudia pacis.

IV. ILEX MAMBRÆ.

Hospitium hoc Domini est, ilex ubi frondea Mambræ

viventes, et spernens fructus terræ, ponderat modo dissimili sacrificia duorum fratrum. Agricola invidus interficit pastorem. Abelus adumbrat nostram animam: munus vero Caini nostram carnem. Columba nuntia diluvii jam decedentis refert in ore ad arcam ramum viridem olivæ; nam corvus allectus libidine gulæ remanserat per putrida corpora. Columba vero affert nova gaudia pacis datæ. Ecce domicilium Dei, ubi quercus patula Mambre occultavit ramis ovile senis

NOTÆ

6 *Accipiens viva, et terrena refutans*] Genes. cap. IV. Sed 'unde scire poterat Cain,' inquit Hieron. 'quod fratris sui munera suscepisset Deus, et sua repudiasset, nisi illa interpretatio vera esset, quam Theodotion posuit? Et Deus inflammavit super Abel, et super sacrificium ejus; super Cain vero, et super sacrificium ejus non inflammavit.'

10 *Columba refert ramum*] Genes. cap. IX. Non male quis credidit fuisse palumbem, quod a columbis alienum est in arboris ramo consedere.

11 *Corvus Hæserat*] Nam verum est non reversum Corvum in arcam, sicut mox columba reversa est, et in arcam immissa, sed mansisse foris, sive defixum in cadavere aliquo fluitante, ut August. Chrysost. et Rupert. censuere, sive supra tectum arcæ quiescendo.

13 *Hospitium Domini*] Multi enim putant Abrahamum tunc non Angelos, sed Deum ipsum hospitio excepisse. Unde S. August. contra Max. III. 26. vult Abrahamum in his tribus agnovisse Trinitatem. 'Tres vidit; et unum adoravit, quod canit Ecclesia.'

Ilex] Apparet ex cap. XVIII. Genes. ad patulam quandam arborem affixas fuisse Abrahami sedes: 'Afferam,' inquit, 'pauxillum aquæ, et lavate pedes vestros, et requiescite sub arbore.' Ilex autem, arbor glandifera, e genere quercuum.

Mambræ [*Mambre*] Mambre convallis Palæstinæ, quæ et Terebinthi, teste Josepho, non longe ab Hebron.

Armentale senis protexit culmen: in ista
Risit Sarra casa, sobolis sibi gaudia sera
Ferri, et decrepitum sic credere posse maritum.

v. Monumentum Sarræ.

Abraham mercatus agrum, quo conderet ossa
Conjugis, in terris quoniam peregrina moratur
Justitia atque fides: hoc illud millibus emtum
Spelæum, sanctæ requies ubi parta favillæ est.

vi. Somnium Pharaonis.

Bis septem spicæ, vaccæ totidem Pharaoni
Per somnum visæ, portendunt, dispare forma,
Uberis atque famis duo per septennia tempus
Instare: hoc solvit Patriarcha, interprete Christo.

vii. Joseph a Fratribus agnitus.

Venditus insidiis fratrum puer, ipse vicissim

Abrahami. Sara risit in hac domo, quod gaudium partus seri ipsi annuntiaretur, et quod maritus senex crederet id possibile. Abrahamus emit campum, in quo sepeliret cineres uxoris: nam probitas et virtus sunt peregrinæ in terra. Hoc antrum, ubi sancti cineres habent requiem, fuit emtum magno pretio. Quatuordecim spicæ, et quatuordecim vaccæ, quas Pharao dormiens vidit, præsagiunt specie tam dissimili tempus fertilitatis per septem annos, et sterilitatis per totidem imminere. Patriarcha Josephus, Deo interprete, illud explicat. Josephus puer venditus fuit insidiis fratrum suorum, sed is vicissim jubet scyphum suum clam

—14 *prætexit* Weitz. Gold. superscr. sed inf. *pertexit.*—17 *mercatur* Weitz. *cui* Eg.—18 *moratus* P.—21 *et vaccæ* Weitz. Gold. H. quatuor vss. desunt

NOTÆ

15 *Risit*] Reprehensa est Sara ridens, quia ex incredulitate quadam risit; sciebat enim verisimiliter virum suum hac de re divinitus fuisse edoctum.

17 *Mercatus agrum*] Is locus fuit spelunca duplex, quam possidebat in terra Chanaan Ephron filius Seor Hethæus.

19 *Millibus emtum*] Quadringentis scilicet argenti siclis, qui, si ad nostratem pecuniam reduxeris, conficient 550. Francos, quoniam siclus semiuncia est argenti, Genes. cap. xxiii. De somnio Pharaonis adi hymn. ante somn.

25 *Venditus*] Unusquisque hanc Genes. cap. xxxvii. historiam apprime novit: id unum addo Josephum venditum viginti argenteis siclis, qui juxta initam supputationem conficiunt 27. Francos Gallicos. Legimus quidem apud testamentum Patriarcharum Gadum cum Juda vendidisse fratrem 30. aureis, 'de quibus,' inquit, 'subtraximus furtim decem,

Cratera in fratris sacco clam præcipit abdi.
Utque reos furti Joseph tenet, auctio fallax
Proditur, agnoscunt fratrem, veniaque pudescunt.

VIII. IGNIS IN RUBO.

Sentibus involitans Deus igneus ore corusco
Compellat juvenem, pecoris tunc forte magistrum.
Ille capit jussus virgam: fit vipera virga.
Solvit vincla pedum: properat Pharaonis ad arcem.

IX. ITER PER MARE.

Tutus agit vir justus iter, vel per mare magnum.
Ecce Dei famulis scissim freta rubra dehiscunt;
Cum peccatores rabidos eadem freta mergant.
Obruitur Pharao: patuit via libera Moysi.

X. MOYSES ACCIPIT LEGEM.

Fumat montis apex divinis ignibus, in quo
Scripta decem verbis saxorum pagina Moysi

abscondi in sacco fratris Benjamin. Dum Josephus arguit fratres suos furti, doli fallaces deteguntur; agnoscunt Josephum, et pavent quod ignoscat. Deus igneus, et decorus vultu vocat, dum volitat inter spinas, Moysem juvenem tunc forte pastorem gregis. Hic jussus apprehendit manu virgam, quæ mutatur in serpentem; solvit calceamenta de pedibus; petit domum Pharaonis. Moyses vir probus incedit securus per ipsum ingens mare; ecce aquæ maris Rubri divisæ accipiunt sinu servos Dei, cum eædem aquæ absorbent Ægyptios furiosos. Pharao summergitur; Moyses invenit aditum apertum. Caput montis, ubi tabulæ lapideæ inscriptæ decem præceptis dantur Moysi, fumat ignibus cælestibus. Moyses postquam accepit

Eg.—23 *dum per* B.—26 *Craterem* Vat. nn. *Crateram* Weitz. *farris* Vat. duo, Weitz.—27 *actio* W. Vat. duo.—28 *venique* F. *veniamque petiscunt* Vat. un.—

NOTÆ

viginti autem ostendimus fratribus nostris;' sed id nec verisimile est, nec Hieronymo arridet.

29 *Sentibus*] Semel atque iterum de illa Moysis visione ex cap. Exod. III. deducta egimus supra, præcipue vero Hymno 5. Cathem.

30 *Pecoris magistrum*] Moyses quadraginta annis vixit in aula Pharaonis: aliis quadraginta pastorem egit in Midian: ultimis quadraginta pastor fuit, et dux populi.

38 *Decem verbis*] Tota Dei lex decem præceptis, quæ vigent adhuc in nova lege, contenta erat, et explicita. In primam quidem tabulam tria tantum præcepta retulerat Deus, in alteram septem reliqua. De vitulo aureo in Apoth. vs. 324.

Traditur: ille suos suscepta lege revisit:
Forma sed his vituli solus Deus, et Deus aurum.

XI. Manna et Coturnices.

Panibus angelicis albent tentoria patrum.
Certa fides facti: tenet urceus aureus exin
Servatum Manna: ingratis venit altera nubes,
Atque avidos carnis saturat congesta coturnix.

XII. Serpens Æneus in Eremo.

Fervebat via sicca eremi serpentibus atris:
Jamque venenati per livida vulnera morsus
Carpebant populum: sed prudens ære politum
Dux cruce suspendit, qui virus temperet, anguem.

legem, redit ad Israëlitas; sed populus nullum alium Deum adorat, quam figuram vituli et aurum. Tabernacula nostrorum majorum albescunt pane Angelorum: testimonium hujus miraculi est verum. Hinc vas aureum continet Manna servatum. Copia alterius cibi immittitur ingratis Israëlitis, et coturnices accumulatæ explent satietatem eorum cupidorum carnis. Iter aridum eremi redundabat sævis serpentibus; et morsus pestiferi jam immittebant in populum venenum per vulnera livida; sed Moyses ductor providus tollit in crucem serpentem æneum, qui medeatur ve-

34 *sensim* B.—35 *rapidos* A.—40 *vitulis* Eg.—45 *Aspide sicca malo via defervebat eremi* A.—46 *vulnera livida* P.—48 *suspendit, virus ut temperet* Weitz.

NOTÆ

42 *Urceus aureus*] Vas minime grande: unde Hor. de arte poët. 'Amphora cœpit Institui, currente rota cur urceus exit;' et Caei. Matius apud Gell. 'Certe aquarium urceum unicum domi fregit.'

Tenet exin] Id Deus ipse præceperat: 'Sume vas unum, et mitte ibi Man, quantum potest capere Gomor: et repone coram Domino, ad servandum in generationes vestras, sicut præcepit Dominus Moysi.' Exod. cap. XVI. Nondum enim hoc tempore erat tabernaculum, in quo postea panis ille cœlestis fuit repositus. De coturnic. in Cathem. vel potius consule cap. XI. Num.

48 *Anguem*] Deus in populum misit ignitos serpentes, quorum morsibus corpora inflammabantur carbunculis, et febri ardente concepta. Sed a Moyse exoratus jubet fieri serpentem æneum, et in signum elevari, ut eo conspecto ægri a serpentibus sanarentur. Ad quæ sapiens alludens loquitur de dominica cruce, in qua non verus, sed ad extremam tantum speciem peccator pendebat. Num. cap. XXI.

XIII. Lacus Myrrhæ in Eremo.

Aspera gustatu populo sitiente lacuna
Tristificos latices stagnanti felle tenebat.
Moyses sanctus ait: Lignum date, gurgitem in istum
Conjicite: in dulcem vertentur amara saporem.

XIV. Helim Lucus in Eremo.

Devenere viri Moysi duce, sex ubi fontes,
Et sex forte alii vitreo de rore rigabant
Septenas decies palmas: qui mysticus Helim
Lucus Apostolicum numerum libris quoque pinxit.

XV. Duodecim Lapides in Jordane.

In fontem refluo Jordanis gurgite fertur,
Dum calcanda Dei populis vada sicca relinquit.

neno. Hebræis sitientibus lacus acerbus gustui habebat aquas amaras ob amaritiem insitam. Moyses pius inquit, Afferte hoc lignum, et conjicite in illum lacum; aquæ amaræ mutabuntur in dulcem liquorem. Moyse ductore Hebræi advenerunt in locum, ubi duodecim fontes forte alluebant undis puris septuaginta palmas. Hæc sylva mystica Helim adumbravit etiam arboribus numerum Discipulorum Christi. Jordanis agit in caput suas aquas refluas, dum deserit alveum exsicca-

Vat. un.—51 *gurgite in isto* Vat. un.—52 *in dulces v. a. sapores* B. *et in dulces v. a. sapores* superscr.—55 *Ælim* Eg. *Elim* Gold. E.—56 *Locus* Eg.—58 *po-*

NOTÆ

50 *Tristificos latices*] Deserti Sur, sive Ethan, [per] quod populus Dei iter arripuerat, aquas intelligit, quæ adeo insuaves erant et amaræ, ut Moyses huic loco Mara nomen imposuerit. Cujus autem ligni virtute in dulcedinem versæ fuerint, vide Hymn. 5. Cathem. et cap. xv. Exod.

55 *Septenas decies palmas*] Philo lib. III. 'Atque ita pervenerunt in stationem secundam,' a transitu scilicet maris Rubri, nam ab Ægypto sextam, 'aquam habentem et arbores, cui nomen Helim erat, riguam duodecim fontibus, apud quos erant septuaginta palmæ ramosæ ac virentissimæ, bonum omen genti afferentes.' Et supra, 'ad hunc modum extincta siti voluptas geminata contigit; quandoquidem quoties præter spem incidit, majorem affert voluptatem.'

Helim] Helis locus est Palæstinæ, *Bebbu* nunc dictus, teste Postello.

56 *Apostolicum numerum*] Possunt et ipsi Discipuli Apostoli vocari, cum tum a Deo, tum ab Apostolis missi fuerint ad annuntiandum variis populis Christi Evangelium: ἀπόστολος enim redditur Latine missus, seu nuntius.

Testes bis seni lapides, quos flumine in ipso
Constituere patres, in formam discipulorum.

XVI. Raab Meretrix.

Procubuit Hiericho: sola stant atria Raab.
Hospita sanctorum meretrix (tanta est fidei vis)
Incolumi secura domo spectabile coccum
Ignibus adversis in signum sanguinis offert.

XVII. Samson Leonem necat.

Invictum virtute comæ leo frangere Samson

tum, ut populus Dei eum calcet. Duodecim lapides, quos duodecim viri posuerunt in fluvio ipso, adumbrantes Apostolos, testantur illud. Hiericho corruit; una domus Raab perstat. Hæc meretrix hospita Israëlitarum exploratorum, tuta quod domus non corruerit, tanta est virtus fidei, offert gentibus inimicis funiculum coccineum visibilem in signum salutis. Leo invadit Samsonem invictum virtute capillorum,

pulus W.—60 *ad formam* F. Eg. B. superscr.—63 *Incolumis* Gold. Vat. un. a

NOTÆ

59 *Testes bis seni lapides*] Josue filius Nun, e tribu Ephraim, populum, siccato Jordanis alveo, in Chananæam traduxit. Ingressis porro Sacerdotibus, et cum arca in medio Jordanis alveo stantibus, donec omnia complerentur, jussit Dominus eligi duodecim viros, qui totidem lapides de medio Jordane tollerent, quos in proximo castrorum loco, qui Galgala dictus est, in monumentum constituerent, essentque quasi trophæa singulis tribubus de superato Jordane. 'Alios quoque duodecim lapides posuit Josue in medio Jordanis,' in alterum acervum monumenti, 'et sunt ibi,' ait Scriptura, 'usque in præsentem diem.' Jos. cap. III.

61 *Procubuit Hiericho*] Clangentibus tubis, et exercitu vociferante muri illico corruerunt. Adi lib. Jos. cap. VI.

Raab] Ea fuit vel cauponaria, vel, ut communior est sententia, meretrix; sic enim sæpe a Scriptura vocatur, cum tamen ea vox, et quæ illi Græca et Hebræa respondet, semper in deteriorem partem sumatur.

63 *Spectabile coccum*] Nam exploratores, quos hospitio exceperat Raab, mortem sibi a Deo imprecati fuerant, nisi consulerent tum ipsius, tum parentum saluti modo funiculum coccineum e fenestra, ex qua demissi fuerunt, suspenderet. Atque agnito tutelari symbolo, domus universa in tuto fuit, et ab omni injuria libera. Jos. cap. II.

65 *Virtute Comæ*] Ut ipsemet fassus est Delilæ: 'Si rasum fuerit caput meum, recedet a me fortitudo mea, et deficiam, eroque sicut ceteri homines.' Lib. Judic. cap. XVI. Fortitudinem Samsonis fuisse qualitatem supernaturaliter membris illius inditam, sed a capillis, tanquam a

Aggreditur: necat ille feram: sed ab ore leonis
Mella fluunt: maxilla asinæ fontem vomit ultro,
Stultitia exundat lymphis, dulcedine virtus.

XVIII. SAMSON VULPES CAPIT.

Tercentum vulpes Samson capit, ignibus armat,
Pone faces caudis circumligat, in sata mittit
Allophylum, segetesque cremat: sic callida vulpis
Nunc heresis flammas vitiorum spargit in agros.

ut illum discerpat. Samson interficit leonem; sed mel manat ex ore leonis: fons vero ultro oritur ex maxilla asini. Dementia affluit aquis, virtus dulcedine. Samson comprehendit trecentas vulpeculas, instruit ignibus, alligat retro ad caudas funalia, mittit ea in agros Philistæorum, et comburit fruges. Versuta vulpecula hæresis nunc disseminat ignem vitiorum per agros Christianorum. David erat juvenis, minimus natu

m. sec.—65 H. quatuor vss. desunt Eg. P.—69 *Trecentum* Eg.—71 *quæ callida*

NOTÆ

signo dependentem multi graves auctores asserunt, quod hoc expresso pacto eam Deus donarat, si Nazaræus perseveraret, et comam aleret.

66 *Necat ille feram*] Samson venerat ad vineas Thamnatæ, ac paululum a via parentibusque aliqua occasione secesserat: apparuit catulus leonis sævus ac rugiens, prædæ scilicet avidus, et ad invadendum paratus. Irruit autem Spiritus Domini in Samsonem, et dilaceravit leonem, quasi hædum in frusta discerpens, nihil omnino habens in manu. Jud. cap. xiv.

67 *Mella fluunt*] Post aliquot dies revertens Samson, declinavit ut videret cadaver leonis; et ecce examen apum in ore leonis erat, ac favus mellis.

Maxilla asinæ fontem vomit] Disruptis vi divina funibus, Philistæos ipsum illudentes aggreditur, atque asini maxilla mille viros interficit. Quo labore defessus concepit sitim. 'Aperuit autem Dominus molarem dentem in maxilla asini,' quam resumsit in manus, et egressæ sunt ex eo aquæ; quibus haustis refocillavit spiritum, et vires recepit. Nec contentus Deus brevi ac privato beneficio, fontem ibi perennem esse voluit, cujus nomen esset, fons invocantis de maxilla, ut deinceps antiqui beneficii memoria recens in omnem perseveraret posteritatem. Jud. cap. xv.

69 *Tercentum vulpes*] Samson ad uxorem redire, ipsique reconciliari volebat, eumque in finem hædum illi dono ferebat; 'cum vero cubiculum more solito intrare vellet, prohibuit eum pater illius.' Jud. cap. xv. Iratus Samson novum sane atque inauditum ultionis excogitavit genus. Captis trecentis vulpibus, centum etiam et quinquaginta præparavit faces, et binis quibusque ad caudæ initium colligatis longiusculo fune, ne se facile mutuo in cursu impedirent, mediam alligavit facem flammæ tenacem, sicque dimisit. Quæ dum insano cursu imminentem ignem vitare cupiunt, captivoque fune liberari, calamitatem segetibus, nam triticea messis instabat, vineis olivetisque, quam latissime spargunt. De Davide ipsiusque victoria Psych. vs. 292.

XIX. DAVID GOLIAM STERNIT.

David parvus erat, fratrum ultimus, et modo Iesse
Cura gregis, citharam formans ad ovile paternum:
Inde ad delicias regis: mox horrida bella
Conserit, et funda sternit stridente Goliam.

XX. REGNUM DAVID.

Regia mitifici fulgent insignia David:
Sceptrum, oleum, cornu, diadema, et purpura, et ara.
Omnia conveniunt Christo: chlamys, atque corona;
Virga potestatis, cornu crucis, altar, olivum.

XXI. ÆDIFICATIO TEMPLI.

Ædificat templum sapientia per Solomonis
Obsequium: regina austri grave congerit aurum.

ex fratribus; et mox curat oves Jesse struens lyram ad ducendum gregem patris, postea vero ad delectandum regem: mox facit bellum periculosum, et prosternit Goliath funda strepitante. Sceptrum, oleum, cornu, corona, et purpura, et ara insignia regalia Davidis mansueti fulgent. Hæc omnia, scilicet pallium, et corona, et sceptrum signum potentiæ, cornu crucis, ara, oleum conveniunt Christo. Deus sibi exstruit templum per obedientiam Solomonis; Regina a regione Australi com-

F. *nunc hæresis ignes Callida quæ vulpes vitiorum s. i. a.* A.—74 *olive* Eg.—76 *Goliam* Weitz. Vat. un.—77 *mirifici* Weitz. Vat. plerique.—81 *Salomonis*

NOTÆ

81 *Ædificat templum*] 'Anno quadringentesimo et octogesimo egressionis filiorum Israël de terra Ægypti, cœpit Solomon ædificare domum Domini in Jerusalem in monte Moria, qui demonstratus fuerat David patri ejus in area Ornam Jebusæi.' Historia nota est ex 3 Reg. cap. VI. 'Domus autem habebat sexaginta cubitos in longitudine et viginti cubitos in latitudine et triginta cubitos in altitudine.'

82 *Regina austri*] Omnes quidem Reginam Saba fuisse cum Scriptura agnoscunt; et Saba a meridie Hierosolymis fuisse fatentur, cum Christus Dominus eam 'reginam Austri' appellet. Sed res manet adhuc ambigua, cum una Saba in Arabia Felice, altera in Æthiopia reperiatur, et utraque Judæis ab Austro sit, an de Arabica venerit.

Congerit aurum] 'Et ingressa Jerusalem multo cum comitatu et divitiis, camelis portantibus aromata, et aurum infinitum nimis, et gemmas pretiosas venit ad regem Solomonem.' 3 Reg. cap. X.

Tempus adest, quo templum hominis sub pectore Christus
Ædificet, quod Graia colant, quod barbara ditent.

XXII. FILII PROPHETARUM.

Forte prophetarum nati dum ligna recidunt
Fluminis in ripa, cecidit discussa bipennis.
Gurgite summersum est ferrum: sed mox leve lignum
Injectum stagnis, ferrum revocabile fecit.

XXIII. CAPTIVITAS ISRAEL.

Gens Hebræorum peccamine capta frequenti,
Fleverat exilium diræ Babylonis ad amnes:
Tum patrios cantare modos, præcepta recusat,
Organaque in ramis salicis suspendit amaræ.

XXIV. DE EZECHIA REGE.

Hic bonus Ezechias meruit ter quinque per annos

portat maximum pondus auri. Tempus venit, quo Christus sibi faciat in corde hominum templum, quod Græcia colat, quod Nationes exteræ locupletent. Dum liberi Prophetarum forte secant lignum ad ripam fluvii, securis diruta mergitur. Ferrum petit imum flumen, sed lignum non grave reducit ferrum immersum in flumen. Populus Hebræus pollutus multis peccatis deploraverat quod crudeles Assyrii ipsos relegassent ad fluvios Gozan: tum jussus canere cantus patrios abnuit, et suspendit organa in ramis salicis amaræ. Ille pius Ezechias meruit procrastinare diem

Weitz.—83 *sub tempore Christum* Eg.—84 *quod gaza colat* Weitz. *quod Tu colat* Eg. *quod gaze colentum barbara ditet* G.—90 *ad arces* Vat. un.—91 *Tum*

NOTÆ

88 *Ferrum revocabile fecit*] Tanta erat frequentia Prophetarum, qui confluebant ad Elisæum, ut angustam redderent habitationem. Quare novæ ad Jordanem coloniæ paraverunt domicilium, ut reliqui in Galgalis, in Jericho, in Bethel laxius habitarent. Dum autem unus ligna succidit, securis, quam mutuo acceperat, de manubrio fugiens demergitur. Misericordia motus homo Dei, præcidit ipsemet lignum, aptavitque, et projecit in aquam. Ex quo geminum consecutum est miraculum, alterum quod manubrium recte incidit in foramen ferri, eoque sponte se induit, alterum quod manubrium fecit natare ferrum. Unde Tertull. adv. Marcion. lib. III. ‘Demersam fluvio relevavit virga securim.’

90 *Exilium diræ Babylonis*] ‘Anno nono Osee, cepit rex Assyriorum Samariam, et transtulit Israël in Assyrios, posuitque eos in Hala, et in Habor juxta fluvium Gozan.’ 4 Reg. cap. XVII. ubi fusius et idololatria Israëlitarum et reliqua describuntur.

93 *Ter quinque per annos*] Ezechias

Præscriptum proferre diem, legemque obeundi
Tendere: tot gradibus, quot vespera texerat umbram,
Lumine perfusis, docuit sol versus in ortum.

TESTAMENTUM NOVUM.†

XXV. Annuntiatio Dominica.

Adventante Deo descendit nuntius alto
Gabriel Patris ex solio, sedemque repente
Intrat virgineam. Sanctus te Spiritus, inquit,
Implevit, Maria: Christum paries, sacra virgo.

XXVI. Civitas Bethleem.

Sancta Bethlem caput est orbis: quæ protulit Jesum,
Orbis principium, caput ipsum principiorum.
Urbs hominem Christum genuit; qui Christus agebat
Ante Deus, quam sol fieret, quam lucifer esset.

mortis præscriptum, et differre in quindecim annos necessitatem pereundi; et sol reversus retrorsum ad ortum tot gradibus collustratis ipsius luce, quot vespera auxerat umbram, illius fuit signum. Adventu Christi appropinquante, Gabriel delabitur nuntius e sublimi solio Dei, et statim ingreditur domum Mariæ. O beata Virgo, inquit, Sanctus Spiritus te replevit, et paries Filium Dei. Sancta Bethleem, quæ tulit Christum, est caput mundi, principium rerum, et fons ipse principiorum. Urbs peperit Christum hominem: qui Christus, priusquam Sol existeret et Lucifer, agebat ut Deus. Magi afferunt Christo, hic

p. c. m. præcepta, recusat Organa, quæ i. *r. s. s. a.* Gold. a m. sec.—95 *quod gradibus, quos vespera* A. G. Vat. un. *umbra* Weitz. *unda* F.—100 *Implebit*

NOTÆ

filius Achaz regis Juda post cladem Assyriorum in letalem morbum incidit, a quo per Esaiam Prophetam divinitus est sanatus, et in annos quindecim illius vita producta. Ne vero superesset adhuc Ezechiæ aliquod dubium de tam singulari Dei erga ipsum benevolentia, Esaias ab ipso petiit, 'Visne ut ascendat umbra decem lineis, an ut revertatur totidem gradibus? Et ait Ezechias; Facile est umbram crescere decem lineis; nec hoc volo ut fiat, sed ut revertatur retrorsum decem gradibus. Invocavit itaque Esaias Propheta Dominum, et reduxit umbram per lineas, quibus jam descenderat in horologio Achaz, retrorsum decem gradibus.' 4 Reg. cap. xx.

† *Testamentum Novum*] Omnia, quæ spectant Novum Testamentum usque ad vs. 152. reperies in Hymn. 9. 11. 12. Cathem. et in Apoth. vs. 650.

XXVII. Magorum Munera.

Hic pretiosa Magi, sub virginis ubere, Christo
Dona ferunt puero myrrhæque et thuris et auri.
Miratur genitrix tot casti ventris honores,
Seque Deum genuisse hominem, Regem quoque summum.

XXVIII. Pastores ab Angelis admoniti.

Pervigiles pastorum oculos vis luminis implet
Angelici, natum celebrans de virgine Christum.
Inveniunt tectum pannis: præsepe jacenti
Cuna erat: exultant alacres, et Numen adorant.

XXIX. Occiduntur Infantes in Bethlehem.

Impius innumeris infantum cædibus hostis
Perfurit Herodes, dum Christum quærit in illis.
Fumant lacteolo parvorum sanguine cunæ,
Vulneribusque madent calidis pia pectora matrum.

XXX. Christus baptizatur.

Perfundit fluvio, pastus Baptista locustis,
Sylvarumque favis, et amictus veste cameli,
Tinxerat et Christum: sed Spiritus æthere missus
Testatur tinctum, qui tinctis crimina donet.

XXXI. Pinna Templi.

Excidio templi veteris stat pinna superstes:

degenti inter ubera Mariæ, magnifica munera et myrrhæ, et thuris, et auri. Mater ipsa miratur tantam gloriam sui uteri virginei, et se genuisse Deum, Hominem, et summum Regem. Abundantia lucis angelicæ, annuntians Christum esse natum ex virgine, implet oculos vigiles pastorum. Reperiunt illum involutum pannis. Præsepium erat puero jacenti pro incunabulis. Læti gestiunt, et adorant Deum. Impius Herodes furens se cruentat hostiliter quamplurimis cædibus puerorum, ut inter illos inveniat Christum. Cunabula puerorum fumant sanguine innocenti, et pia gremia matrum resperguntur cruore vulnerum recentium.

Joannes Baptista nutritus locustis, et favis mellis sylvestris, necnon vestitus pelle cameli baptizavit in aqua Jordanis, atque etiam aspersit his aquis Christum; sed Sanctus Spiritus delapsus e cælo testatur Christum baptizatum esse Deum, qui ignoscit peccata baptizatis. Summitas veteris templi non fecit ruinam; nam angu-

Weitz.—108 *regemque supremum* Vulg.—110 *ex* Weitz.—113 *cædibus noctis* T. et emend. *actis*.—117 *Perfudit* T. Weitz.—119 *Tinxit* Vat. un.—120 *cunc-*

Structus enim lapide ex illo manet angulus, usque
In sæclum sæcli, quem sprerunt ædificantes;
Nunc caput est templi, et lapidum compago duorum.

XXXII. Ex Aqua Vinum.

Fœdera conjugii celebrabant auspice cœtu
Forte Galilæi: jam deerant vina ministris:
Christus vasa jubet properanter aquaria lymphis
Impleri: inde meri veteris defunditur unda.

XXXIII. Piscina Siloa.

Morborum medicina latex, quem spiritus horis
Eructat variis: fusum ratione latenti,
Siloam vocitant: sputis ubi collita cæci
Lumina Salvator jussit de fonte lavari.

XXXIV. Passio Joannis.

Præmia saltatrix poscit funebria virgo
Joannis caput, abscisum quod lance reportet
Incestæ ad gremium matris: fert regia donum
Psaltria, respersis manibus de sanguine justo.

XXXV. Per Mare ambulat Christus.

It mare per medium Dominus, fluctusque liquentes
Calce terens, jubet instabili descendere cumba

lus constructus ex illo lapide, quem Judæi ædificatores contemnunt, remanet usque in sæcula sæculorum. Nunc est fornix templi, et umbilicus duorum laterum. Forte duo Galilæi cœtu auspice se jungebant fœdere matrimonii. Jam vinum deerat familiis. Christus jubet hydrias impleri quamprimum aqua, ex quibus depromunt copiam optimi vini. Aqua, quam ventus pellit horis variis, est remedium morborum. Vocant Siloam, hunc fontem ebullientem ratione occulta. Christus jussit oculos cæci hominis delibutos sputis ipsius aspergi ex illo fonte. Puella saltatrix petit præmium cruentum, nempe caput Joannis, ut ferat in catino illud abscissum ad sinum matris suæ impudicæ. Hæc saltatrix regis affert præmium manibus infectis justo sanguine. Christus incedit per medium mare, et quatiens planta fluctus liqui-

---

tis Vat. un.—121 *superstis* Eg.—124 *laterum c. duorum* G. *novorum* Weitz.—125 *cœtu. Forte Galilæis jam d.* Weitz.—128 *difunditur* Weitz. Gold. W. Vat. duo. *perfunditur* F.—129 *latet* A. Eg. P. Vat. un. *quam* A. Eg. Vat. un. a m. sec.—130 *fusam* A. F. Vat. un. a m. sec.—132 *jussis* Eg.—134 *reportat* Weitz. *quod lance reportet. Incesta ad g. matris fert r. d.* A.—135 *in* F.—

Discipulum: sed mortalis trepidatio plantas
Mergit: at ille manum regit, et vestigia firmat.

XXXVI. DÆMON MISSUS IN PORCOS.

Vincla sepulcrali sub carcere ferrea dæmon
Fregerat: erumpit, pedibusque advolvitur Jesu.
Ast hominem Dominus sibi vindicat, et jubet hostem
Porcorum raptare greges, ac per freta mergi.

XXXVII. QUINQUE PANES ET DUO PISCES.

Quinque Deus panes fregit, piscesque gemellos,
His hominum large saturavit millia quinque.
Implentur nimio micarum fragmine corbes
Bis seni: æternæ tanta est opulentia mensæ.

XXXVIII. LAZARUS SUSCITATUS A MORTUIS.

Conscius insignis facti locus in Bethania,
Vidit ab inferna te, Lazare, sede reversum.
Apparet scissum fractis foribus monumentum,
Unde putrescentis redierunt membra sepulti.

XXXIX. AGER SANGUINIS.

Campus Acheldemah sceleris mercede nefandi
Venditus, exequias recipit tumulosus humandas.
Sanguinis hoc pretium est Christi. Juda eminus arctat
Infelix collum laqueo pro crimine tanto.

dos jubet Apostolum exire a nave instabili; sed pedes Discipuli timentis merguntur: Christus vero apprehendit manum, et firmat gressum illius. Dæmoniacus constrictus in cavea sepulcri frangit catenas ferreas, prorumpit, et se prosternit ad pedes Christi. Sed Christus dicit hominem suum esse, et jubet dæmonem ingredi in gregem porcorum, et se mergere in mare. Christus fregit quinque panes et duos pisces, quibus satiavit abunde quinque millia hominum. Tanta est copia ciborum divinorum, ut duodecim corbes impleantur supervacaneis fragmentis micarum. O Lazare, locus Bethaniæ testis præclari miraculi te vidit revocatum a locis Inferis. Foribus diffractis patet sepulcrum detectum, ex quo corpus mortui corrupti rediit.

Ager Hakal-dama emtus pretio criminis horrendi fit plenus tumulis, ubi corpora humantur. Illud est pretium sanguinis Christi. Miser vero Judas se strangulat

139 *mortales* G.—140 *Mergitat* Gif. Ind. Lucr. p. 374. Gold. *Mergitur* P. Bodl. *manu* Ro.—144 *furiare* Weitz. Vat. tres.—147 *minimo* F.—148 *opitulentia* Eg.—155 *Judas nimis* G. B. Gif. Ind. Lucr. p. 374. *Judæ munus* A. *Judæ nimis* Noms. *Judæ eminus* Bodl. Eg. T. Bo. I.—156 *laqueus* Bodl.—

XL. DOMUS CAIPHÆ.

Impia blasphemi cecidit domus ecce Caïphæ,
In qua pulsata est alapis facies sacra Christi.
Hic peccatores manet exitus: obruta quorum
Vita ruinosis tumulis sine fine jacebit.

XLI. COLUMNA, AD QUAM FLAGELLATUS EST CHRISTUS.

Vinctus in his Dominus stetit ædibus, atque columnæ
Annexus tergum dedit, ut servile, flagellis.
Perstat adhuc, templumque gerit veneranda columna,
Nosque docet cunctis immunes vivere flagris.

XLII. PASSIO SALVATORIS.

Trajectus per utrumque latus, laticem atque cruorem
Christus agit: sanguis, victoria: lympha, lavacrum est.
Tunc duo discordant crucibus hinc inde latrones
Contiguis: negat ille Deum; fert iste coronam.

XLIII. SEPULCRUM CHRISTI.

Christum non tenuit saxum, non claustra sepulcri:
Mors illi devicta jacet: calcavit abyssum.
Sanctorum populus superas simul ivit ad oras,
Seque dedit multis tactuque oculisque probandum.

procul laqueo pro tanto flagitio. Ecce domus impia scelesti Caiphæ, in qua divinus vultus Christi fuit cæsus colaphis, corruit. Idem exitus continget peccatoribus: quorum vita oppressa tumulis ruinosis jacebit in omni æternitate. Christus colligatus stetit in his ædibus, et affixus columnæ objecit virgis suum tergum, veluti fuisset servus. Hæc columna venerabilis remanet adhuc, et sustinet templum, et docet nos jam liberos vivere immunes omnibus flagellis. Christus transfixus per utrumque latus dedit aquam et sanguinem. Sanguis denotat victoriam, aqua vero lavacrum. Tum duo latrones hinc et inde suffixi crucibus proximis dissentiunt. Hic negat Christum esse Deum, alter meretur cœlum. Saxum, nec obices tumuli tenuerunt Christum; debellavit inferos; et mors domita illi est subjecta. Turba Sanctorum simul ascendit sedes superas; et se dedit multis tractandum manibus et oculis.

157 *domus alta* Weitz. Vat. duo.—161 *columnis* Weitz.—162 *Adnexum* Weitz.—164 *immuneres* Eg.—165 *Tranjectus* A. P. Vat. un.—169 Hi quatuor vss.

XLIV. Mons Oliveti.

Montis oliviferi Christus de vertice sursum
Ad Patrem rediit, signans vestigia pacis.
Frondibus æternis præpinguis liquitur humor,
Qui probat infusum terris de chrismate donum.

XLV. Passio Stephani

Primus init Stephanus mercedem sanguinis, imbri
Afflictus lapidum, Christum tamen ille cruentus
Inter saxa rogat, ne sit lapidatio fraudi
Hostibus: o primæ pietas miranda coronæ!

XLVI. Porta speciosa.

Porta manet templi, Speciosam quam vocitarunt,
Egregium Solomonis opus: sed majus in illa
Christi opus emicuit: nam claudus surgere jussus
Ore Petri, stupuit luxatos currere gressus.

XLVII. Visio Petri.

Somniat illapsum Petrus alto ex æthere discum,
Confertum omnigenis animalibus: ille recusat
Mandere: sed Dominus jubet omnia munda putare.
Surgit, et immundas vocat ad mysteria gentes.

Christus e cacumine montis oliviferi adiit patrem cœlestem, imprimens notas pacis. Humor pinguis fluit de frondibus perennibus, qui demonstrat munus chrismatis esse datum terris.

Stephanus obrutus innumerabilibus lapidibus accepit primus præmium martyrii; tamen ille sanguinolentus orat Deum inter lapides, ne lapidatio sit damno suis interfectoribus. O stupendum amorem primi martyris. Porta templi, quæ dicitur speciosa, quæque est opus mirum Solomonis, perstat; sed mirabilius opus Christi eluxit in illa: nam claudus jussus voce Petri surgere, est miratus quod pedes extensi incederent. Petrus somniat vas plenum belluis omnis generis esse delapsum e sublimi cœlo. Is non vult manducare, sed Deus præcipit ut credat omnia esse munda. Surgit, et instruit Nationes immundas ad Evangelium. Is, qui erat ante

---

desunt Mss. Heins. et Vat. omn.—173 *oliveti* Eg.—180 *miseranda* Weitz.—184 *damnatos* Weitz. Delph. T. Vat. duo. *lassatus* Eg.—185 *quia volvere* G. in

XLVIII. Vas Electionis.

Hic lupus ante rapax vestitur vellere molli:
Saulus qui fuerat, fit ademto lumine Paulus.
Mox recipit visum, fit apostolus, ac populorum
Doctor, et ore potens corvos mutare columbis.

XLIX. Apocalypsis Joannis.

Bis duodena senum sedes, pateris citharisque,
Totque coronarum fulgens insignibus: agnum
Cæde cruentatum laudat: qui evolvere librum,
Et septem potuit signacula pandere solus.

lupus cruentus, induit vultum lenem, et qui fuerat Saulus, obcæcatus nimia luce fit Paulus. Deinde recuperat visum, evadit Apostolus, et Doctor Gentium, et vir, qui potest mutare eloquio corvos in columbas. Viginti quatuor senes sedentes in sedibus, et ornati phialis, et citharis, et splendore coronarum laudant agnum aspersum sanguine: quique agnus unus potuit legere librum, et aperire septem signacula ejus.

marg. *qui volvere* Eg. T.

NOTÆ VARIORUM

IN

AURELII PRUDENTII OPERA.

INDICULUS INTERPRETUM.

ÆLII ANTONII NEBRISSENSIS, JC. Annotationes in Hymnos et Psychomachiam.
JOHANNIS SICHARDI, JC. Scholia.
ERASMI ROTERODAMI Commentariolus in duos Hymnos.
JACOBI SPIEGELII, JC. Interpretatio in Hymnum Omnium Horarum.
GEORGII FABRICII CHEMNICENSIS in quosdam Hymnos Expositio.
ADAMI SIBERI Scholidia.
JOHANNIS MURMELLII Explicatio in Romanum Martyrem.
VICTORIS GISELINI SANFORDIANI Commentarius.
GEORGII REMI, JC. Notæ.
ADAMI THEODORI SIBERI Commentariolus in tres Hymnos.
ANDREÆ WILKII Expositio in quosdam ex Apotheosi versus.
JOHANNIS WEITZII Notæ et Observationes.
ISONIS MAGISTRI, ut creditur, Glossæ, ex Codice Caroli Widmani, et altero Jacobi Bongarsii excerptæ a M. JOHANNE WEITZIO.

NOTÆ VARIORUM

IN

AURELII PRUDENTII

CLEMENTIS

OPERA.

[Ex Ed. M. Johannis Weitzii, Hanov. 1613. 8vo.]

ÆLII ANTONII NEBRISSENSIS ANNOTATIONES.

CATHEMERINON LIB.

Præf. 1 *Per quinquennia*] Cum Poëta ageret annum ætatis septimum et quinquagesimum, quod reliquum erat vitæ dedicat rebus divinis: itaque numerat studia sua puerilia et adolescentiæ, tum quod in juvenili ætate egerit causas, et deinde rexerit urbes, et in palatio cum Cæsaribus sit versatus usque ad senectutem.

Fuimus jam] Ad illud Virgilianum alludit: 'Fuimus Troës.'

Per decem quinquennia] Quinquaginta annos.

2 *Septimus cardo*] I. e. Septima vertigo sive revolutio solis.

Insuper] I. e. Ultra quinquaginta.

3 *Rotat annum*] I. e. volvit: Virg. 'Atque in se sua per vestigia volvitur annus.'

4 *Instat terminus*] I. e. Mors, quæ omnium finis est.

5 *Et diem vicinum senio*] I. e. Mortem quæ est senectuti proxima.

6 *Quid egimus*] Q. d. Nihil quod esset animis conducibile.

7 *Ætas prima*] Scilicet puerilis, quæ fuit sub pædagogis.

Sub ferulis crepantibus] I. e. Sonantibus nam ferulis pædagogi in pueros sæviunt. Martialis in disticho cujus lemma est ferula: 'Ingratæ nimium pueris gratæque magistris, Clara Prometheo munere ligna sumus.' Columella: 'Nec manibus mites ferulas, nec cruribus æquas.' Juvenal: 'Et nos ergo manum ferulæ subduximus.'

8 *Mox docuit toga*] Subaudi, virilis; nam post togam prætextam pueri anno ætatis octavo decimo sumebant togam virilem: quo tempore, ut inquit Terent. 'Liberior erat vivendi potestas.' Et Persius: 'Totaque impune subura Permisit sparsisse oculos jam candidus umbo.'

9 *Falsa loqui*] Blandiri æqualibus. Nam adulationis est, mentiri. Persius: 'Cum blandi comites.' aut per togam intellexit vitam togatorum, qui regibus suis adulantur.

10 *Tum*] I. e. Eo tempore aut deinde.

Protervitas lasciva] Omnia hæc ad libidinem spectant, lascivia, protervitas, petulantia, procacitas, nequitia.

12 *Exin jurgia*] Tempus illud designat, cum in foro causas egit.

Jurgia] I. e. Litigia. Seneca in Hercule Furente: 'Hic clamosi rabiosa fori Jurgia vendens improbus, iras Et verba locat.'

14 *Turbidos animos*] Non perspicientes, justam an injustam causam defenderemus.

Male pertinax] I. e. In malam partem, pervicax. Horatius in alia significatione dixit: 'Et digito male pertinaci.'

15 *Studium vincendi*] I. e. Nimia et immoderata cura vincendi causam turpem.

Casibus asperis] Quia sollicitus erat, sub ancipiti sorte vinceretne, an vinceretur.

16 *Bis legum*] Dicit, se rexisse urbes cum potestate juris dicendi; hoc est, fuisse prætorem principis beneficio idque bis sibi contigisse.

18 *Reddidimus jus civile*] I. e. Justa petentibus per jus civile restituimus.

Reos] Videtur accipere in ea significatione qua recentiores accipiunt, cum sit reus a quo in judicio aliquid petitur juste sive injuste.

19 *Tandem militiæ gradu*] Significat, se pervenisse ad præfecturam prætorii: nam post principem is erat ordine primus. Fuerunt autem sub Imperatoribus præfecti prætorio qui sub regibus fuerunt Tribuni Celerum, sub consulibus Magistri Equitum.

20 *Pietas principis*] I. e. Princeps piissimus, qui me eo dignitatis evexit.

22 *Vita volans*] Ovid. 'Labitur occulte; fallitque volatilis ætas.'

23 *Irrepsit subito*] Ut Juvenal. ait; 'obrepit non intellecta senectus.'

24 *Arguens*] I. e. Reprehendens me.

Oblitum, veteris Messalæ consulis] Sub hoc consule videtur natus Prudentius.

25 *Prima dies*] I. e. Natalis.

26 *Quam multas hiemes*] I. e. Annos.

27 *Nix capitis*] I. e. Canicies.

29 *Post obitum carnis*] Quia anima non interit.

Vel bona vel mala] Non simpliciter bona vel mala, quæ sunt animi: sc. fortunæ et naturæ bona et mala dicit.

30 *Mors aboleverit*] Quia quotidie morimur et quotidie commutamur neque aliud est in nobis vivere, quam morti accedere.

31 *Quisquis es*] I. e. Cum quo mihi sermo est.

32 *Perdidit mundum*] I. e. Omnia bona mundana; quæ, ut dixi, aut fortunæ aut naturæ sunt.

33 *Non sunt illa Dei*] Quia sola animi bona tendunt ad Deum; cætera cum vita terminantur.

Cujus habeberis] I. e. In cujus potestate futurus es.

34 *Fine sub ultimo*] I. e. Prope mortem.

35 *Stultitiam exuat*] I. e. Deponat amorem talium rerum.

36 *Si nequit meritis*] I. e. Operibus justis, quanquam et ipsa concelebratio meritoria est.

37 *Continuet*] Sc. anima laudet Deum die noctoque.

38 *Pugnet contra hereses*] Hæc futura est totius operis materia.

44 *Emicem liber*] Illud Apostoli est: 'Miser ego homo, quis me liberabit a corpore mortis hujus?' et illud, 'Cupio dissolvi et esse cum Christo.'

45 *Quo*] I. e. eo quo.

Lingua mobilis] I. e. Loquens talia sive divina.

Tulerit me sono ultimo] I. e. Optaverit, me ferri aut latum iri ultimis precibus, h. e. utinam inter canendum talia moriar.

HYMN. I. 1 *Ales nuncius diei*] Gallus,

qui nunciat diem adventare. Virg. in Moreto: 'Excubitorque diem cantu prædixerat ales.'

4 *Christus*] Qui per gallum figuratur.

Vocat ad vitam] Ad se; qui dixit: 'Ego sum via, veritas, et vita.' et alibi, 'Ego sum lux mundi.'

5 *Auferte, clamat, lectulos*] Clamat per gallum excitatorem.

Lectulos ægros] In quibus ægroti solent jacere, neque possunt inde surgere.

6 *Sopores*] Desides, scil. ab effectu, quia nimius somnus desidiam et languorem parit.

8 *Jam sum proximus*] Ego qui sum Sol, 'Lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum,' jam appropinquo, juxta orietur timentibus nomen meum, Sol justitiæ.

9 *Post Solis ortum*] Dicit, perveniendum esse, neque expectandum, quousque sol oriatur, juxta illud Anacharsis ad Misonem: 'Ante diem properas, o Mison, munus aratri.' Ille refert; 'Properat vivere nemo satis.' Addenda igitur est pars noctis laudibus divinis.

10 *Serum est spernere cubile*] Relinquere lectum post ortum Solis, tardi est et desidiosi: et subaudi, culpandi, nisi partem noctis adjeceris labori, i. e. vigiliæ: nam quemadmodum somnus est 'Quies rerum placidissima,' ut dicit Ovid. ita vigilia est labor.

13 *Vox ista*] Non solum galli, sed etiam cæterarum avium, quæ sub lucem canunt.

Strepunt] Sonant, aut ad illud respicit, quod cum gallus cantaturus est, alas excutiens strepitum facit.

14 *Sub ipso culmine*] Ex Virgil. Æn. VIII. 'Et matutini volucrum sub culmine cantus.'

16 *Figura nostri Judicis*] Figurate per illam volucrum vocem intelligimus Christum, qui est judex vivorum et mortuorum, juxta illud: 'Pater omne judicium dedit Filio.'

18 *Stratis segnibus*] Lectis qui faciunt nos segnes.

19 *Linquere quietem*] Somnum; ut sup. laborem appellans vigiliam.

Suadet nos mortales tectos tenebris] Involutos peccatis, et opertos.

20 *Die jam jamque*] Cito venturo.

21 *Coruscis flatibus*] Flammis; aut quia sub auroram spirant auræ.

22 *Aurora sparserit cœlum*] Virg. Æn. IV. 'Et jam prima novo spargebat lumine terras Tithoni croceum linquens Aurora cubile.'

23 *Exercitos*] Exercitatos.

Labore] Vigilia, ut sup.

24 *Confirmet*] Præparet scilicet aurora, h. e. tempus matutinum.

Ad spem luminis] Christi paulo post orituri, ut nos illuminet.

25 *Hic somnus*] Moraliter dicit. Per somnum, qui est mortis imago, intelligimus animæ mortem; et per tenebras noctis, intelligimus peccata, quæ suo tempore cogunt nos somno gravatos jacere et dormire.

31 *Adesse prope*] Pro, accedere.

33 *Ad terminos vitæ*] Usque ad horam mortis.

Somnus] Desidia, sub peccato.

34 *Socordia*] Languentis.

35 *Sepultum*] Obrutum. Virg. Æn. II. 'Invadunt urbem somno vinoque sepultam.'

36 *Suæ lucis*] Cœlestis, unde traxit originem; aut 'suæ lucis,' i. e. Christi.

37 *Ferunt*] Ea est hominum opinio, atque hodie vulgo id creditur.

40 *Sparsim timere*] Qui prius agminatim incedebant. Quod videtur simile illi, quod Anchises apud Virg. in Æn. VI. dicit: 'Et me sævus equis Oriens afflavit anhelis.'

41 *Invisa vicinitas*] Reddit causam, cur dæmones fugiant: quia sc. vicinitas lucis fugiat satellites noctis, i. e. Christus dæmones.

43 *Rupto situ*] Squallore sive torpore noctis. Unde Virg. Æn. VI.

'Per loca senta situ,' dixit.

45 *Hoc esse signum*] Scilicet, cum gallus canit, scimus quod lux nostra prope est.

47 *Liberi soporis*] Sopore liberati.

49 *Vis hujus alitis*] Galli potestas.

53 *Fit namque*] Sensus et ordo est: Petrus, et quilibet homo fit peccator, prius quam præco lucis, i. e. gallus, h. e. Christus, illustrat.

57 *Negator*] Scilicet Petrus.

58 *Prolapsum ex ore nefas*] Quia oblitus sui Christum negavit; unde ad cantum galli resipuit, et ad se rediit.

61 *Nec tale quidquam*] Sed postea Petrus permansit in fide usque ad mortem.

63 *Lubrico linguæ*] Lubricitate; quia nunquam tale verbum est lapsum ex ore illius.

65 *Inde est*] Quod illo tempore, quo gallus canit, credibile est Christum, spoliata morte, rediisse ad superos.

66 *Tempora quietis*] Somni, ut sup.

69 *Vigor mortis*] Juxta illud Prophetæ: 'Ero mors tua, o mors.'

71 *Vis diei*] Christus qui est dies.

72 *Noctem*] Diabolum.

73 *Jamjam*] Hortatur occasione temporis, ut cessemus a peccatis, et vigilemus Christo.

Improba quiescant] Mala nostra cessent.

74 *Et culpa furva*] Nigra, tenebrosa: quia, ut diximus, per tenebras peccata intelligimus. Unde est illud: 'Abjiciamus opera tenebrarum.'

75 *Nexa lethalis*] Peccatum, quod mortem parit.

76 *Perpessa suum somnum*] Cessationem a peccatis.

Marceat] Torpescat et cesset.

77 *Vicissim*] Quia, ut somni et vigiliæ vicissitudo est: ita esse debet peccatorum et resurrectionis a peccato.

79 *Meta noctis clauditur*] Terminus noctis finitur, h. e. sub ortum solis.

81 *Ciamus*] Vocemus sive moveamus: et declinatur, cio, cis, et cieo, cies.

82 *Sobrii*] Ante cibum.

83 *Intenta*] Attenta. Nam qui remissus est in orando, facile dormitat.

85 *Convolutis artubus*] Omnibus membris impeditis, neque officium suum exercentibus.

86 *Oblivio profunda*] Quoniam in profundo somno omnium rerum obliviscuntur.

87 *Pressit*] Vim sentiendi, quia omnia membra in somno torpent.

88 *Sensum vagantem vanis somniis*] Solutum ad vana tantum phantasmata.

89 *Sunt nempe*] Comparat bona fortunæ tenebris noctis: Vera autem bona, h. e. animi, comparat luci diei. Itaque illa agimus quasi in tenebris, hæc autem in luce.

93 *Aurum, voluptas*] Omnia hæc bona, opinata et falsa, quæ nos inflant in superbiam, adveniente luce evanescunt.

96 *Fit mane*] Si lux oriatur.

97 *Disjice*] Dissipa. Virg. Æn. I. 'Et disjice corpora Ponto.'

98 *Vincula noctis*] Peccatorum, quibus impliciti sumus.

99 *Peccatum vetus*] Quo sumus inveterati.

100 *Ingere lumen*] Illustra nos tuo lumine, h. e. gratia et venia tua.

HYMN. II. 1 *Nox et tenebræ*] Hymnus, qualis superior, 'Ales diei nuncius.' Matutinum tempus est inter gallicinium et ortum solis, ex occasione temporis, in quo incipiunt tenebræ evanescere, et lux increbescere, multa dicit de tenebris, h. e. peccatis, et de luce, i. e. de Christo. dicit igitur:

O nox...Confusa] Quia in tenebris omnia confunduntur, sicut in luce discernuntur.

3 *Lux intrat*] Subaudi, fenestras. Pers. 'Jam clarum mane fenestras Intrat.'

Albescit] Lucescit.

4 *Christus venit*] Qui est sol justitiae.

5 *Caligo terrae*] Tenebrae, quae fiunt Sole ab aspectu nostro subtracto terra interveniente; quia si terra non esset, nullae essent tenebrae, quia sol cuncta illustraret.

6 *Spiculo Solis*] Ad fabulam alludit, quae in Apollinem sagittas refert propter radios, nam spiculum sagitta est.

7 *Color redit rebus*] Qui fuerat ablatus a tenebris noctis. Unde Virg. 'Et rebus nox abstulit atra colorem.'

8 *Vultu nitentis sideris*] Ex praesentia Solis.

9 *Sic nostra*] Sensus est; quod quemadmodum Sole omnia illustrantur, sic nostrae tenebrae, h. e. peccatorum sordes a Christo purgentur.

10 *Pectus conscium fraudis*] In quo fraudes latent.

11 *Retectum*] Apertum Virg. 'Radiisque retexerit orbem.'

12 *Pallescat*] Pro albescat: et alludit ad tempus matutinum, quo aurora pallet. Virg. Æn. IV. 'Tithoni croceum linquens aurora cubile.'

13 *Tunc*] Cum Christus, Sol justitiae, ortus fuerit, qui omnia occulta reteget.

14 *Fuscum*] Nigrum, i. e. turpe.

15 *Novo mane*] Nova luce; quia Deum nihil latet, cum sit lux. Virg. Georg. III. 'Mane novo dum gramina canent.'

16 *Secreta prodita*] Manifesta.

17 *Ante lucem*] Quia qui male agit, odit lucem.

Squalido tempore] Tenebroso, h. e. inerti et inculto.

18 *Peccat impune*] Quia sine arbitris furatur, sed non impune nisi ad tempus; quia 'nihil occultum, quod non reveletur.'

19 *Lux*] Dies.

Contraria dolis] Fallere cupientibus.

24 *Fovet noctem*] Amplectitur et amat, quia turpiter facta patescunt.

28 *Peccare constanter*] Quia non constabit sibi ipsi, sed mutabit vitae modum.

29 *Sumtis poculis*] Scilicet nocte hesterna: quia pudet nos fuisse ebrios.

31 *Cum*] Quo tempore sc. matutino.

Libido fit temperans] Libidinosus continet a voluptatibus.

32 *Nugator*] Qui per noctem nugas agebat et delibabat.

Sapit] Sapiens est et resipiscit.

Castum] Caste et munde.

33 *Nunc*] Tempore matutino.

Severum] Pro severe.

34 *Ludicrum*] Nunc ludit.

35 *Omnes colorant vultus serie*] Accommodant vultum gravem et tristem, et dissimulant suas ineptias.

37 *Hac hora*] Sc. matutina.

Utile] Accommodata usui et operibus.

38 *Gerat, quod studet*] Administret officium suum.

39 *Miles*] Qui versatur in bello.

Togatus] Qui exercet artes pacis. Unde est illud Ciceronis: 'Cedant arma togae.'

40 *Institor*] Mercatores, qui merces exercent.

41 *Illum forensis gloria*] Togatum, qui agit causas in foro.

42 *Hunc raptat classicum triste*] Militem: nam classicum est sonus tubae cum canitur ad pugnam, quod tristitiam affert pugnaturis militibus.

43 *Hinc*] A tempore matutino.

44 *Suspirant lucra*] Quia negociantur ut lucrentur.

45 *At nos*] Boni Christiani et religioni dediti.

45 *Lucelli ac fen.*] Ut mercatores.

46 *Fundique*] Agendi causas in foro.

47 *Arte bellica*] Ut milites.

49 *Pura et simplici*] Uni tantum rei intenta. Juven. 'Tum foemina simplex.' Et Horat. 'Simplex munditiis.'

52 *Dicimus te*] Laudamus te. Horat. 'Prima dicte mihi, summa dicende Camena.'

53 *His quæstibus*] Lucris; aut quæstubus, ut vult Valla.

55 *Hæc muneri*] Officia.

57 *Nostris sensibus*] Precibus quas mente concipimus et voce effundimus.

58 *Dispice*] Aspice et circumspice, et tuo favore prosequere. 'quia,' ut inquit Servius, 'aspectus Dei semper favorem affert.'

59 *Illita fucis*] Maculata vitiis: Legitur et *fuscis*, i. e. inquinata tenebris et sic magis cohæret sequens litera, cum dicit, 'luce purgentur tua:' aut respicit ad aliam solis proprietatem, qui non solum illustrat, sed etiam purgat.

61 *Durare*] Perseverare.

62 *Quales tinctos flumine Jordane*] Aqua baptismi, quæ jam inde a Christi baptismate fuit consecrata.

Remotis sordibus] Quia per baptisma delentur peccata, h. e. originale et actuale.

65 *Nox mundi*] Peccata, quæ per noctem intelliguntur.

Dehinc] Post baptisma.

66 *Atris nubibus*] Quæ subtrahunt lucem.

67 *Sideris Eoi*] Lucis matutinæ.

68 *Illumina*] Abjiciendo tenebras et inferendo lucem.

69 *Tetram picem*] Pigrorem peccatorum.

70 *Tinguis*] Lavas, et in candorem vertis. Juvenalis, quanquam in diversa sententia: 'Qui nigrum in candida vertunt.' Esaiæ primo, 'si fuerint peccata nostra ut coccinum, quasi nix dealbabuntur.'

71 *Crystallum*] Aquam congelatam sive lapidem; quæ alba sunt.

Ebeno] Ex ebeno, quæ materia nigra est. Virg. Georg. II. 'India nigrum Fert ebenum.'

72 *Livida*] Nigra, ut sæpe diximus.

73 *Sub nocte*] Per exemplum Jacob luctantis cum angelo probat, quod dixit, quod per tenebras intelligamus peccatum; et per lucem, culpæ remissionem: nam quemadmodum legimus Genes. 32. Jacob rediens ex Mesopotamia cum venisset ad locum, quem ipse vocavit Phanuel, per totam noctem luctatus est cum Angelo; quod erat, quasi Deo resistere: sed postea sub auroram, h. e. luce adventante, cessit; quia tacta ab Angelo coxendicis nervo claudicavit, atque ita victus est.

Sub nocte] Ordo est: Jacob, luctator audax, impar prælio angeli, sudavit.

Cærula] Nigra; vel potius ad cœli colorem retulit.

75 *Eo usque*] Quoad.

78 *Poplite lapsante*] Labenter succidue. Virg. Æn. II. 'Multo lapsantem sanguine nati Traxit.'

79 *Victus femur debile*] Ab angelo debilitatum, et est Synecdoch.

80 *Vigorem culpæ*] Vires suas quibus angelo resistens peccabat.

81 *Inguen*] Pro coxendice posuit; quæ e regione inguinum est.

Nutabat] Vacillabat et claudicabat.

82 *Pars vilior corporis*] Horat. Serm. I. 'Inguen ad obscœnum subductis usque facetus.'

83 *Longe sub loco cordis*] Quia inguina et partes genitales distant a corde, quo viget sapientia.

85 *Imagines*] Figuræ.

86 *Obsitum tenebris*] Peccatis involutum.

88 *Vires rebelles*] Quibus Deo resistit.

Perdere] Quia frustra resistit. Sed ille est beatior, cui membrum intemperans et inobediens, dies invenerit claudum et tabidum, i. e. luxatum et convulsum.

93 *Tandem facessat*] Hortatur, fugiendas esse tenebras, et sequendam esse lucem.

Facessat] I. e. recedat: nam faces-

sere tum facere tum recedere significat. Livius: 'Facesse hinc Tarquinias aut Corinthum.'

95 *Sinistris gressibus*] Quia via sinistra in præcipitium trahit, ex sententia literæ Pythagoreæ.

97 *Serenum*] Animi tranquillitatem.

98 *Puros*] Sine ulla perturbatione.

100 *Obscurum*] Tenebricosum.

103 *Oculi lubrici*] Libidinosi, et quibus ducibus præcipitamur.

105 *Speculator*] Testis et arbiter, quem non possumus quicquam celare.

Hymn. iii. 1 *O crucifer*] Principio invocat Christum, ac proinde totam Trinitatem; hortaturque seipsum ad cibi parsimoniam et sobriam cœnam quasi sit jejunium Ecclesiæ completurus.

O crucifer] Qui tulisti crucem ad locum Calvariæ, ubi passus es, et nunc fers illam quasi victoriæ insignia.

Lucisator] Lucis creator.

2 *Omniparens*] Omnium rerum pater; quia per Filium pater omnia creavit et ipse per se cum Patre et S. Sancto creator est.

Verbigena] Fuit tempus, quo non putabamus de Christo posse dici Verbigenam: et revera si 'Verbigena' exponatur Verbum genitum, recte dicitur: sed nos consilium sequebamur rationem. Nam 'Verbigena' ita exponendum est, Verbo genitus: sicut 'Martigena,' Marte genitus, 'Junonigena,' Junone genitus. Improprie igitur dixit 'Verbigena,' sicut inf. in hymno natalis Christi dixit: 'Ex ore quamlibet patris Sis ortus, et Verbo editus.' Neque enim est Partus Verbo, sed est Verbum a patre partum sive æditum.

3 *Ædite*] Generate et parte. Juven. 'Si bos æderet agnum.'

4 *In genitore*] Cum genitore.

6 *Nitido intuitu*] Sereno vultu.

8 *Inradia*] Inspira, sanctifica: subaudi nos.

14 *Imbuerit*] Inspiraverit et impleverit.

15 *Fide sanctificante*] Nobis omnia per fidem cooperantibus, quæ nos sanctificat tibi.

16 *Sapiant Deum*] Divinum habeant saporem, sicut dicimus 'melimela poma,' quæ sapiunt mel.

17 *Influat in pateras*] Inspiret in vina, ut vinum quoque sapiat Christum.

18 *Seria*] Quæ opponuntur jocis.

Ludicra] Ludos: qui permissi sunt ad cessationem et quietem, et denique omnia verba quæ loquimur. Nam et virtutem quandam ponit Aristot. in hujusmodi rebus in Ethic. 2. et 4.

21 *Hic*] I. e. in hoc meo prandio sive cœna; non facio, quod solent divites et potentes in conviviis sumtuosioribus, qui coronati, et unguentis delibuti discumbunt.

Spolia rosea] Coronæ ex rosis, quæ ad hoc afferuntur ex rosetis.

22 *Aromate*] Ex rebus odoratis.

23 *Sed ambrosius liquor*] Succus divinus, i. e. quod sup. dixit, qui Deum sapiant. Est namque ambrosia, quemadmodum Poëtæ dicunt, cibus Deorum: sicut nectar illorum potus.

25 *Fusus*] Descendens ex cœlo.

26 *Camena*] O Musa Christiana.

Sperne hederas] Quibus coronaris in describendis poëmatis secularibus. Nam hederæ consecratæ sunt Baccho, Poëtarum Deo peculiari, sicut laurus Phœbo. Martial. 'Quid possunt hederæ Bacchi dare?'

28 *Sertaque*] Ordo est: Tu, o Musa, docta texere serta mystica, i. e. coronas non laureaceas et hederaceas, sed ex sacris literis contexta.

29 *Liga caput*] Corona.

Strophio] Corona. Virgilius in Copa: 'Et gravidum roseo necte caput strophio.' Alias accipitur pro cingulo.

30 *Redimita laude Dei*] Ornata et

instructa rebus divinis.

32 *Anima indigena ætheris*] Quæ habet cœlestem originem. Juven. 'Sensum a cœlesti demissum traximus arce.'

34 *Recinat munera data*] Cantet beneficia a Deo accepta, quæ omnia numerat per genera, et primo volucres cœli, deinde pisces maris, postea terræ fructus, juxta illud Gen. I. 'Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram, et præsit piscibus maris, et volatilibus cœli, et bestiis universæ terræ.'

36 *Ipsa homini*] Quia omnia jecit sub pedibus ejus, et hominem sibi.

38 *Quæ polus*] Volucres cœli, h. e. aëris.

41 *Callidus dolus*] Quia nisi parentur insidiæ volucribus, non possumus illas capere; itaque opus est calliditate et dolis.

42 *Aut pedicis*] Laqueis, quibus a pedibus capiuntur. Virg. Geor. I. 'Tunc laqueis captare feras et fallere visco.' Et ibid. 'Tunc gruibus pedicas, et retia ponere cervis.'

Aut maculis] Retibus maculosis. Sunt autem maculæ ipsa retis foramina; 'mallas' Hispani vocant.

43 *Vimina illita*] Virgæ perunctæ.

Glutine corticeo] Visco, quod fit aut ex corticibus quarundam arborum, aut ex visco, quod innascitur ex stercore turdorum. de quo Virg. Æn. VI. 'Quale solet sylvis brumali frigore viscum Fronde virere nova, quod non sua seminat arbos, Et croceo fetu teretes circumdare truncos.'

44 *Seriem plumigeram*] Aves quæ gregatim, et ex serie volant sicut grues.

45 *Vetant abire*] Capiunt illas.

47 *Texta sinuosa*] Retia sinus multos habentia, contexta ex cannabe aut lino.

Greges fluctivagos] Pisces, 'qui,' ut dicit Psalmista, 'perambulant semitas maris.'

48 *Sequitur calamum*] Harundinem qua trahitur: piscis, inquam.

49 *Acumine vulnifico*] Hamo, qui non potest capere piscem nisi vulnus inferat.

50 *Saucius credula ore cibo*] Quæ nimium crediderunt escæ latenti in hamo.

51 *Opes ingenuas*] Quas decet homines ingenuos exitare.

52 *Segetis aristiferæ*] Frumenti, quæ sola habet aristas, puta ordeum, triticum, tipha, far, semen.

53 *Brachia vitea*] Vitium, quæ a similitudine nostrorum brachiorum brachia dicuntur in arboribus: quæ ex trunco dividuntur, sicut rami ex brachiis, et germina ex ramis. Virg. Æn. VI. 'In medio ramos annosaque brachia pandit Ulmus opaca, ingens.'

Pampineo] Pampinis, h. e. frondibus pleno.

54 *Luxuriant palmite*] Effunduntur palmites, qui sunt quasi rami in vite.

55 *Bacca alumna pacis*] Oliva, quæ est insigne pacis. Virg. Georg. II. 'Et placidam paci nutritor olivam.' Et Ov. Met. VI. 'Circuit extremas oleis pacalibus oras.'

57 *Suppeditat*] Subministrat.

58 *Abeat*] Christianos non decere esus carnium dicit, ex sententia Pythagoræ, qui mortalibus esum carnium interdixit.

Illa fames] Cibi appetitus.

59 *Cædibus pecudum*] Virg. Georg. II. 'Ante Impia quam cæsis gens est epulata juvencis, Aureus hanc vitam in terris Saturnus agebat.' Et in sacris literis legimus ante diluvium non fuisse usum carnium.

63 *Oleris coma*] Folia herbarum hortensium.

Siliqua feta] Plena. Sunt autem siliquæ, folliculi illi, sive vaginæ, in quibus legumina proveniunt.

65 *Epulis innocuis*] Quæ nulli nocent animali, imo præstant, ne noceant.

66 *Mulctra*] Vasa illa lactis exceptoria, quæ et mulctralia dicuntur. Virg. Ecl. 'Bis venit ad mulctra, binos alit ubere fetus.' Id. in Georg. IV. 'Implebunt mulctralia vaccæ.'

Spumea] Spumantia; cum lac emungitur.

Niveos latices] Lac.

67 *Gemino ubere*] Caprarum puta, et ovium, et boum. Nam quæ plurimos procreant fetus, plures habent papillas, ut sues.

68 *Per coagula densa*] Effective pro condensantia.

Liquor] Lac liquidum.

69 *Coit*] Solidescit inspissaturque.

70 *Lac tenerum*] Non pingue, sed subtile serum significat: nam pingue coagulatur in caseum.

71 *Mella recens*] Ordo est, Favus, qui constat melle et cera.

Recens] Cum primum eximitur ex alveo apum.

Mella Cecropia] Optima et generosa, qualia sunt ex Hymetto, monte Attico. Celebratur autem mel Atticum apud omnes autores, maxime apud Galenum.

72 *Sudat*] Quasi sudorem mittit.

Nectare olente] Ad thymi odorem retulit; de quo Virg. Georg. I. 'Redolentque thymo fragrantia mella.'

73 *Apis opifex*] Mellis operatrix.

74 *Liquat hæc*] Sc. mella; ex rore cœli et floribus thymi concinnat in liquorem.

75 *Nexilis inscia connubii*] Quæ non nectitur alteri ejusdem speciei, ut prolem generet. Neque enim apis generat more aliarum animantium ex coitu. Virg. Georg. IV. 'Illum adeo placuisse apibus mirabere morem, Quod nec concubitu indulgent, nec corpora segnes In Venerem solvunt, aut fetus nixibus edunt: Verum ipsæ natos foliis et suavibus herbis Ore legunt, ipsæ reges parvosque Quirites Sufficiunt.'

76 *Hinc quoque*] Ultra superiora, quæ diximus, ex agro proveniunt poma.

77 *Munera mitia*] Poma matura. Virg. Ecl. 'Sunt nobis mitia poma.'

78 *Arbor transfusa*] Concussa.

Suum onus] Suos fetus; quibus est onusta.

79 *Gravis*] Onusta pomis.

Pluvit imbre deciduo] Admodum imbris demittit.

81 *Quæ veterum*] Sensus est, quod neque Homeri aut Virgilii tuba, i. e. grandiloquentia, aut boatus tragicus; neque lyra, i. e. poëtæ lyrici, poterit laudibus exæquare munera, quæ accipiamus a Deo.

82 *Flatibus*] Refertur ad tubam, et 'fidibus' ad lyram.

83 *Opus*] Quæ operatus est hominis causa.

86 *Te, pater optime*] Ex hoc infert, sibi omni tempore agendas esse gratias Deo, pro muneribus acceptis.

Mane novo] Ut sup. ex autoritate Virgilii.

89 *Sumere cum monet hora cibum*] Antiqui non consueverunt sumere cibum ante horam vespertinam. Temporibus Salvatoris nostri hora nona diei cœnabant, sed et in nostra religione jejunantes non sumebant cibos ante horam vespertinam.

90 *Nostra harmonia*] Nota accentum in antepenultima.

91 *Quod calet*] Omnia sua dicit autor debere laudare DEUM.

Halitus interior] Spiritus, qui attrahit, ut refrigeretur cor, et in corde calescit.

92 *Vena abdita*] Arteria abscondita palpitat.

93 *Pulsat*] Unde et arteriarum pulsus dicitur.

94 *Cavum*] Oris concavitatem. Sed caveam appellavit, quia aves, quæ garriunt, caveis continentur: ita et lingua garrula in cavea est.

95 *Esto mihi laus*] I. e. totum expletur in laudem DEI.

96 *Nos igitur*] 'Igitur' hoc in loco non illative, sed completive tenetur.

Tua manus composuit nos] Plasmavit et finxit.

97 *Cæspite madido*] Terra humenti; quia terra alias non constaret. Ov. Met. I. 'Quam (terram) satus Iapeto mistam fluvialibus undis, Finxit in effigiem moderantum cuncta Deorum.'

98 *Meditata*] Exercens et faciens similitudinem suam; non quod Deus habuerint tunc effigiem humanam, ut putavit Epicurus.

99 *Ut materia*] Corpus sic formatum.

Foret rata] Quia informe cadaver jacebat.

100 *Flavit*] Gen. II. 'Formavit hominem de limo terræ, et inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ.'

Ore] Spiritu oris sui intus dedit animam.

101 *Tunc*] Postquam illum creavit. Genes. II. 'Tulit Dominus Deus hominem, et posuit eum in paradiso voluptatis, ut operaretur et custodiret illum.'

Jubet] Sc. creatum hominem.

102 *Frondicomis*] Arborosis. Nam frondes tantum sunt arborum.

103 *Ver perpetuum*] Flores qui Veris tempore proveniunt. Martial. 'Cum breve Sicaneæ Ver populantur apes.'

Redolet] Ad flores refertur ille odor.

104 *Latex celer*] Aqua celeriter fluens.

105 *Rigat prata multicolora*] Propter florum varietatem in coloribus.

Amne quadrifluo] Qui dividitur in quatuor illa flumina, quæ oriuntur ex paradiso voluptatis, Phison scilicet, Gion, Tigris, Euphrates. Genes. II. 'Et fluvius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum paradisum, qui inde dividitur in quatuor capita.'

106 *Famulentur*] Serviant. Genes. II. 'Præcepitque Deus homini dicens: Ex omni ligno paradisi comede, de ligno autem scientiæ boni et mali ne comedas.'

110 *Medio nemore*] Genes. II. 'Produxit lignum vitæ in medio paradisi, et lignum scientiæ boni et mali.'

111 *Hic*] Tunc.

Indocile] Aut pro indocto posuit, h. e. rudi, aut 'indocile' bonarum scilicet artium et virtutum, quæ in femina non reperiuntur, teste Aristotele.

112 *Illicit*] Blanditiis attrahit ingenium.

113 *Malesuada*] Quæ semper malum suadet. Virg. Æn. VI. 'Malesuada fames.'

116 *Mutua*] Alter alterius, et mutuo, et subaudi, quæ corpora erat nefas nosse; quia priusquam comederent; non videbant verenda sua.

117 *Post epulas*] Postquam comederunt de ligno vetito.

Inoperta] Nuda.

118 *Lubricus error erubuit*] Postquam sunt prævaricati, per errorem erubuerunt.

119 *Tegmina*] Perizomata.

121 *Conscia culpa*] Culpæ conscii.

122 *Exigitur*] Expellitur.

123 *Innuba*] Viro non subjecta, sed socia et omnium particeps. Nam nubere est minori conditione se conjugi suo dare. Martial. 'Uxori nubere nolo meæ:' Et sequitur, 'Inferior matrona suo sit, Prisce, marito. Non aliter fiunt femina virque pares.' Ov. quoque Met. 'Tibi nubere, Nympha, volentis Votis cede Dei.' Vides quid est, 'Virum nubere uxori suæ,' h. e. esse inferiorem et subjectum illi. Igitur innubam dixit Evam, i. e. viro non subditam, unde subdit: 'conjugis excipit imperium:' i. e. subditur illi; unde mulieri dixit Deus: 'Sub potestate viri eris, et ipse dominabitur tibi.'

125 *Federa tristia*] Mulieri iniqua, quia federa æqualia esse debent utrique parti.

127 *Plectitur*] Punitur.

128 *Colla trilinguia*] Serpentis, qui vulgo putatur triplices habere linguas. Virg. Georg. III. 'Linguis mi-

est ore trisulcis.'

Calce terat] Ad illud respicit, quod serpenti dixit: 'Ipse conteret caput tuum.'

129 *Muliebre solum*] Terram, quam mulier calcat, sive plantam pedis, unde solea dicta.

130 *Suspicit*] Observat et veneratur: et mulier suspicit virum. In priori tamen significatione est, pro sursum aspicere; ut Virg. 'Daphni, quid antiquos signorum suspicis ortus?' In secundo pro venerari, ut Plin. in Epist. 'Patrem tuum suspexerim magis an amaverim.'

131 *His ducibus*] Autoribus.

134 *Glomerans*] Miscens et involvens.

135 *Morte*] Pœna mortis.

Impia] Quæ in Deum commisit.

136 *Ecce venit*] Prosequitur hominis a morte peccati liberationem.

Nova progenies] Ad illud Virgilii alludit: 'Jam nova progenies cœlo demittitur alto.' Vel ad illud Jerem. XXXI. 'Creavit Dominus novum super terram, femina circumdabit virum.'

137 *Proditus*] A procul datus.

Alter homo] Secundus Adam, quem Paulus vocat 'novum hominem,' ad Ephes. v. 'Induite,' inquit, 'novum hominem.'

138 *Non luteus*] Verus homo: sed non propagatus cum traduce peccati primi hominis; ideo dixit, 'carens vitiis.'

141 *Sermo patris*] Verbum. Sapientiæ XVIII. 'Dum medium silentium tenerent omnia, omnipotens Sermo tuus a regalibus sedibus descendit.'

142 *Numine quam*] Ordo est; quam carnem puella intemerata parit.

Gravis] Gravida. Virg. in Bucol. 'Non insueta graves tentabunt pabula fœtas.'

Numine rutilante] Spiritu Sancto splendente: et respicit ad ignis naturam, in qua Spiritus Sanctus ad discipulos venit.

143 *Non thalamo*] Matrimonio virili.

144 *Nec illecebris*] Voluptatibus.

Genialibus] Conjugalibus. Horat. 'Lectus genialis in aula est.' Nam Genius generationis erat Deus.

146 *Hoc erat illud odium vetus*] De quo Deus ad serpentem loquitur; 'Inimicitias ponam inter te et mulierem, et semen illius.'

148 *Dissidium digladiabile*] Discordia, in qua digladiati sunt homo et diabolus.

149 *Vipera cernua*] Serpens in humum dejectus; nam illud significat cernuus: unde illi dixit DEUS: 'Super pectus tuum gradieris.'

150 *Proteritur pedibus*] Sc. virginis Deiparæ.

152 *Domat venena*] Serpentis venenalis.

153 *Tractibus*] Ordo est: Anguis concolor in viridi gramine, quia viridis est; unde Horat. 'virides colubros' dixit: et Virg. 'Virides occultant spineta lacertas.'

Inexplicitis] Sinuosis et in spiras convolutis.

154 *Piger*] Frigidus. Virg. 'Frigidus in pratis cantando rumpitur anguis.' aut piger, i. e. jam debilitatus. unde dicit, 'revomit virus inerme.' sc. post Christi incarnationem.

156 *Quæ feritas*] Omnes feræ timent invadere gregem Christianum.

157 *De grege candidulo*] Baptismate mundato. Unde et baptizati veste candida induuntur: et inde Dominica in albis celebratur, quia ea die Catechumeni baptizabantur.

160 *Immemor sanguinis*] Quia jam dediscit vesci sanguine humano.

161 *Vice mirifica*] Facta vicissitudine contra communem naturæ cursum.

162 *Imperitat leonibus*] Cum Agnus fit præda leonum.

165 *Lapsa sidere*] De cœlo descendens, h. e. Christus; alias Spiritus Sanctus, qui in illa specie descendit post Christi baptismum, exagitans Aquilas truces, &c.

167 *Avis pasta sanguine*] Aquila, i. e. dæmon, qui solet in mortales grassari. Per lupum quoque et tigridem æque diabolum intelligit.

171 *Da locuples*] Post longam phrasin redit ad propositum.

173 *Levent membra*] Membra habeant non gravata cibo, sed levia et agilia.

175 *Stomachus gravet viscera tenta*] Q. d. Satis est, ipsum esse aliquatenus gravatum cibo, sed non occupet alia membra. Sed proprie stomachus est ipsum ventris os; et sic stat melius sententia.

176 *Haustus amarus*] Potus, qui in amaritudinem terminantur. Unde est illud Anacharsis Scythæ: 'Tres uvas vitis fert, quarum prima voluptas, secunda ebrietas, tertia mæstitia.'

178 *Exitiale*] Mortiferum ipsi animæ.

180 *Jecur incolume*] Per jecur affectus intelligit, ex Platonis opinione.

181 *Anguibus horrificis*] Dæmonibus.

182 *Liba*] Quæ ante Christi Natalem offerebant dæmonibus.

184 *Semel*] H. e. morte naturali; quia, ut ait Apostolus, 'statutum est hominibus semel mori;' sed non morte animæ.

186 *Vigor igneolus*] Anima; et est Virg. Æn. v. 'Igneus est ollis vigor et cœlestis origo,' oppositive.

Oris opus] In quod, ut paulo ante diximus, 'inspiravit spiraculum vitæ.'

188 *Compositus*] Citatus.

189 *De solio patris*] Hoc etiam ex sententia Aristotelis, qui dicit, 'animas non ex traduce corporis, sed a Deo infundi.'

190 *Liquidæ rationis*] Puræ et ab omni contagione immunis.

191 *Viscera mortua*] Corpus caducum etiam reparabitur in die judicii.

194 *Prisca*] Prior.

195 *Situ pulvereo*] Pulvere squalido et resoluto.

196 *Credo equidem, neque vana fides*] Virgilii est ex Æn. IV.

197 *More animæ*] Sicut anima corpori superstes vivit; et est Juven. 'Vulgi perit omne cadaver More animæ.' quanquam in diversa sententia.

198 *Nam modo*] Argumentum est Pauli Apostoli, ad probandum quod sumus resurrecturi, quia Christus, primitiæ dormientium, resurrexit.

Deum corporeum] Christum.

199 *De Phlegethonte*] Ab Inferis; quia Phlegethon Inferorum fluvius est.

Gradu facili] Non laboriose, cum cæteris 'facilis sit descensus Averni,' ut Virg. Æn. VI. dicit; 'Sed revocare gradum superasque evadere ad auras, Hoc opus, hic labor est.'

201 *Eadem spes*] Resurgendi a mortuis ad superos.

Manet] Expectat; 'Expecto resurrectionem mortuorum.'

202 *Quæ redolentia*] More antiquorum, qui odoribus aromaticis condiebant corpora.

203 *Sarcophago*] Sepulcro.

204 *Christus hume redivivus*] Qui ex morte rediit ad vitam. Juven. 'Ac velut exhausta redivivus pullulet arca Nummus.'

Dux parilis] Mihi æqualis in natura humana, et dux meus vocat membra, &c.

HYMN. IV. Continuatur hæc oda ad præcedentem.

1 *Visceribus*] Interioribus et exterioribus: nam et de carne Virg. Æn. I. dixit: 'Tergora diripiunt costis et viscera nudant.' Et Lucr. 'Visceribus viscus gigni sanguenque creari.'

2 *Lex corporis*] Quod, nisi reficiatur cibo, durare non potest.

3 *Patri*] Agendas esse gratias ait primum Patri, deinde Filio, tum Spiritui Sancto.

6 *Subnixus*] Sedens.

Solio supremo] Sede, qua nulla est superior: quia Dei duo sunt propria, Maximus, propter eminentiam, et Optimus propter beneficentiam.

Tenet regitque suum sedile sacrum] Cui innititur: et per sedile intelligimus omnium rerum providentiam et arbitrium potestatemque, quale est illud: 'Super solium David sedebit, et regni ejus non erit finis.'

7 *Deum Sabaoth*] Exercituum, et scribitur per S, et non per Z, ut Aldus Manutius castigavit: nam Zeta aliud sonat, quam Sama.

8 *Expers*] Infinitus et æternus: quia caret principio et fine.

9 *Rerum conditor*] Creatio rerum ad totam Trinitatem pertinet, sed attribuitur Patri, quasi Principi creationis; unde est in symbolo: 'Patrem omnipotentem creatorem cœli et terræ.'

Repertor orbis] Quia orbem, ut sic dixerim, peperit. Virg. Æn. 'Hominum rerumque repertor.'

10 *Fons vitæ*] Ad Filium pertinet hoc, ex quo per Redemtionem vita nostra pendet.

Fluens ab arce liquida] Emanans a Patris celsitudine per æternam generationem.

12 *Inde*] Subaudi, a Christo.

14 *Regnat*] Sc. cum Patre et Filio.

15 *Missus*] Aut exponendum est, 'missus' pro inspiratus a Patre et Filio; aut pertinet ad missionem personarum; quoniam Pater mittit Filium, et non contra; mittit Spiritum Sanctum, et non contra; mittit Filius Spiritum Sanctum, et non contra. Missus itaque fuit Spiritus Sanctus a Patre et Filio; aut in nomine Filii, super centum et viginti illos, qui erant in cœnaculo illo, in die Pentecostes. Mittitur et quotidie in eos qui sunt digni.

17 *Vice templi*] Ad similitudinem templi ornati, in quo Deus peculiariter habitare creditur.

19 *Sed si quid*] Si S. Sanctus, qui nostrum templum intrat mundatum et habitat, si sensit in nobis aliquod vitium innasci, quod templum coinquinet, fugit.

20 *Dicata*] Consecrata et digna, in quibus habitaret: ita fugit quasi a templo fœtido et peccatis commaculato.

23 *Horror conscius*] Peccatum, quod facit horrorem ex turpitudine sua, et peccator ipse conscius sibi.

Culpa æstuante] Non permittente peccatorem quiescere: quia vermis ille non potest mori. Juven. 'Exemplo quodcunque malo committitur, ipsi Displicet autori.' Et illud ejusdem; 'Tacita sudant præcordia culpa.'

24 *Niger*] Ille horror immundus.

Repellit bonum offensum] S. S. quem offendit sua illuvie et spurcitia.

25 *Nec solus pudor*] Non satis est, inquit, hominem esse castum, pudicum, et innocentem ad hoc, ut sit templum Dei; sed debet esse sobrius, et a cibi nimietate temperans.

26 *Perenne*] Continuum.

27 *In sinu ac recessu cordis*] Nam Cor tres habet sinus. Unde Pers. 'Ut mihi te quantum sinuoso pectore fixi.' Sed hic sinum posuit pro interiori recessu. Igitur exponendum, in sinu medii cordis, i. e. medio sinu cordis.

28 *Ferveat*] Ad naturam vini retulit. Pers. 'Indomitum quod despumare falernum.'

29 *Sedem fidei*] Cor, in quo fides habitat. Paulus ad Roman. cap. x. 'Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem.'

30 *Coartet*] Angustet et constringat.

Congeriem] Epularum repletionem.

31 *Expedita*] Non impedita et occupata.

32 *Deum infusum*] Christum receptum.

33 *Hic pastus verus*] Qui dixit Joann. vi. 'Caro mea est vere cibus, et sanguis meus vere est potus.'

34 *Sed nos*] Tu, inquit, o Christe,

reficis nos epulis, quæ non solum corpus sed et animum reficiant.

Fovens] Recreans.

Paratu gemino] Cibi apparatu ad utrunque valenti, ad membra et ad animum.

36 *Confirmas, Pater*] Si Pater ad Christum referatur, nomen honoris est, alioqui per adoptionem fratres illius sumus: vel ad Deum patrem apostrophat, vel ad totam Trinitatem.

37 *Sic olim*] Affert exemplum ex historia Danieli, quæ scribitur in ipsius lib. c. XIV. qui positus in lacu leonum, pastus est utroque cibo ab Abacuc Propheta advecto per Angelum.

Sic] Pascendo corpus et animam.

Præcluens potestas] Pollens, ut exposuimus in Psychomachia, 'Qui patria virtute cluis.'

38 *Raucisonos leones*] Rauco sono quodam rugientes.

39 *Refocit virum*] Recreavit Danielum.

Dapibus illapsis] De cœlo descendentibus.

40 *Execrantem numen fusile*] Statuam Beli ex ære fusili fabrefactam.

41 *Sub expolita materia æris*] Quia Belus erat ex ærea materia.

42 *Et putantem nefas curvare caput*] Adorare numen Beli.

43 *Tyrannus*] Cyrus rex.

44 *Subdiderant illum morti*] Objecerant.

49 *Astant cominus*] Quasi ministri apparent Danieli.

Jubas reponunt] Quas irati solent arrigere.

50 *Rabies*] Ingenita leonibus, et tunc maxime cum ex fame laborant. Virg. Æn. 'Quos improba ventris Exegit cæcos rabies.'

Fame blanda] Non rabiosa, sed placida.

51 *Ambit prædam*] Danielum, qui futurus erat leonibus esca.

54 *Clausus jugiter*] Per dies septem: nam tamdiu fuit in lacu leonum.

Victus] Alimenti.

55 *Nuncius*] Qui Græce dicitur Angelus.

Jussus] A Deo.

Terris] In terras. Virg. Æn. I. 'Et Libycis defixit lumina terris.'

57 *Mundo*] Cœlo, per quod Angelus volans delapsus est: obtemperanter cedente ipsi angelo descendenti.

58 *Dapes inemtas*] Quas Abacuc non emerat ex primis ex fore pecuniis, sed domesticas.

60 *Arte agresti*] Erant autem dapes illæ pulmentum et panes, ut refert historia: in quibus cibis concinnandis non erat opus arte aliqua.

61 *Cæsarie hujus*] Abacuc.

Prehensa manu] Subaudi, Angeli. nam capillo capitis Angelus illum portavit Babylonem.

65 *Sensim*] Non præcipitanter.

68 *Angelus Christi*] Prolepsis est; nondum enim Verbum erat Christus, qui dicit utramque naturam, divinam et humanam.

69 *Tibi*] Gustui tuo.

70 *Danielus*] Ex forma quam diximus aliis in locis.

Excitavit] Erexit.

71 *Ciboque fortis*] Refocillatus et refectus.

72 *Reddidit*] Geminavit.

Alleluia] Dei laudes.

73 *Sic nos*] Ad propositum redit. 'Sic,' quemadmodum Danielus fecit, qui, sumto cibo, Deo gratias egit.

76 *Tu nos*] Danieli historiam moraliter exponit, vel potius parabolice, dicens quod quemadmodum Danielus carcere leonum inclusus pastus fuit ab Abacuc Propheta, et liberatus tandem ab ira leonum, ita et nos liberati a potestate dæmonum, pascemur cibo cœlesti.

Tu] Subaudi, Deus.

77 *Actu mundi*] Actionibus mundanis.

Impotentis] Nimium potentis et sævientis in nos: nam impotens Latinis sic accipitur. Unde et tyranni impotentes dicuntur et impotentiam tyrannorum dicimus, cum per potentiam aliquid sævitiæ exercent.

78 *Regis nos*] Conclusos.

Repellis ferum] H. e. diabolum a nobis.

79 *Quæ circumfremit*] Juxta illud Apostoli 1 Pet. v. 'Adversarius vester diabolus tanquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret.'

81 *Tunc*] Sc. cum sic claudimur.

82 *Vexamur, premimur*] Si quando sumus in hujusmodi angustia illata a carne, a mundo, a diabolo, qui sunt publice hostes nostri.

84 *Fides est juncta*] Pro, sit adhibita, ut sit præsens: pro futuro imperativi sive optativi, vel pro erit.

Iniquis suppliciis] Iniquorum, qui nos sic vexant et premunt.

85 *Ne defit*] Pro, non deficiet, præsens pro futuro, ut sup. Virg. 'Lac mihi non æstate novum, non frigore defit.' pro, deficit.

86 *Languente ira*] Debilitata virtute divina.

87 *Illapsæ desuper*] Ex cœlo advenientes.

Ingeruntur] Pro, ingerentur nobis.

88 *Quas*] Sc. escas cœlestes.

Si quis hauriendo sitienter] Non cum fastidio, et quasi degustet, sed pleno ore devoraverit.

91 *Hic satiatus ex Sancto Propheta*] Sicut Danielus ab Abacuc.

92 *Virorum justorum*] Qualis fuit Abacuc.

93 *Qui metunt Domino*] Hoc ad illud pertinet, quod Abacuc cibos illos, quos detulit ad Danielum, messoribus parabat, ut ibidem legitur: hi sunt messores, de quibus Apostolus, 'qui parce seminat, parce et metit.' Et Psalmographus: 'Venientes venient cum exultatione portantes manipulos suos.'

96 *Pia ora*] Verba divina, quæ nobis Deus per Prophetas denunciat, quibus nihil dulcius excogitari potest, dicente Propheta: 'Quam dulcia faucibus meis eloquia tua super mel ori meo.'

97 *His sumtis*] Sc. cibis, h. e. divinis præceptis.

Potestas insolens] Arrogans et superba: nam insolens illud significat, unde est insolentia, superbia.

98 *Judicet pravum*] Pro, prave; nomen pro adverbio, figura nota.

Irroget] Intentet et minetur.

99 *Leones impasti*] Quales erant, quibus objectus est Danielus.

102 *Feremus tuam crucem*] In hac confessione, si oportuerit, moriemur. Et alludit ad illud: 'Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me.'

HYMN. V. abest.

HYMN. VI. abest.

HYMN. VII. abest initium.

72 *Veterum pietas*] Mendum est, et nescio an debeat legi *Victus*, ut sup. 'in pectore victo:' vel pietas interjective positum est: ut apud Virg. Æn. VI. 'Heu pietas, heu prisca fides.' Quod vero dicit, 'lavit,' quomodo debeat intelligi, vide. Nam baptisma Joannis non abluebat peccata: et quod sequitur, quod 'descendebat Spiritus Sanctus,' de solo Christo legitur, cum fuit baptizatus a Joanne, quod descendit S. Sanctus in specie columbæ vel potius velut columba.

78 *Vena auri recocta*] Balnea igni purgata; nam ita per recoctionem aurum purgatum, fit obryzum.

79 *Lux metalli argentei*] Splendor argenti, quia nec vena est aurum, nec argentum metallum: sed eruuntur ex vena sive metallo.

80 *Polito*] Poliente.

Sudum] Clarum et serenum; et positum nomen pro adverbio, sudum, pro, sude; sicut pulcrum, pro pulcre. Sic Virg. 'Torvumque repente Pro-

clamat.' Et, ' sedet, æternumque sedebit :' pro, torve et æterne.

81 *Referre*] Prosequitur de jejunio Ninivitarum.

Stemma] Nobilitatem et laudem ductam ab antiquitate.

82 *Proditum*] Literis mandatum.

Volumine fidei] In Jona Propheta qui est ex sacro canone.

83 *Ut diruenda*] Ordo est, ut, i. e. quomodo, fulmen benigni patris, i. e. ira ex bonitate Dei placata.

85 *Pepercerit incolis*] Habitatoribus Ninive.

Repressis ignibus] Aut quod igne vastaturus erat urbem, aut quia hoc non legitur in prædicto libro; sed quod erat eversurus, exponendum potius, ut sup. ' ignibus' pro furore et ira.

86 *Gens præpotens*] Lucan. ' Et felix sic fama minus.'

87 *Fluentem nequiter*] Lapsam in libidinem.

88 *Lascivia corrupti*] Ipsi corrupti per lasciviam.

Solverat] Dissolutum fecerat.

Vulgo] Communiter et passim, sine differentia personarum.

89 *Contumax*] Rebellis.

Fastidio bruto] Superbia bestiali.

91 *Tandem*] Post multa illorum civium crimina.

Censura indulgentiæ jugis] Deus censor indulgentissimus jugiter. nam indulgentia proprie est patrum in filios mollis, et delicata educatio, ut dicit Quintilianus.

Offensa] Illorum vitiis.

92 *Motibus justis*] Justa ira ad puniendum illos.

93 *Incendio rhomphealí*] Exponendum ut sup. i. e. ense illo, de quo Genesis cap. III. ' Collocavit ante paradisum voluptatis, Cherubim et flammeum gladium atque versatilem.' Est enim rhomphea, Græce, Latine gladius sive framea.

94 *Crepantes*] Sonoros et fragore venientes.

95 *Flammarum tonantum*] Fulminum, quæ cum erumpunt, tonant nubibus ruptis.

96 *Sed pœnitendi*] Ordo est; sed terror exorabilis, i. e. Deus nimis territans, qui tamen potest exorari, h. e. ab illo venia impetrari.

Diecula pœnitendi] In qua pœnitentiam agerent.

99 *Suspendit ictum*] Continuit manum, neque misit fulmen paratum.

100 *Dicta*] Jam lata.

Substitit] Cessavit.

101 *Ultor mitis*] Sicut sup. ' fulmen mansuetum.'

106 *Pontibus*] Quos vulgus appellat scalas, et omnia quæ sequuntur patent ex lectione ipsius Prophetæ.

112 *Urna*] Vas in quo jaciuntur sortes. Virg. Æn. VI. ' Stat ductis sortibus urna.'

114 *Beluinis*] Balenæ.

116 *Præda*] Jonas, qui ita vocatus est, ac si esset balenæ cibus.

Transmissa] Transglutita subito.

117 *Eludit ictus*] Quia non fuit dentibus læsa.

118 *Linguam*] A qua etiam non est læsa; quod fecit Deus.

Mordicus] Morsu sive mordendo.

Retentam] Si inter dentes et linguam fuisset retenta.

119 *Vividi*] Acuti.

Offam] Carnem.

120 *Transit*] Et præterit, nulla in oris inanitate facta mora.

121 *Ternis processibus*] Pro tribus spatiis, more poëtico, posito distributivo pro numerali; ut Virg. Æn. I. ' Bina manu lato crispans hastilia ferro.'

123 *Per latebras*] Per tubos, h. e. laryngam et ventrem.

124 *Recessus tortiles*] Penetralia curva.

125 *Anhelus extis æstuantibus*] Quia cum balenæ intestina æstuarent, necesse erat Prophetam anhelare.

126 *Exin*] Deinde.

Vice tertiæ noctis] Cum advenisset

non tertia, postquam fuit devoratus. Vice autem noctis dixit, quia nox et dies invicem sibi succedunt, unde illud: 'Vicissitudines noctium faciunt dies alacriores.'

128 *Qua fluctus*] Descriptio est littoris. Qua, i. e. ea parte maris, qua fluctus frangitur.

Fine murmuranti] In termino maris, ubi fit murmur ex collisione undarum ad saxa. Nam in mari summo non fit talis fragor.

129 *Pumices salsos*] Saxa cavernosa ex salsedine aquæ illisæ. Virg. 'Dulces latebroso in pumice nidi.'

131 *Pervito*] Veloci.

133 *Censor*] Sc. Jonas, quasi censor, i. e. magister morum.

Imputans] Cum reprehensione memorans.

134 *Impendet*] Instat et imminet super vos.

136 *Apicem*] Verticem.

138 *Ruinæ*] Urbis eversæ.

Strutum] Pro stragem.

139 *Tectus*] Adumbratus.

Germinis multinodi] Plantæ illius effusæ in multos ramos. Sed quæ fuerit illa planta, dubium est. Hieronymus hederam interpretatur, alii cucurbitam fuisse dicunt. Hebræi neutrum esse dicunt, sed suffruticem, Palæstinæ familiarem, quod kikajon apud illos dicatur.

142 *Palpitat supremum*] Tremit ad morientium similitudinem, quorum membra non moventur, sed palpitant; et posuit 'supremum' nomen pro adverbio.

147 *Christum*] Deum, ut sup. diximus, per prolepsim.

Mos edendi] Consuetus cibus.

148 *Glaucos*] Virides, quod in luctu etiam hodie in Italia faciunt, ut lugentes utantur vestibus ejus coloris, tendentis in nigrorem, et quæ fere imitentur cupressos. Virg. Æn. III. 'Stant manibus aræ Cœruleis mæstæ vittis atraque cupresso.'

152 *Setas textiles*] Cilicium, quod texitur ex villis caprarum. Virg. Georg. III. 'Setas intonsaque menta Cyniphii tondent hirci.'

154 *Velamine nigrante*] Sicut in nuptiis utebantur flammeolo.

156 *Rex ipse*] Ninivitarum.

Æstuantem murices Lænam] Purpuream, quæ imitatur flagrantem ignem. Virg. Æn. IV. 'Tyrioque ardebat murice læna.'

Coos] A Co insula prope Rhodum; unde vestes Coæ dictæ. Tibull. 'Hæc dat avaritiæ causas et Coa puellis Vestis, et e Rubro lucida concha mari.' Et Propert. 'Et tenues Coa veste movere sinus.'

157 *Lænam*] Vestem preciosam.

Fibula] Zona, qua vestes cinguntur.

158 *Gemmas virentes*] Smaragdos.

Lapillos sutiles] Uniones et margaritas dicit, quæ ideo terebrantur, ut vestibus aut tiaris insuantur.

159 *Vinculum frontis*] Coronam ex gemmis et margaritis constructam. Virg. Æn. I. 'Et duplicem gemmis auroque coronam.'

165 *Nutrix parca*] Denegans succum infantibus.

168 *Rorulenta*] Gramina. Virg. 'Cum ros in tenera pecori gratissimus herba est.'

169 *Potum*] Idem: 'Nulla neque amnem Libavit quadrupes, nec graminis attigit herbam.'

170 *Vacuis*] Inanibus et sine pabulo.

171 *Iram brevem*] Quia 'ira furor brevis est,' ut dicit Horat. Epist. I. et Psalmographus: 'Nunquid irascetur per singulos dies.'

172 *Oraculum*] Quod per Prophetam jussit prædicari.

173 *Prosper*] Prosperitatem afferens.

175 *Reatum*] Cujus erant rei.

Fit fautrix] Favet.

176 *Sed cur vetusta*] Quasi dicat, cum habeamus exempla recentiora, omittamus antiqua.

177 *Pridem*] Non multo tempore ante, annos circiter trecentos.

Gravatus artubus] Qui et itinere defatigabatur, et sitiebat ad puteum, et esuriebat in deserto.

178 *Dicato corde*] Ad hoc jejunium sacrum dedito.

179 *Ore Prophetico*] Esaiæ, qui dixit cap. VII. 'Ecce virgo concipiet et pariet filium, et vocabitur nomen ejus Emanuel.'

181 *Qui*] Sc. Emanuel. i. e. sumpta carne factus homini familiaris.

Molle naturaliter] Ad mollitiem et voluptatem proclive.

182 *Jugo laxo*] Non arcto, quale est virtutum: sed laxo, quia lata est via, quæ ducit ad perditionem.

183 *Arcta lege virtutis*] Prædicans virtutis viam, quæ arcta est et difficilis.

Fecit liberum] A servitute liberavit peccati.

184 *Emancipator*] Assertor et vindex plasmatis servientis. i. e. hominis sub jugo peccati existentis.

185 *Ante*] Sc. quam nostram carnem sumeret.

186 *Loco inhospitali*] In deserto.

187 *Quinis octies*] Quadraginta.

188 *Vindicavit*] Sibi assumpsit.

Gratiam] Suavitatem.

189 *Firmans*] Confirmans et firmum faciens.

190 *Vas imbecillum*] Corpus, quod est quasi animi vas, unde Apostolus: 'Scientes unusquisque suum vas possidere.'

Imbecillum] Fragile alioquin et pronum ad voluptates, 'quæ,' ut ait Arist. 'nobis cognatæ sunt.'

191 *Limum tabidum*] Hominem ex luto factum, atque ex consequenti mortalem.

193 *Explorat*] Inquirit et tentat post tergum, cum dixit illi Christus: 'Vade retro, Satana.'

196 *Quisque pro viribus*] Virg. 'Pro se quisque, viri.'

201 *Livor hostis atri*] Diabolus lividus et invidus; invidet nobis, cum videt nos jejunantes.

202 *Probat*] Approbat et laudat.

203 *Aram altaris*] Deum, propter quem placandum facimus sacrificium.

205 *Limat rubiginem*] Abstergit peccati sordes.

206 *Perfusa*] Illud quod de eleemosyna scribitur: 'Sicut aqua extinguit ignem, ita eleemosyna extinguit peccatum:' de jejunio posse verius dici, putat autor; nihilominus tamen illam jejunio adjungit.

208 *Scabra*] Spinosa et aspera; quæ non sinit bonum semen crescere.

209 *Vanescit*] Intermoritur.

210 *Largitas blanda*] Mite opus misericordiæ; cujus opera adjungit jejunio.

215 *Inter potentes et egenos ducere*] Putare, omnes homines natura esse æquales, atque, ut ait Juvenalis, 'paribus constare elementis.' Non ut femina illa arrogans et immitis apud eundem clamat: 'O demens, ita servus homo?'

217 *Laudis rapacem*] Avaram gloriæ.

HYMN. VIII. Canitur post solutum jejunium, h. e. post cœnam jejunantium. Canitur hic hymnus hora nona, quando jejunium solvitur, h. e. tempore cœnæ. In quo primo dicit quanta indulgentia Deus Christianos tractet, quibus sub lege astrictis tamen habenas laxas dat permittendo illis, ut largiori cibo jejunia solvant, et faciem lavent: quanto prætered nos amore prosequatur, ex eo demonstrat, quod relictis nonaginta novem ovibus hominem perditum quæsivit, Deoque restituit: pro quibus beneficiis gratias a nobis agendas esse dicit.

1 *Regimen*] Pro, Rector.

3 *Lege facili*] Non qualis fuit vetus, quæ jubebat ex talione pœnas luere, h. e. oculum pro oculo, manum pro manu.

5 *Ipse cum portans*] Ordo est: cum

tu ipse major exemplis, vel major, i. e. magister, vel potius major, quia omnia, quæ nobis præcepit facere, ipse majorem in modum fecit, et subiit omnes labores humanos, ut nobis esset exemplo.

Corpus impeditum] Et quod animo potius est impedimento, quam auxilio.

7 *Palpas famulos*] Blandiris illos molliter tractans. Juven. 'Quem munere palpat Charus.'

Remisso] Non rigido, sed molli.

9 *Nona hora*] Qua antiquiores soliti erant solvere jejunium.

10 *Partibus tribus*] Subaudi, ex quatuor, in quas dies dividitur: quemadmodum et nox in quatuor vigilias, prima, tertia, sexta, nona.

13 *Voti*] Quod vovimus in obsequium.

Dape vindicata] Accepta.

14 *Festum*] Jejunium, ut in superiori hymno: 'Festumque nostrum, rex serenus, aspice.'

15 *Imbuatur voluptas*] Impleatur fames, quam evacuando sequitur voluptas, cum ipsa dolorem potius afferat.

16 *Prona*] Ad quam sumus natura proni, ex Aristot. ut diximus sup.

17 *Favor magistri*] Ita favet nobis, quod non prohibet nos vesci cibo sufficienti.

18 *Indulgens*] Molliter et delicate nos educans; quod significat indulgere, ut sup. diximus.

19 *Lactat nos*] Nutrit quasi infantes lacte.

Ut obsequiis]. Nos illi obsequentes mulceamus, id est, reficiamus membra jejunio debilitata.

21 *Addit*] Subaudi, ad superiora.

Ne quis velit macerare frontem] Ex eo quod scribitur Matth. cap. vi. 'Cum jejunatis, nolite fieri, sicut hypocritæ, tristes; exterminant enim facies suas, ut videantur hominibus jejunantes.' Est autem exterminare, extra terminos ponere; quod faciunt, qui se ultra modum macerant.

Invenuste] Turpiter: quia venustum est pulchrum.

24 *Comat decus vultus*] Ornet faciem et exhilaret illam; ex eo quod dixit: 'Tu autem, cum jejunas, ungue caput tuum oleo, et faciem tuam lava.' vel ornet caput et pectat illud, unde caput maneat pulchrum. Nam 'honor' hic pro pulchritudine ponitur; ut apud Virg. Æn. I. 'Et lætis oculis afflarat honores.'

26 *Tinguat faciem subducto rubore*] Puta, suffitu cymini. Unde Hor. 'Quod si Pallerem casu, biberent exangue cyminum,' i. e. quod sanguinem extinguit, ex quo rubor constat.

27 *Luteus*] Pallidus.

29 *Læto pudore*] Rubore; quoniam, quos pudet, rubent; unde pudor pro rubore; et e contrario rubor pro pudore: nam, ut dixit Dio, 'ille est color virtutis.'

33 *Ille ovem*] Quantus sit amor Dei erga nos, ostendit, quod relictis nonaginta novem ovibus, i. e. novem ordinibus angelorum, ad hominem deperditum profectus est: quæsitum ex eo quod scribitur Matth. xvi. 'Si fuerint alicui centum oves, et erraverit una ex eis, nonne relinquit nonaginta novem?'

Ovem morbo residem] Tardam et pigram, qualem Virg. Georg. III. describit: 'Quam procul aut molli succedere sæpius umbræ Videris, aut summas carpentem ignavius herbas, Extremamque sequi, aut medio procumbere campo Pascentem, et seræ solam decedere nocti: Continuo culpam ferro compesce.'

Gregique perditam] A grege aberrantem.

37 *Exclusis*] Fugatis.

38 *Gestat humeros gravatus*] Ovem humeros gravantem.

39 *Purgatam*] Sentibus.

Ovili aprico] Ecclesiæ aut beatorum numero.

41 *Campo viridi*] Paradiso.

42 *Ubi nulla spina*] Quæ sc. ovium

vellera, imo et cutem lædat.

Vibrat] Crispatur.

Impexis lappis] Involutis illis herbis, de quibus Virgil. Georg. I. 'Subit aspera silva, Lappæque tribulique.'

43 *Sudibus perarmat*] Spinis erectis in modum sudium. Juvenal. 'Erectas in terga sudes.'

44 *Carduus horrens*] Hirtus spinis. Virg. 'Segnisque horreret in arvis Carduus.'

46 *Coma herbarum*] Folium emittit flores.

47 *Fluentis vivis*] Mobilibus et ex aqua natura scaturienti, ut Virg. 'Vivoque sedilia saxo.'

48 *Obumbrat*] Incumbit fluvio vitreo, i. e. pellucido et transparenti.

51 *Compensant*] Exæquate possunt.

53 *Quamlibet*] Sensus est; quod quantumcumque nos jejunio maceremus et oremus die noctuque, omnia beneficiis divinis sunt minora.

57 *Minor cura*] Omne illud quod curamus.

59 *Frangit et cratem*] Sed (inquit) quanquam ita sit, si nos ultra modum maceremus, dissolvetur hoc figmentum.

Grandior usus laborum] Quia nimium utendo testaceo vase, aliquando frangitur: et ita corpus nostrum, quod est ex luto compositum.

Cratem] Quæ ex virgis contexitur; hic pro figulino opere ponitur.

63 *Humor aquosus*] Quia ventre vacuo confluunt eo humores; quare cibus esurientibus imperatur.

65 *Laxus et liber*] Solutus, et ut ad saturitatem edamus: sed non ad satietatem.

66 *Neque terror severus*] Deus severus et terrens.

67 *Impellit nos*] Cogit nos; subaudi, ultra modum a cibo continere.

Sua potestas cogit quemque velle] Ut quisque velit secundum suam possibilitatem.

69 *Sufficit*] Juxta illud Apostoli: 'Quidquid facitis, in nomine Domini nostri Jesu Christi facite.'

74 *Hoc salubre*] Sc. quod carpimus escas.

78 *Animum pascat*] Quia ex salubritate corporis sequitur animi libera contemplatio.

HYMN. IX. Est carmen accommodatum, quod ad omnes horas canatur. Commemorat duplicem Christi ortum, æternum a Patre; et temporalem a matre: deinde miracula complura quæ fecit, et passionem descensumque ad Inferos: et ad cœlum ascensionem, unde venturus est judex vivorum et mortuorum: tandem hortatur omnem sexum et ætatem ad illius laudes concelebrandas.

1 *Da puer*] Famulum suum alloquitur more poëtico, jubetque sibi afferri musicum instrumentum, ut cantet voce et chordis Christi miracula.

Plectrum] Instrumentum, quo tanguntur chordæ; sed hic pro ipso instrumento ex fidibus posuit.

Choreis fidelibus] Non Ethnicis, sed Christianis.

2 *Et melodum*] Sc. carmen: neque enim declinatur meles melodis, ut quidam putant, sed meles melu: ergo carmen melodum, i. e. dulce, a meli, quod est mel, et ode, cantus.

Gesta insignia] Appositive.

3 *Camena*] Carmen per metonymiam.

Laudet lyra] Carmen lyræ applicatum.

4 *Rex sacerdos*] David, qui fuit rex, sed sacerdotem cur illum vocet, non video: nisi forte quia unctus fuit, quoniam sacerdotium cum regno in Christum convenit.

Protinus] Paulo post.

5 *Infulatus*] More Pontificis infula indutus.

Voce] Cantando.

Chorda] In psalterio decachordo, aut cithara plurium chordarum.

Tympano] Instrumento noto.

6 *Cœlo influentem*] Qui e cœlo influebat aspirabaturque.

7 *Facta et probata*] Non solum facta, sed etiam veris Evangelistarum testimoniis comprobata.

8 *Testis orbis*] Imo, inquit, omnis terra, 'in quam exivit sonus Apostolorum.'

9 *Deum proditum*] Partu virginis æditum.

Comminus] Prope ad illud Baruch. v. 'In terris visus est, et cum hominibus conversatus est.'

10 *Ex parentis corde*] Quia quemadmodum sapientia proficiscitur ex corde, secundum Platonem, unde vecordes dicimus insanos: ita Christus, qui est sapientia patris, per æternam generationem ortus est ex corde patris.

11 *Ipse fons*] Principium.

Clausula] Finis, in quem omnia clauduntur terminanturque. Virg. Ecl. 'Ante diem clauso componet vesper olympo.'

13 *Ipse jussit*] Ex Psal. XLVIII. 'Quia ipse dixit, et facta sunt, ipse mandavit et creata sunt.'

14 *Fossa ponti*] Maris receptaculum sive alveus.

Cœlum] Pro aëre posuit; subdit namque: 'quæque vigent in his:' significatque tria elementa, in quibus animalia vivunt.

16 *Caduci*] Mortalis.

Obnoxia] Obligata.

17 *Primoplasti*] Cur non potius *protoplasti*: ne sit compositio ex Latino et Græco.

18 *Lex noxialis*] Non quod lex nocuit, nisi per accidens: sed quod ipsi peccando contra legem acceperunt nocumentum.

21 *Protulit os*] Extulit faciem ex utero virginis.

23 *Virtutis*] Potéstatis.

26 *Pagina fideles*] Quæ non poterant mentiri.

28 *Falernum nobile*] Generosissimum ex Campania vinum, ut sit species pro genere.

30 *Ipse rex*] Convivii princeps, hoc est, architriclinus. Rex in hac significatione apud Martialem, Juvenal. et Columellam sæpe.

33 *Piamina vulnerum*] Munera quæ jussus est offerre sacerdotibus.

35 *Nectare oris*] Saliva illa divina; quia nectar potus est Deorum.

36 *Orbibus*] Oculorum sinibus.

40 *Extimum vestis sacratæ*] Ex eo quod scribitur Matth. IX. quod eunte Jesu ad domum Principis Synagogæ, 'Mulier quædam, quæ sanguinis fluxum patiebatur, accessit retro, et tetigit fimbriam vestimenti ejus, dicebatque intra se, Si tetigero fimbriam vestimenti ejus, salva ero, et salvata est.'

43 *Exitu dulcis*] De hoc miraculo Luc. VIII. 'Ibat,' inquit, 'Jesus in civitatem, quæ dicitur Naim, et ecce defunctus efferebatur filius unicus matris suæ:' et ibidem quomodo suscitatus est.

46 *Sole jam quarto*] Quomodo Lazarum a mortuis suscitavit, ex Johan. cap. XII.

47 *Vigere*] Vitam et vigorem habere.

Spiramine] Anima: id quod sequitur, pro eo quod præcedit.

48 *Halitus*] Redditus, eodem modo, i. e. anima.

51 *Fatiscit*] Dehiscit aut cedit, sed sustinet vestigia.

52 *Suetus antro*] Hoc gestum narratur in Marc. cap. v. quo pacto exeunte Jesu de navi statim occurrit de monumentis homo in spiritu immundo.

In antro bustiali] Sepulchro, ubi erant cineres alicujus sepulti.

53 *Mentis impos*] Quia exagitabatur a dæmone, neque quidquam suo arbitrio faciebat.

58 *Peresis*] Comestis; a per et edo.

Gemellis] Pro duobus posuit.

59 *Fertque qualis*] Quo pacto multa

hominum millia ex quinque panibus et duobus piscibus saturavit, ex Matth. cap. XIV.

Qualis ter quaternis] Duodecim cophinis: nam quali sunt canistra ex viminibus contexta.

61 *Tu cibus*] Quia dixit tot millia saturasse, &c. nunc dicit, Christum esse verum cibum, veramque panem; juxta illud: 'Caro mea vere est cibus.' et illud ejusdem: 'Ego sum panis vivus, qui de cælo descendit.'

62 *In ævum*] Ad illud: 'Qui manducat hunc panem, vivet in æternum.'

63 *Lacunam*] Receptacula.

Vitalia] Animi penetralia.

64 *Clausus aurium*] De illo surdo intelligendum, quem Jesus curavit, expuens tetigit linguam ejus dicens: *Ephethah*. ex Marco cap. VII.

Nescius sonorum] Quia surdus ille nunquam audierat.

65 *Crassa obstacula*] Aurium sordes.

67 *Omnis ægritudo*] Omne genus morbi.

68 *Lingua fatur*] Multa miracula complectitur, sed maxime de mutis, Marc. VIII. et Luc. XII.

Silentia veterna] Pro inveterata posuit, aut pro torpore linguæ.

69 *Suum lectulum*] Ut ille, de quo Marc. II. et Johan. V.

72 *Illa prompta ad irruentes*] Ad recipiendum intrantes.

Tenax] Difficilis ad revertentes.

75 *Recalcandum*] Retroëundum.

76 *Fulva*] Coloris aurei.

78 *Sidera æthra tristia*] Propter Christi mortem, in qua Sol eclipsim passus est.

Squalentis] Lugubris.

Palluerunt] In nigrorem versa sunt. Virg. 'Pallentes umbræ Erebi.'

79 *Refugit*] Indignatus tantum scelus admissum. ut Virg. Æn. I. 'Nec tam aversus equos Tyria Sol jungit ab urbe.'

Lugubri ferrugine] Virg. Georg. I. 'Cum caput obscura nitidum ferrugine texit.'

81 *Fertur horruisse*] Ex eo, quod tenebræ factæ sunt a sexta hora usque ad horam nonam. Et est imitatio Virg. Georg. I. 'Impiaque æternam timuerunt sæcula noctem.'

82 *Vocem mobilem*] Quæ movetur per medium spacium extenditurque. quid si legas, *lingua mobilis*, quæ ad hoc movetur? ut de fama Virg. Æn. IV. 'Mobilitate viget, viresque acquirit eundo.'

83 *Tropæum passionis*] Qualis describitur a Virg. Æn. XI. 'Ingentem quercum decisis undique ramis.'

84 *Frontibus notatis*] Crucem, in qua est altitudo, latitudo et profunditas.

86 *Unda cruoris*] Ex eo quod scribit Johan. cap. XIX. 'Unus militum lancea latus aperuit, et continuo exivit sanguis et aqua.'

87 *Corona ex sanguine est*] Aut forte martyrii coronam significat, quia effusio sanginis pro baptismo habetur.

88 *Vidit anguis*] Serpens ille, qui erat callidior cunctis animantibus.

89 *Fellis perusti*] Incocti, et retulit ad diaboli invidiam.

92 *Astutia versipelli*] Tractum ab Arcadibus, qui trajecto flumine in lupos se transfigurabant, et rursus ex lupis in homines: itaque pro iis ponitur, qui nunc hoc, nunc illud faciunt dicuntque, ut decipiant.

93 *Forma mortalis*] Homo.

94 *Ad brevem usum*] Per quadraginta horarum spacium.

95 *Insuesceret*] Pro, assuefaceret; aut pro impersonali ponitur.

Mortuos sepultos] Peccatores, qui in peccato erant.

Redire] Subaudi, ad vitam.

102 *Glutino cutis*] Quia cute membra quodammodo conglutinantur continenturque.

103 *Resolvit occasum*] Mortem dissipavit.

105 *Cælo*] Ad cælum; ut Virg. 'It cælo clamorque virum, clangor-

que tubarum.'

107 *Dexter*] Ad dexteram patris sedens.

109 *Te senes*] Omnia ad Dei laudes exhortatur.

Hymn. x. Canitur in exsequiis mortuorum, et inprimis dicit hominem a Deo compactum ex anima cœlesti et corpore caduco; sed cum in morte anima dissolvitur a corpore, quodlibet illorum suam repetit originem: deinde subjungit multa de resurrectione, et quod propter illam spem debemus mortuos sepelire, et colere cineres eorum, quod probat exemplo Tobiæ: dicit propterea, quod mortui ex ea causa non sunt lugendi.

1 *Fons igneæ*] Ex opinione antiquorum dicit, qui Deum et omnia cœlestia ignea esse dixerunt: Et ipsum animum ex natura ignis esse putavit Cicero i. Tusc. et Virg. Æn. vi. cum dixit, 'Igneus est ollis vigor et cœlestis origo.'

2 *Duo elementa*] Sc. unum, h. e. animam igneam: Et moribundum, sc. corpus. unde Virg. ibidem 'Moribundaque membra' dixit.

5 *Utraque*] Corpus et anima.

Tua sunt] Jure creationis.

6 *Copula*] Homo ex duobus his copulatus.

8 *Spiritus et caro*] Unde canit Ecclesia: 'Regem, cui omnia vivunt.'

9 *Ista*] Sc. duo elementa.

12 *Liquorem animæ*] Animam ex elemento liquido et puro constantem; auram rapit in sublime.

16 *Et texta dissona*] Ex contrariis elementis composita.

Retexi] Resolvi in ea, ex quibus texta, i. e. composita sunt; ut Ovidius: 'Tela texta dolo.'

19 *Iter inviolabile*] Incorruptum et rectum.

21 *Ut dum*] Via, quam dixit, ut quandiu sumus in hac vita mortali, cogamus partem illam irrationalem, quæ luctatur adversus spiritum, obtemperare rationi; quod est philosophari, h. e. animum a corpore separare per contemplationem.

Generosa caducis] Anima immortalis cum corpore mortali.

22 *Clausa ceu carcere*] Secundum Platonis opinionem. Atque illud etiam significat Apostolus, cum dicit: 'Miser ego homo, quis me liberabit a corpore mortis hujus?'

23 *Pars illa*] Sc. animus.

Extet] Emineat et dominetur parti illi appetitivæ.

25 *Si terrea*] Sensus est; quod si ratio sequitur appetitum, vinciturque ab eo, uterque descendet in gehennam ignis.

Voluntas terrea] Appetitus irrationalis, qui corpus et terrena sapit, quæ ponderosa sunt.

26 *Si sapit luteum*] Non obediens rationi.

Et captat grave] Ea, quæ se habent ex parte carnis.

27 *Animus victus*] A parte illa irrationali.

28 *Sequitur sua membra*] Cum alioqui ex natura sua, quæ est ignea, tendere debuerit in sublime.

29 *Ignis generis*] A quo ducit genus, ut supra diximus.

31 *Viscera hospita*] Carnem, cujus natura est, deorsum tendere, quæ in cœlo hospes erit, animus autem indigena.

35 *Spacium breve*] Comparatione æternitatis.

36 *Collegia alti sensus*] Societatem animi, qui altum sentit, et profunde intelligit.

38 *Calor socius*] Animus, ad cujus præsentiam in corpore sequitur calor.

40 *Gestet habitacula*] Corpus, quod est suum domicilium.

43 *In auras volucres*] Quas velociter penetrabit.

44 *Priores*] Quas prius habuerant.

45 *Hinc*] Propter resurrectionis spem.

47 *Ultimus honor*] Virg. 'Et cineri ingrato suprema ferebat Munera.'

48 *Funeris ambitus*] Funus ambitiosum, h. e. quod honoris caussa paratur.

51 *Myrrha*] Martial. 'Et olentem funera myrrham.'

Sabæo] Thureo.

60 *Sopor gelidus*] Mors frigida, ab effectu. Virg. Æn. IV. 'Et cum frigida mors anima subduxerit artus.'

64 *Prius*] Imprimis.

66 *Gemitum dare sub una sorte*] In morte alicujus ut gemamus.

67 *Cognata nobis*] Ejusdem speciei, quam omnes homines ex æquo participant.

69 *Sator Tobiæ*] Ex volumine ipsius Tobiæ, cap. II. ubi hoc narratur.

72 *Prætulit*] Quia, relicto prandio, mortuum detulit in domum, ut sub tempus vespertinum sepeliret.

78 *Stantibus*] Ut inferrent fercula pransuro.

79 *Lumina nescia solis*] Oculos excæcatos.

80 *Illita felle*] Ex pisce, ut scribitur ejusdem libri cap. XI.

83 *Mordax et amara*] Quale est fel ex quo Tobias visum recepit.

84 *Lux nova*] Quæ non potest accipi, nisi ex amaritudine.

86 *Cœlestia regna*] Ubi est illa lux inaccessibilis.

87 *Nocte et vulnere*] Ex tenebris vulnere factis, sicut Tobias ex stercore hirundinis cæcatus.

92 *Ad astra itur doloribus*] Virg. 'Disce, puer, virtutem ex me verosque labores:' quia 'sic itur ad astra.'

94 *Redeunt melioribus annis*] In ætatem plenitudinis Christi, ut Apostolus.

96 *Fatiscere*] Quia post resurrectionem non erit alia mors.

98 *Color albidus*] Qui sequitur cadavera.

99 *Venustior*] Pulchrior.

100 *Tinguet*] Colorabit, unde dicti tinctores.

Cute amœna] Quæ infectio faciet cutem hilarem.

101 *Senectus invida*] Quæ nobis invidens cito venit, unde Gallus: 'Æmula, quid cessas finem properare, senectus?'

102 *Decus frontis*] Pulchritudinem faciei.

103 *Macies sicca*] Sicut e contrario corpulentia succi plena.

104 *Succo adeso*] Consumpto; ab ad et edendo.

105 *Morbus pestifer*] Quasi de Deo morborum præside, dicit, de quibus Virg. Æn. VI. 'Pallentesque habitant morbi tristisque senectus.'

107 *Resudans sua tormenta*] Qui nos torquet et sudare cogit.

108 *Luet inter vincula*] Regnat inter nos, impediens operationes membrorum.

110 *Caro victrix*] Corpora nostra jam glorificata, et voti sui compos, aut quæ vicit mundum.

111 *Gementem*] Quasi Deum (ut dixi) more poëtico illum fingit.

113 *Quid turba*] Invehitur in eos qui mortuos lugent: quoniam videntur de resurrectione desperare.

114 *Clangens*] Clamitans; aut ad tubarum clangorem retulit, quibus in funeribus utebantur. Virg. 'Insequitur clamorque virum clangorque tubarum.'

115 *Condita jura*] Leges a Deo et natura bene et juste latas.

119 *Sua pignora*] Suos filios.

120 *Reparatio vitæ*] Quia per hanc mortem itur ad illam vitam.

121 *Sic semina sicca*] Johan. cap. XII. 'Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit.'

124 *Meditantur*] Aut imitantur, imo vero referunt.

125 *Nunc suscipe*] Terram alloquitur, quasi defuncti matrem.

127 *Membra hominis*] Partem minimam totius, quæ retinet tantum no-

men, ut dicatur: Hic est sepultus Antonius, aut Johannes.

Sequestro] Ad tempus depono.

128 *Fragmina*] Frusta et partem.

Generosa] Quia fuit (ut statim dicit) habitaculum animæ.

130 *Ab ore factoris*] Qui spiravit in hominem spiraculum vitæ.

131 *Sapientia fervens*] Quia sapuit et viguit; unde et illa dicuntur fervere, quæ frequentantur, ut Virg. Æn. I. 'Fervet opus.' Sicut e contrario frigere, quæ torpescunt.

In istis] Subaudi, membris.

132 *Principe Christo*] Qui fuit Christianus, 'et in baptismate accepit salem sapientiæ.'

133 *Tu*] O terra.

Tege depositum] Quod summa fide reddendum est.

135 *Ille fictor*] Deus, hominis plasmator. nam fictor dicitur, qui ex lato format fictilia.

Requiret sua munera] Suum opus, in die resurrectionis omnium hominum.

136 *Ænigmata*] Figuram ad imaginem suam factam. Quid si legas *schemata?*

137 *Tempora justa*] Quæ pater posuit in potestate sua.

138 *Impleat omnem spem*] Resurrectionem, quam speramus et expectamus, ut in symbolo canimus.

139 *Patefacta*] Tu, o terra, aperta.

140 *Qualem trado*] Non solum quantum ad qualitates, modo non sint ad imperfectionem.

141 *Non si*] Sensus est; quod, etiam si homo dilapsus fuerit in cineres, et cinis ipse dissipatur, non tamen 'neque capitis capillus ex eo peribit,' ut scribitur.

142 *Favillis*] Favillas.

144 *Mensura pugilli*] Quem possit capere pugillus.

145 *Vaga flamina*] Venti.

149 *Sed dum*] Inter diem mortis et diem judicii.

152 *Animam puram*] Peccatis non inquinatam.

154 *Ubi est Eleazar*] Lazarus, de quo in Evangelio: et Eleazar nomen est integrum, a quo est abscisus Lazarus.

155 *Floribus septum*] Alludit ad paradisi, hoc est, horti nomen.

156 *Dives*] 'Qui induebatur purpura et bysso.'

158 *Morte*] De morte.

160 *Socium crucis*] Qui etiam in cruce passus est tecum, cum illi dixisti: 'Hodie mecum eris in paradiso.'

161 *Patet*] Ex eo tempore.

167 *In sede genitali*] Unde duxit originem.

168 *Exul*] Propter peccatum inde pulsa.

169 *Nos*] Vivi sc. colemus ossa defunctorum.

170 *Violis*] Quod hodie faciunt Mahumetis sectatores.

HYMN. XI. Canitur in die natalis Christi, in quo multa de utraque illius generatione, h. e. æterna et temporali, et de iis quæ contigerunt circa Christi natalem: quem dicit tandem esse venturum judicem bonorum et malorum. Nam de utroque ejus adventu Ecclesia facit mentionem eo tempore, atque addit etiam de quotidiano adventu per gratiam.

1 *Quid est*] Phantasia est Poëtæ, qui fingit se mirari, quid illud est, quod dies, qui ante illud tempus decrescebant, nascente Christo incipiunt crescere: ut possit commodissime aptari, quod de illo Johannes dixit: 'Oportet illum crescere, me autem minui.' Nam Johannes natus est Sole peragrante cancri principium, quo die incipiunt dies decrescere: Christum vero satis constat natum Sole intrante primum punctum Capricorni, quo die incipiunt dies crescere.

Artum circulum] Tropicum Capricorni, quem Sole describente relinquit supra horizontem minimam per-

tionem ; unde dies est brevis, de quo Virg. Georg. II. 'Quid tantum Oceano properent se tinguere Soles Hiberni.'

2 *Sol recurrens*] Retro et versus nos currens, cum antea procurrisset a nobis.

4 *Tramitem lucis*] Facit dies longiores, et incipit indies minuere tenebras noctis.

5 *Gratiam fugacem*] Diem, ab effectu ; gratiosa omnia faciens, qui tunc brevis erat.

6 *Festina dies*] Quæ brevis erat, jam properabat ad occasum. q. d. omnia jam prope erant tenebris involuta, cum natus est Christus.

7 *Facem*] Lucem.

Subductam sensim] Subtractam paullatim.

8 *Recisa*] Dies diminuta luce, quam pene extinxerat.

11 *Priores lineas*] Circulos sive parallelos contractiores brevioresque.

12 *Jubar*] Sol, aut Lucifer. Virg. Æn. IV. 'It portis, jubare exorto, delecta juventus.'

13 *Pusio*] Puer, nascere.

14 *Mater castitas*] Per emphasim, h. e. non solum casta, sed ipsa castitas.

15 *Parens et ipse*] Subaudi, qui et filius et pater matris. Nam quod legitur, *parens et Christus conjugis*, non potest versus stare : *conjugis* vero pro æternus cum Patre, a con et jugis juge compositum.

16 *Mediator*] Dei sc. et hominis, qui Græce dicitur mesites.

Et duplex genus] Ex duplici natura constans, scilicet humana et divina.

17 *Ex ore*] Significantius supra, 'Ex corde Verbum fuisse genitum' dixit, quam nunc 'ex ore :' sed hæ translationes in divinis recipiuntur.

18 *Et verbo æditus*] Imo Verbum æditum, ut sup. dixit, Verbigena.

19 *In pectore*] In corde, sicut sup.

20 *Sophia*] Sapientia ; et produxit penultimam cum sit brevis.

Callebas] Eras sapiens ; nam illud est callere.

21 *Quæ*] Sc. sophia.

Promta] Ex corde patris ædita.

Condidit] Quia per illum pater omnia condidit, juxta illud Psalm. XXXII. 'Verbo Domini cæli firmati sunt.'

24 *Verbum Deus*] Johan. I. 'Et Deus erat Verbum.'

25 *Ordinatis sæculis*] Mundi series, ex qua dependent sæcula.

26 *Digesto*] Rebus in suo loco dispositis.

27 *Fundatur ipse*] Sc. rerum status.

Artifex] Sc. Patris Verbum, ejusdem Filius.

28 *In sinu*] Ut sup. in corde, sive in pectore, h. e. in Patre : juxta illud : 'Nescis, quod ego in Patre, et Pater in me est ?'

29 *Annalium*] Pro annorum ; cum sint annales historiæ per annos singulos digestæ.

33 *Nam cæca*] Hæc causa est, cur venit ; quia ignorabant mortales verum Dei cultum.

34 *Nenias*] Res inanes, quales sunt neniæ muliercularum.

35 *Æra*] Statuas æreas.

38 *In jus*] In potestatem. Lucanus : 'Jusque datum sceleri.'

39 *Mancipatam*] Obnoxiam et subjectam.

43 *Impune*] Quia ultus est vicem humanam spoliando Inferos, et vindicando nos a potestate diaboli.

44 *Fabrica patris*] Homo factus ad illius imaginem.

46 *Excitato corpore*] Ascito et assumpto.

49 *Hic ille natalis*] Christum alloquitur dicens : 'Hic est ille natalis dies :' in quo Pater, 'Arduus creator,' i. e. summus Pater, 'spiravit te,' progenuit te. Nam Filius generatur, S. Sanctus spiratur.

51 *Et indidit limo*] Immisit in carnem humanam, ex limo compactam.

52 *Glutinans carnem sermone*] Ho-

minem verbo conjungens. Sed illud non est factum die, in quo natus est, sed in instanti conceptionis. Autor tamen alludit ad illud Psal. II. ‘ Dominus dixit ad me, Filius meus es tu: ego hodie genui te.’

54 *Per fastidia*] Non quod virgini contigerint, quæ prægnantibus solent: de quibus dixit Virg. Ecl. ‘ Matri longa decem tulerint fastidia menses.’ sed loquitur ex more aliarum feminarum; sicut quod dicitur, ‘ Enixa est puerpera:’ et alibi, ‘ Enixa puerpera regem:’ non quod in partu fuerit ille nixus cum doloribus, qui aliis feminis contigit: sed quod salva integritate peperit, quemadmodum et ceteræ mulieres.

55 *Pudoris*] Virginitatis intactæ.

56 *Crescere honore partus*] Christi nati. q. d. non solum virginitas permansit eadem, quæ prius, sed etiam aucta est honore, quoniam virgo et mater.

57 *Quanta gaudia*] Sc. non solum matris, sed omnium mortalium.

59 *Novellum seculum*] Quia omnia renovata sunt, juxta illud Es. XLIII. ‘ Ecce ego nova facio omnia, et nunc orientur.’ Et Virg. Ecl. ‘ Toto surget gens aurea mundo.’

61 *Vagitus ille*] Sc. qui in reliquis mortalibus est auspicium futuræ calamitatis: in Christo fuit exordium orbis vernantis, i. e. renascentis. Plin. lib. VII. in principio. Nam illud significat vernare, quoniam flos ætatis Veri assimilatur.

64 *Veternum*] Pro vetustatem. alioqui *veternus* est torpor, qui contingit hydrope laborantibus. unde Virg. Georg. I. ‘ Nec torpere gravi passus sua regna veterno.’

66 *Floribus*] Æmulatio est Virgiliana in Ecl. ‘ At tibi prima, puer, nullo munuscula cultu, Florentes hederas passim cum baccare tellus, Primaque ridenti colocasia fundet acantho.’ Et inf. ‘ Ipsa tibi blandos fundent cunabula flores.’

67 *Syrtium harenas*] Syrtes in Aphrica, loca ab ipsa natura (ut ait Lucanus lib. IX.) ad sterilitatem damnata, tunc factæ sunt fertiles.

68 *Fragrasse*] Odorem spirasse, ut Virg. ‘ Redolentque thymo fragrantia mella.’

70 *Sensere*] Quia mollia sunt et rigorem deposuerunt.

72 *Obduxit herbam cotibus*] Texit cotes herbis. Virg. in Ecl. ‘ Obducat pascua junco.’

75 *Sudans amomum*] Ad illud Virgilii respicit: ‘ Assyrium vulgo nascetur amomum.’

76 *Myricis*] Et hoc ad illud: ‘ Pinguia corticibus sudent electra myricæ.’

80 *Mutis et ipsis credita*] Quia etiam ipsa animalia muta crediderunt in præsepibus illis jacere Christum Deum et hominem. unde subdit: ‘ Adorat hæc,’ &c. Quod autem dicitur, bovem et asinum fuisse in præsepi alligatos, non dicit Evangelista: sed sumtum est ex eo quod scribitur Luc. II. quod mater reclinavit infantem recens natum in præsepio.

83 *Excors natio*] Quæ per asinum intelligitur et bovem.

84 *In pastu*] Quia nihil habent rationis, sed causa ventris moventur.

85 *Sed cum*] Sensus est, quod Pagani, h. e. Magi, qui erant Persæ, venerunt adoraturi Christum: et quadrupedes etiam cognoverunt possessorem suum.

89 *Sed præsepia patrum*] Posteritas Patriarcharum.

90 *Perosa Deum præsentem*] Quia in Bethlehem natus est, q. d. in media Judæa.

91 *Ebriam venenis*] Quasi veneficio mentem alienatam habere.

92 *Lymphatam*] Furiosam, tractum a canibus rabie percitis; qui lympham, i. e. aquam fugiunt: unde a Græcis hydrophobi vocantur, i. e. aquam timentes.

95 *Resedit*] Remansit, h. e. si tota

non abiisti in insaniam.

96 *Ducem principum*] Ex eo quod sup. dixit ex auctoritate Prophetæ, Matth. v. 'Ex te exiet dux, qui regat populum meum Israël.'

97 *Obstetrix*] Atqui nulla legitur obstetrix interfuisse in ortu Christi: sed ipsa virgo sibi ipsi obstetricata est.

100 *Gentibus*] Aut peculiariter gentilibus, aut cunctis.

103 *Fletibus irritis*] Nihil proficientibus.

105 *Bucina*] Ut Apostolus dicit 1 Cor. xv. 'Omnes quidem resurgemus in momento, in ictu oculi, in novissima tuba.' Et 1 Thess. iv. 'Ipse Dominus in tuba Dei descendet de cælo.'

107 *Scissus axis*] Non quod mundus solvendus est, sed quod in aliam formam mutandus.

110 *Meritis*] Bonis aut malis. Nam demeritum Latine non dicitur pro eo quod opponitur benemerito.

114 *Sentiet*] Non simpliciter, sed cum maximo dolore.

115 *Quem*] Christum.

Te præsule furoris] Subaudi, o Judæa, quæ per furorem Christum crucifixisti.

116 *Mors hausit et reddidit*] Quia de eo dixit Propheta: 'Ero mors tua, o mors, morsus tuus inferne.' Et illud quod Ecclesia canit: 'qui mortem nostram moriendo destruxit.'

Hymn. xii. Canendum est hoc carmen in festo Epiphaniæ. Multa in laudem stellæ dicit: ex qua Magi cognovere, Christum esse natum, et qua duce, ut illum adorarent, in Bethlehem venerunt: quem locum laudibus effert, quod fuerit Christi genitale solum: deinde infantium occisionem prosequitur. Et Christum in Mose dicit fuisse figuratum: ponitque utriusque multas convenientias. Et tandem omnes ad Christi laudes hortatur indifferenter.

1 *Quæritis*] Sicut Magi quærebant.

4 *Signum*] Sc. stellam.

Gloriæ perennis] Christi, qui est gloria Patris.

6 *Rotam*] Currum.

10 *Secuta Lunam*] Cursum noctis, cui Luna præest. Nam ad hoc creata est, ut præesset nocti. et quemadmodum Luna sequitur Solem: ita et illam stellæ.

13 *Arctoa sidera*] Duæ Arcti, hoc est, major et minor.

15 *Obire nolint*] Occidere: unde et obitus stellarum sæpe pro occasu illarum ponitur. Stellæ autem illæ sive constellationes nunquam occidunt nobis: sed quanvis non occidant, tamen per diem non videntur, subtrahente illas solis luce: et per noctem aliquando non apparent, quia subducuntur nubibus. Stella autem Christi index et per diem et per noctem semper lucebat.

17 *Æternum*] Nomen pro adverbio; sed hic non proprie ponitur, sed pro perpetuo, dum ea fuit opus. nam postea in ea est resoluta, ex quibus fuit composita elementis.

18 *Nunquam mergitur*] Sicut aliæ stellæ.

20 *Obductam faciem*] Splendore.

21 *Tristis cometa*] Quia triste aliquid semper minatur, cum apparet.

Intercidat] Pereat sive cedat.

22 *Sirio vapore*] Sirius stella est in ore Canis pestilens; de qua Virg. Æn. iii. 'Tunc steriles exurere Sirius agros.'

24 *Sub luce Dei*] Stella, quæ Deum natum demonstrat.

25 *Magi Persici*] Nam Magi et nomen est patriæ et nomen professionis. Sunt enim Magi Persarum populi, arti magicæ deditissimi.

28 *Vexillum*] Signum.

30 *Cæteri globi*] Quia, ut Mathematici probant, stellæ globosæ sive sphæricæ sunt.

31 *Lucifer pulcher*] 'Quem' (ut Virgilius inquit) 'Venus ante alios

astrorum diligit ignes.' Et Aristot. Ethic. 5. 'Neque Lucifer neque Hesperus ita admirabilis, ut est justitia;' quam luci pulcherrimæ comparat.

36 *Lux et æthra*] Idem prope significant; nam æthra splendor ætheris est. Virg. Æn. III. 'Et lucidus æthra Siderea polus.'

37 *Cernimus illustre*] Stellam, quæ designat Deum immortalem.

40 *Et chao*] Ex quo Anaxagoras dixit Deum cuncta creasse.

44 *Ejus semini*] Posteritati, cum dixit illi Deus: 'In semine tuo benedicentur omnes gentes.'

45 *Sua germina*] Suos nepotes.

Æquanda stellis] Ex Gen. cap. XV. 'Suspice cælum et numera stellas, si potes; sic erit semen tuum.'

47 *Primus sator credentium*] Qui primus Deo credidit.

50 *Radice Jesse*] Ex eo quod scribitur Esaiæ cap. XI. 'Egredietur virga de radice Jesse.'

55 *Stella sulcum traxerat*] Virg. Æn. II. 'Tum longo limite sulcus Dat lucem.'

58 *Signum*] Stella.

59 *Prona face*] Splendore stellæ submisso.

60 *Prodidit*] Ostendit.

64 *Aurum regium*] Coronarium; et quod regibus offertur.

68 *Indolem trinam*] Tria insignia futuræ virtutis tuæ: nam signum est indoles futuræ probitatis. Nam Christus, homo, Deus, rex, et mortalis erat.

77 *Major magnarum urbium*] Maxima; ut sit comparativum pro superlativo.

80 *Incorporatum cælitus*] Humanatum (ut dicunt Græci) a Spiritu Sancto.

81 *Te altrice*] Te procreante.

85 *Hunc et prophetis*] Ordo est, Testator, i. e. Deus Pater, qui testimonium Filio perhibuit, dicens, 'Hic est Filius meus dilectus,' &c.

86 *Prophetis testibus et signatoribus*] Ad illud alludit, quod testes, qui adhibeantur testamento, signabant illud. Juvenal. 'Me prior ille Signabit?'

87 *Jubet hunc*] Christum.

88 *Adire regnum*] Juxta illud Matth. ult. 'Mihi data est omnis potestas in cælo et in terra.'

Et cernere] Discernere et judicare, ex eo quod scribitur Johan. V. 'Pater omne judicium dedit Filio.'

90 *Dia*] Aërea; unde et sub Dio et sub Jove dicimus aliquid fieri, id est sub aëre vel sub cælo, et non sub tecto.

91 *Ad exitum*] Occasum, qua parte Sol exit a nobis, hoc est a nostro hemisphærio.

92 *Tartara et cælum*] Nam eo usque regnum Christi penetrat, dicente Apost. ad Phil. cap. II. 'Ut in nomine Jesu omne genu flectatur cælestium et terrestrium et infernorum.'

95 *Nomen Israël*] Populum Judaicum, ut diximus ex Michea: 'Ex te mihi egredietur, qui sit dominator in Israël.'

97 *Amens Herodes*] Prorumpit in exclamationem dicens: 'Ego nuncio vobis, o Judæi.'

98 *Successor*] In regno.

Pellimur] Sc. ex regno.

104 *Pusio*] Puer: et sunt casus singulares pro pluralibus figurate, usitata etiam in sacris litteris, ut Exod. VIII. 'Venit musca gravissima in domos.'

105 *Per Bethleem*] Unde erat Christus oriturus, q. d. etsi in Bethleem natus est, quem ego timeo mihi successurum; tutius tamen est, ut omnes pueri adimantur et infra bimatum pereant.

110 *Districto mucrone*] Evaginato ense.

111 *Nuper effusa*] Paulo ante parta.

112 *Rimatur*] Quasi per rimas eruit

et extrahit.

Animas novas] Nuper in corpora infusas.

113 *Minutis artubus*] Qui adeo erant parvi, ut vix esset locus vulneri.

116 *Jugulo*] Parte colli anteriori, qua erat juguiandus.

117 *O barbarum*] O crudele spectaculum.

119 *Cerebrum lacteum*] Lactantium infantium.

120 *Vomit*] Rejectat.

124 *Unda et halitus singultat*] Quia loco halitus succedebat aqua; ex quo necesse erat singultus fieri.

125 *Flores*] Primitiæ.

126 *In limine lucis*] Introitu vitæ. Virg. Æn. VI. 'Continuo auditæ voces, vagitus et ingens, Infantumque animæ flentes in limine primo.'

128 *Turbo*] Tempestas.

132 *Palma et coronis*] Quibus victores donabantur.

137 *Inter coævi*] Ordo est, Solus partus virginis integer fefellit ferrum, i. e. frustratus est.

Coævi] Ejusdem ætatis.

138 *Inter fluenta*] Fluctus sanguinis.

141 *Sic stulta*] Hoc figuratum fuisse dicit in Mose, qui (ut scribitur Exodi II.) a filia Pharaonis educatus est; cum rex præcepisset, quidquid masculini sexus natum esset, in flumen projici.

144 *Moses receptor*] Assertor vel recuperator ex Ægyptia servitute.

149 *Mens obstetricis*] Aut mater Mosis, quæ pariens sibiipsi obstetricata est; aut alicujus obstetricis, quæ noluit prodere Pharaoni ortum pueri, ut Exod. cap. I. legitur.

Mens obstetricis sedulæ] Obstetrix sedulæ mentis.

150 *Contumax in tyrannum*] Non obediens illi, quod fuit pietatis opus.

151 *Ad spem gloriæ potentis*] Qui servabatur, ut per illum fierent Dei mirabilia.

160 *Absolvit jugo*] Expedivit ex Ægyptia servitute.

163 *Hoste saucio*] Diabolo victo.

165 *Hic expiatam*] Sc. Moses, qui populum per mare Rubrum trajecit: per quod significabatur baptisma Christi, quod in dulcib. Jordanis aquis est postea consecratum.

168 *Præferens columnam lucis*] De qua luce, Esaiæ cap. IX. 'Populus, qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam.' et alludit ad columnam, quæ præcedebat Hebræos, Exod. XIII. et XXXIII.

169 *Hic præl.*] Exod. c. XVII. legitur, quod 'Israël pugnante contra Amalech in Raphidim, cum levaret Moses manus vincebat Israël: si autem paululum remisisset, superabat Amalech,' quod significabat Christum, qui ex pansis brachiis in cruce reportaturus erat victoriam suis.

173 *Verior Jesus*] Salvator quia et alii salvatores populi dicebantur, sicut Josue, qui æque dicebatur salvator; sed illic a servitute corporis, hic a servitute animi liberavit.

174 *Post longa dispendia*] Multos annos tandem peperit veram libertatem.

175 *Suis tribulibus*] Quia venit ad salvandos, qui perierant de domo, vel qui erant ex gente sua sive tribu: nam tribules dicuntur ex eadem tribu.

176 *Jugera promissa*] Terram promissionis, quod Josue fecit, ut in libro Josue legimus: sed per terram promissionis, nos terram viventium intelligimus, hoc est, vitam æternam.

180 *Stemmata*] Quia omnis Ecclesiæ nobilitas inde emanavit.

181 *Jure ergo*] Merito Magi intellexerunt illum esse regem mundi, cum viderent omnia, quæ dicta et facta sunt per Prophetas, in illo compleri.

185 *Rex Judicum*] Rex regum et dominus dominantium.

188 *Templi novelli*] Ecclesiæ et

Synagogæ.

189 *Effraim*] Litteraturam sequitur Græcam; cum ab Hebræis Ephraim dicatur.

191 *Suspiciunt*] Venerantur, sicut e contrario despiciunt pro contemnunt.

193 *Quin et propago*] Non solum Jacob posteritas Christum colit, sed et gentes, quæ colebant idola, cesserunt illi.

194 *Ritum inconditum*] Religionem falsam dæmonum propago illa deserit.

195 *Quæcunque coxerat durum*] Metallum aliquod in effigiem idoli conflaverat in caminis fervidis.

196 *Baal*] Honorem et cultum dæmonum.

197 *Numina fumosa*] Statuas antiquas. Juvenal. ' Fumosos equitum cum dictatore magistros.'

202 *Judæa, Roma*] Totum orbem intelligit per has nationes.

205 *Laudate*] Omne genus hominum ad Christi laudem invitat.

208 *Nemo posthac moriuus*] ' Cui omnia vivunt,' ut canit Ecclesia.

ΠΕΡΙΣΤΕΦΑΝΩΝ LIB.

HYMN. I. Hos duos martyres Calagurritanos fuisse, satis constat ex hymno, cujus initium est, ' Bis novem noster :' ubi legitur, ' Calagurris ambos, quos veneramur.' Nam quod in quadam historia illorum legitur, fuisse Legionarios, id est, ex Legione civitate, ex errore ortum est; quoniam fuerunt milites, ex quadam Imperatoria legione. Vocati sunt autem Emiterius et Chaledonius, sive, ut in recentioribus libris legimus, Hemiterius, et Cheledonius, sive Chelidonius.

1 *Scripta sunt cælo*] Prima pars hujus carminis continet laudes martyrum, et loci in quo eorum corpora sunt sepulta, qui mira multorum populorum veneratione frequentatur propter miracula, quæ ibi fiunt. Deinde ponit ipsorum vitam et martyrium, tum postea redit ad miracula.

Duorum martyrum] Quorum non ponit nomina, sicut neque posuit in hymno duodeviginti martyrum Cæsaraugustanorum.

3 *Notis sanguinis*] Literis ex sanguine martyrii scriptis.

4 *Terra Ibera*] Aut Hispana, quæ a Græcis dicitur Iberia; aut proprie Ibera, ubi est Calaguris, unde sunt hi duo martyres; ut, ' nostra gestabit Calagurris ambos, quos veneramur.'

Stemmate] Corona, ut in Romano dicemus; vel, pro nobilitate posuit.

5 *Hic locus*] Calagurris, Celtiberorum urbs.

6 *Pudicus*] Castus et mundus.

Hospes] Qui recipit; alias, qui recipitur.

7 *Cæde*] Sanguine duorum martyrum effuso.

8 *Incolæ*] Calagurritani.

9 *Confrequentant*] Concelebrabant.

10 *Colonus exteri orbis*] Peregrinus.

11 *Proditrix*] Manifestatrix; nam prodere est procul dare in hac significatione.

12 *Ambiant*] Ambitiose observent. sumptum verbum ab iis, qui suffragatores assectantur ad obtiuendos magistratus.

13 *Puras preces*] Honestas; nam tales esse debent, si volumus aliquid a Deo impetrare, ut etiam Persius et Juvenalis dicunt.

14 *Tersis fletibus*] Nam venerat flens, et redit lætus, lacrimis abstersis et exsiccatis.

16 *Suffragantium*] Martyrum, qui sunt nobis apud Deum suffragatores.

17 *Non sinant*] Ordo est, Audiunt, sc. preces supplicum, et statim ferunt preces ad Deum, ut non sinant inane, i. e. vanum, Murmur, i. e. preces, subaudi, quas fuderit ullus voce, non alta, sed suppressa, juxta illud Persii: 'Murmur humilesque susurros Tollere de templis.'

20 *Quæ*] Dona, sc. a Deo profecta.

Irrigant causas] Fovent et recreant et sanant morbos: unde causarii dicuntur valetudinarii, ut Digestorum libro de re militari. Causaria missio est, quæ propter valetudinem laboribus militiæ solvit.

21 *Suis testibus*] Martyribus; nam martyr interpretatur testis.

23 *Dispendio sanguinis*] Jactura et damno mortis.

24 *Lux longior*] Vita immortalis.

Rependit] Recompensat.

26 *Membra*] Ordo est, Donare ferro hostili membra texta et compacta.

Venis languidis] Ægrotantibus, quæ alias erant consumenda morbis.

29 *Nobilis porta*] Per quam intratur ad cæli aulam.

30 *Fonte rubro*] In sanguinis baptismate, quod est unum de tribus, quæ dant testimonium in terris.

De sede cordis] Quia 'ex corde exeunt cogitationes.' Matth. cap. xv.

31 *Nec rudem*] Incipit vitam martyrum narrare; nam antea, quam militarent Christo, militaverant Cæsari.

32 *Ad perenne cingulum*] Nam antea erant ornati baltheo, i. e. cingulo militari, quod erat insigne militiæ; nunc vero sunt ornati baltheo sive cingulo æternitatis, quod est insigne militum Christi.

33 *Virtus sueta bello*] Fortitudo exercitata bello sæculari.

Sacrariis] Christo.

34 *Signum crucis*] Pro signis et vexillis Cæsaris.

35 *Palliis*] Velis, sive vexillis et signis.

Ventosis] Quæ vento agitantur, vel potius ventosis, i. e. vanis et superbis.

Draconum] Quæ erant insignia vexillorum cum aquilis; unde signiferi et antesignani, tum aquiliferi, tum draconarii dicebantur. Vegetius autor est l. I. 'Quid,' inquit, 'ipsi draconarii atque signiferi, qui sinistra manu hastas gubernant.' Claud. in Epithal. 'Stent bellatrices aquilæ sævique dracones.' Idem de tertio consulatu Honorii: 'Involucres tollunt aquilas, hi picta draconum Colla levant.'

36 *Insigne lignum*] Sc. crucis: quod per Christi passionem, quæ subdit Draconem, i. e. diabolum, qui sub specie serpentis Evam decepit.

37 *Vile censent*] Turpe negotium, exercere officia militaria.

40 *Forte*] Ordo est: ductor atrox, i. e. crudelis princeps.

Jusserat posteros Israëlis] Christianos, qui in locum filiorum Israël substituti sunt ex gentilibus; ideoque dixit 'secundos,' quia primis successerunt.

42 *Esse defugas Christi*] Perfugas sive transfugas. Sunt autem qui se ad hostes in bello transferunt.

43 *Pestis succincta ferro*] Persecutor armatus.

Fidem liberam] Quæ facit homines liberos vera libertate, sicut e contrario qui facit peccatum, servus est peccati.

44 *Illa fortis*] Sc. fides Christianorum.

Bisulcas] Bidentatas.

46 *Duris baccis*] *Bacca* quod genus sit vinculi, non legi: forte legendum est, *bojis*: est autem *boja* genus vinculi, tam lignea quam ferrea. Plautus in Asin. 'Nervos, catenas, carceris numellas, pedicas, bojas.' Usus est eodem vocabulo in prologo Psychomachiæ, dicens: 'Attrita baccis colla liber erigit.'

47 *Barbaras*] Crudeles.

48 *Veritas*] Religio Christiana.

49 *Virtus cæsa*] Fidelis cæsus.

Solum triste percussit] Sc. cadens in terram, quod triste spectaculum præbebat.

50 *Et ingesta*] Sc. virtus illa.

Focis] Quia multi ex martyribus ustulati sunt.

52 *Hic*] In persecutione illa.

Duorum] Ergo hi duo martyres fra-

tres erant.

56 *Post vim verberum*] Post virgarum verbera.

Crepantum] Sonantium, cum plagas inferunt.

Post catastas igneas] Cum sit catasta carcer, ubi venales servi sunt expositi venditioni, dicta a catastao, quod est expono; in vita martyrum ponitur pro quodam genere tormenti sive vinculi, et forte pro *igneas* legendum est, *ligneas*.

57 *Pardis*] Sunt mares in genere Pantherarum. Pardi, sicut feminæ dicuntur variæ.

58 *Nosne*] Verba sunt martyrum.

Christo] Cultui Christiano geniti.

Mammonæ] Diabolo, rebusque mundanis. Est autem mammona lingua Syriaca sive Aramæa pecunia ac divitiæ, quarum dominus videtur esse diabolus; videturque Poëta alludere ad illud Matt. VI. 'Non potestis Deo servire et Mammonæ.'

60 *Cælestis ignis*] 2 Cor. VI. 'Quæ participatio lucis ad tenebras?'

61 *Vita capta*] Forte legendum, *capta*.

Sub primo chirographo] Sub militari sacramento, quo eramus addicti prius Imperatori.

62 *Functa rebus Cæsaris*] Officio debito Cæsari.

63 *Rependi*] Reddi et restitui.

64 *Magistri*] Signiferi et draconarii.

Tribuni] Sc. militum, qui erant præfecti legionum.

Absistite] Discedite.

66 *Stipendia*] Dantur militibus, quia 'nemo militat suis stipendiis.'

67 *Candidatis*] Veste candida indutis. unde et Ecclesia canit: 'Te martyrum candidatus laudat exercitus.'

71 *Rigor et chalybs flexus*] Rigidum ferrum et durum, flexum in catenas et vincula.

Involvit] Impedit.

72 *Gravibus circulis*] Catenarum anulis.

73 *O vetustatis*] Dicit Poëta, quod multa sunt martyres perpessi, quæ scripta fuerunt de miraculis, quæ in eorum morte sunt facta; sed obliterata sunt a satellitibus et ministris, ne proderentur in ipsorum confusionem.

Oblivio obsoleta] Quæ facit res obsolescere, et in desuetudine tendere.

74 *Invidentur nobis*] Illi inviderunt nobis tantam gloriam; ideo concremaverunt scripta.

76 *Tenacibus libellis*] Sc. memoriæ rerum gestarum.

78 *Spargerent*] Divulgarent.

79 *Subtrahunt*] Quanquam cætera obsoleverunt; hoc unum miraculum, quod statim subjungit, non potuit obliterari.

80 *Jugibus*] Non constat, quo mortis genere sint affecti; mortui sunt in catenis, et nutrierunt longum capillum et barbam: restituimus autem ordinem versuum, qui erant confusi, et turbabant sensum.

92 *Hærens*] Dubitans, an gladio percuteret, præpeditus stupore.

93 *Sed peregit ictum*] Percussit, truncavitque martyres, quod est contrarium ei, quod supra dixerat: sed illic fortasse loquebatur de tormentis citra mortem, hic vero de mortis genere.

95 *Crudelis error*] Quia per errorem hoc fecerunt: quia dicit Apostolus: 'Si Dominum gloriæ cognovissent, nunquam illum crucifixissent.'

96 *Spiritus hostiarum*] Horum martyrum animas qui se Deo obtulerunt hostias immolatas.

97 *Cerne*] Si non credis hoc, crede saltem miraculis.

98 *Devorant præcordia*] Torquent homines.

99 *Miscent sensibus*] Illos perturbando.

100 *Homo plenus hoste suo*] A dæmone possessus.

Sistitur] Ponitur ante martyrum sepulcra.

101 *Cruda lumina*] Oculos torvos.

102 *Expiandus*] Sc. dæmoniacus purgandus, et liberandus a dæmonis potestate.

Non suorum criminum] Quia illud crimen non est hominis, sed dæmonis.

103 *Ejulatus*] Sc. dæmonum, cum torquentur virtute martyrum, ut inde exeant, cum non videatur tortor.

105 *Crescit*] Extenditur suspensus.

106 *Latronem*] Dæmonem.

109 *Illæsam rapinam*] Translatio est sumta ex lupis, qui relinquunt rapinam incruentam, et abeunt faucibus siccis. Virg. Æn. II. 'Lupi ceu raptores, catulique relicti Faucibus expectant siccis.'

110 *Ungue ab imo*] Pedum.

111 *Confitens*] Qui non potest dissimulare.

112 *Corpora alba*] Pallida, qualia sunt ægrotantium. Persius: 'Atque albo ventre lavatur.'

113 *Horror algidus*] Febrem præcedens horripilium.

Decolores artus] Quia correptis frigore color mutatur.

114 *Tumor*] Pingue illud non solidum, sed inane, quo ægrotantes tument.

116 *Nostro oppido*] Calagurri. Sed quomodo nostro, si Prudentius Cæsar-augustanus est? an nostro, i. e. Hispano, an Celtibero, ad quod Calagurris a Cæsaraugusta non multum distat.

117 *Sospitant*] A morbis liberant.

118 *Hymnistæ*] Hymnum cantantes pro salute filiorum et maritorum. Hymnistas dixit matres, sicut in Psychomachia, 'Sodomita libido.'

Hymn. II. In prima carminis parte Prudentius gratulatur Romæ, quod Laurentio duce expulerit Deos gentilium. Deinde a Xisto martyrium sibi prædictum narrat, et quomodo spe thesaurorum Ecclesiæ præfectum urbis deluserit: et tandem igni impositus animam exhalavit; tum demum iterum gratulatur urbi, et celebritatem, cum ossa martyris commemorat.

1 *Parens fanorum*] Templorum Diis dicatorum fabricatrix.

4 *Ritum barbarum*] Religionem Deorum falsam.

5 *Reges superbos*] Sensus est: quod prius sub falsa religione vicit orbem terrarum; nunc sub Laurentio vincit Deos falsos.

10 *Insignibus*] Victoriis de orbe toto partis.

11 *Capta feritate*] Post barbaros domitos et captos.

13 *Viribus Cossi*] Cornelius Cossius tribunus militum bello cum Veientibus habito, Tolumnium eorum regem occidit, spoliaque opima de eo Jovi Feretrio detulit, secundus post Romulum.

14 *Camilli*] M. Furius Camillus, qui Capitolium a Gallis Senonibus obsessum liberavit; de quo Virg. 'Referentem signa Camillum.'

Cæsaris] Qui singularem obtinuit dictaturam.

16 *Non incruento*] Quia fuso sanguine peperit sibi victoriam.

18 *Prodiga cruoris*] Sic Horat. 'Animæque magnæ Prodigum Paullum, superante Pœno.'

20 *Semet*] Vitam præsentem, ut viveret vitam immortalem.

22 *Xistus*] Episcopus, qui martyrio præcessit Laurentium; appellaturque Xistus, non, ut vulgus scribit, *Sixtus*, literis inversis.

24 *Sub stipite crucis*] Ubi Xistus pendebat.

25 *Discessu meo*] Quo a te divellor per mortem. Qua voce Poëta dicit, se imparem ad describendam tam grandem materiam.

26 *Retexens*] Pangens et componens carmen.

40 *Ceteris*] Aut Levitis, collegis; aut cæteris in rebus, puta martyrio.

41 *Claustris sacrorum*] Erat enim æditaus et ærarii sacri custos.

42 *Arcanum domus cœlestis*] Thesaurum secretum. Ecclesiæ.

44 *Votus opes*] Et hoc more primitivæ Ecclesiæ, ex communi victitantes. omnia namque vendebant, et ponebant ante pedes discipulorum.

46 *Præfectus urbis*] Erat ab Imperatore urbi præpositus, cujusmodi potestatem habent, qui hodie dicuntur 'Viceregez.'

47 *Insani ducis*] Imperatoris, qui talem præposuit.

48 *Exactor hauriet sanguinis*] Lege, *exactor hausti sanguinis*, i. e. qui acerbe exigebat vectigalia usque ad effusionem sanguinis. Juven. 'Ossa vides Regum vacuis exhausta medullis.'

49 *Qua vi*] Repete a superioribus: et versat, qua vi.

52 *Cumulos*] Auri et argenti.

56 *Montes monetæ*] Ut vulgo dicimus *montones.*

57 *Seletis, inquit*] Hæc verba sunt Præfecti blandientis Laurentio, dum pecunias extorqueat; et est sensus: non sumus adeo crudeles, ut vos Christiani dicitis.

62 *Censura fervens*] Censor iratus.

63 *Abest*] Non sævit.

64 *Obire*] Exequi; ut, 'obeo munus legationis,' i. e. exequor.

65 *Orgiis*] Sacris; nam Orgia sunt omnia sacra, sed Bacchi præcipue.

67 *Federis*] Religionis.

70 *Sanguinem sacrum*] Non quod Christiani sanguinem hostiarum funderent: sed quod hic ignarus religionis putat illos ita facere.

71 *Auroque*] Candelabris aureis.

73 *Fratribus*] Ejusdem religionis sociis; sicut diximus, factum fuisse in Ecclesiæ initio.

76 *Milia*] Subaudi, multa.

77 *Addicta*] Vendita, ut sæpe in libris digestorum; unde est et titulus, 'de in diem addictione.'

78 *Fœdis auctionibus*] Quia ex eis liberi relinquuntur exheredes.

80 *Sanctis*] Quos appellatis sanctos.

81 *Hæc*] Sc. quæ ex distractione illa bonorum rediguntur.

83 *Creditur*] A nobis Christianis, cum sit potius impietas.

86 *Malis præstigiis*] Artibus, quibus miseros deludis, faciens illis apparere quod non est: quæ ars planorum et circulatorum et præstigiatorum est.

88 *Nigrante*] Obscuro et tenebroso.

89 *Usus publicus*] Quia respub. habet his opus.

90 *Fiscus et ærarium*] Hæc distant inter se: quoniam Fiscus est ipsius principis; ærarium Reip. pecuniæ destinatæ.

91 *Pecunia dedita*] Decreta et attributa stipendiis militum.

94 *Dogma vestrum*] Illud Salvatoris refert, cum dixit: 'Reddite, quæ sunt Cæsaris Cæsari, et quæ Dei Deo.'

96 *Suum numisma*] Nummum, in quo est impressa imago sua. Dixerat namque Salvator: 'Cujus est imago hæc et circumscriptio? dicunt ei, Cæsaris.'

100 *Deus tuus*] Dei tui imago in nullis numismatis est impressa.

101 *Cum veniret*] Ad Evangelium prædicandum.

102 *Philippos*] Monetam, quam Philippus Macedonum rex et Alexandri pater percuti jussit.

104 *Inanis a marsupio*] Vacuus; hoc enim multis in locis Salvator discipulis interminatur.

105 *Fidem dictorum*] Facite quod dicitis.

106 *Venditis*] Divulgatis, q. d. venditis falsa pro veris, nisi facitis quod prædicatis.

108 *Divites verbis*] Non pecunia; eo modo, quo Stoici dicunt, 'sapientes divites esse.'

112 *Obtemperanter*] Obedienter.

118 *Argenteorum ænigmatum*] Lege

emblematum, i. e. vasorum emblematis insignatorum.

119 *Arcem*] Sc. imperii.

120 *Nummus scribitur*] Cujus imago imprimitur, et titulus circumscribitur. Juven. 'Scripto radiat Germanicus auro.'

122 *Locupletis numinis*] Dei mei, qui locuples est.

126 *Paululum induciarum*] In certam diem dilationem; quasi gesturus postea bellum cum præfecto, inducias vocat.

129 *Digestim*] Dirigendo nummorum genera.

134 *Spem devorat*] Concipit. Plautus in Asinaria: 'Mea dicta devorate,' i. e. avide accipite. Martial. 'Devorat draucos.'

138 *Laudatus*] Sc. a præfecto, quod tam benigne sit pollicitus illos thesauros.

139 *Sponsor sui*]. Et sponsor lucri, sc. quod redditurus ipse cum omni supellectile Ecclesiastica.

142 *Agmina infirma*] Sc. pauperum valetudinariorum.

145 *Cavatos utrisque obtutibus*] Vacuos utrisque oculis, h. e. cæcos, quos ipse ducebat.

148 *Nutantem gradum*] Passum vacillantem.

149 *Claudus*] Tria clauditatis genera exponit, aut fracto, aut amputato, aut breviori crure.

154 *Tabe corrupta*] Pure ex ulcere defluenti.

156 *In ulnam contrahit*] In brachiorum ambitum incurvet.

159 *Penu*] Alimentis, quæ in penario solent adservari; ut in Digestis titulo de penu legata.

161 *Recenset*] Recognoscit.

162 *Viritim*] Per singulos viros.

172 *Prædives in sanctis*] Ambigue loquitur, ut præfectus putaret in sacrariis, ille autem intelligebat in pauperibus.

176 *Structos talentis ordines*] Talenta ordinibus distributa.

178 *Ad sacratam januam*] Ad templum.

181 *Fragor rogantum*] Clamor mendicantium.

187 *Sordida aut vilia*] Q. d. hæc vasa preciosa sunt.

191 *Metallis*] Quæ vulgus appellat mineralia.

192 *Pœnalis labor*] Eorum scilicet qui damnabantur in metalla effodienda.

195 *Terrulentum*] Cum est in balnea: nam postea igni purgatur.

197 *Pudor per aurum*] Ovid. Met. I. 'Effodiuntur opes, irritamenta malorum.' Et Virg. Æn. III. 'Quid non mortalia pectora cogis, Auri sacra fames?'

200 *Intercidunt*] Quia omnia corrumpuntur auro.

201 *Venenum gloriæ*] Aurum: quo vera gloria perit: aut more loquitur Christianorum, qui gloriam appellant sanctorum beatitudinem.

204 *Lux et humanum genus*] Christus, qui est lux mundi. Johan. VIII. 'Homines ab eo redemti.' unde subdit: 'Hi sunt alumni luminis:' de quo lumine Johannes præbuit testimonium, Johan. cap. I.

206 *Corpus debile*] Juxta illud Apost. 2 Cor. XII. 'Cum infirmor, fortior sum.'

211 *Vicissim*] Rursus et e diverso.

213 *In culpam calens*] Incitans ad culpam, cum calidus est.

214 *Minus ministrat virium*] Habet non tantas vires ad peccandum.

215 *Effetus*] Debilitatus et exhaustus.

Malis] Morbis.

216 *Elumbe*] Quod enervat et debilitat.

217 *Optio*] Electio.

219 *Fragmenta*] Fracturam.

220 *Intus*] In parte animæ.

221 *Committe*] Compara.

222 *Lues alternas*] Alternatim subeuntes.

225 *Nostri*] Subaudi, pauperes.

Debiles per artus] Truncatis membris debilitati.

226 *Intus*] In anima.

228 *Expertes laboris*] Morbi et doloris.

Gerunt sensum integri decoris] Habent mentem integram et decoram.

229 *Gentiles*] Infideles.

230 *Lepra interna*] Animi pestis.

231 *Mancum*] Ad modum mancorum et truncatorum; et est adverbium; sicut 'intonat horrendum,' et 'ridet Sardonicum.'

235 *Debilem*] Sc. esse.

239 *Hydrops aquosus*] Aqua intercus.

240 *Tendit*] Extendit et inflat.

Veneno lucido] Sic Horatius dixit: 'Turgescit vitrea bilis.' Et Persius: 'Splendida bilis.'

248 *Mendicat stupra*] Interpellando pueros et puellas; et hujusmodi procaces, a precando; et petulantes a petendo dicuntur.

250 *Sitim honoris æstuans*] Quodam fervore petens honores: et comparatur ambitiosus febricitanti, luxuriosus spurco, avarus manco, superbus hydropico, maledicus quoque comparatur hepatico, vel potius splenetico; de quo dixit Persius, 'Sed sum petulanti splene cachinno.'

254 *Prodere silenda*] Ut ad risum moveat auditores.

Prurit et scalpit] Et scabies ad eos pertinet, qui non possunt animi secretum retinere, sed dicacitate quadam laborant, sicut qui habet scabiem, non potest ungues continere.

258 *Strumas turgidas*] Strumosos comparat invidis. Est autem struma, ut inquit Celsus, 'tumor glandulosus, maxime circa fauces et alas, et inguina.'

264 *Morbo regio*] Icterico.

274 *Interim*] Nunc in hac vita.

277 *Si suppetat facultas*] Si detur tibi ad hoc copia.

280 *Recensendos*] Recognoscendos.

281 *Obsitos pannis*] Terent. 'Pannis annisque obsitus.' i. e. pannosos, qui nunc sunt purpurati.

284 *Putri*] Qualis est in vinosis.

287 *Cicatrix cruda*] Non consolidata, sed purulenta, et pure manans.

288 *Antrum Tartari*] Sulphur olet.

289 *Versa vice*] E contrario, quia, ut inquit Aristoteles, III. Ethic. 'Pœnæ medicinæ quædam sunt, quæ per contraria fieri debent, ut qui, dum viverent, erant ornatus studiosi, in morte sint deformati.' Contrarium ei quod Virg. Æn. VI. scribit: 'Quisque suos patimur manes.'

295 *Ruina obruat*] Ad illud spectat quod Salvator dicit Luc. XII. 'Thesaurizate vobis thesauros,' &c.

297 *Gemmas nobiles*] Virgines dicit et continentes.

304 *Ignis secundi*] Secundarum nuptiarum.

308 *Verticem*] Caput. 'Hæc est illa nova Hierusalem, descendens de cœlo, quasi sponsa ornata viro suo,' de qua in Apoc. cap. XXI.

311 *Rem principis*] Patrimonium. Horat. 'Rem quocumque modo, rem si possis recte.'

316 *Et vivit*] Q. d. et non occiditur?

318 *Strophas*] Tergiversationes. Utitur Martialis sæpe, et ex nostris Hieronymus.

Cavillo mimico] Cavillatione, quali utuntur Poëtæ comici et mimographi.

321 *Concinna visa*] Adeone visus tibi sum idoneus, ut mihi illuderes?

324 *Acroama*] Sive *acroma;* interpretatur auditio ab acroaomæ, audio. Nepos in vita Attici; 'Nemo in convivio ejus aliud acroma audivit.' Suetonius in Augusto, 'Acroamata, et histriones et triviales ex Circo ludos.' Sunt ergo acroamata fabulæ, quæ ad delectationem narrari solent.

325 *Adeon'*] Adeone nos censores debemus esse faciles, ut hæc et talia patiamur?

326 *Fascibus*] Consulibus et præ-

toribus, quorum insignia sunt *fasces*.

327 *Securim*] Quæ fascibus virgarum adjungebatur.

328 *Retundit lenitas*] Clementia hebetat, ut non sæviat in hujusmodi delusores.

329 *Oppetam*] Moriar.

330 *Votiva*] Quæ a vobis optatur.

333 *Volenti*] Sc. tibi optanti mortem.

335 *Compendiosus*] Brevis.

336 *Raptim*] Velociter, sed dabo ut lente pereas.

339 *Inextricabilis*] Qui non extricabit, resolvet animam a corpore: nam extricare, est, explicare et dissolvere.

341 *Tepentes*] Ne sc. vapore ignis stranguletur.

344 *Abdita cordis*] Et sic pereat.

345 *Senescens*] Propemodum extinctus.

347 *Temperet*] Non acuat.

348 *Semustulatus*] Semustus. Lucan. in VIII. 'Semusta rapit resolutaque nondum.'

350 *Mysteriarches*] Mysteriorum et sacrorum princeps, sicut mystarches sacerdotum.

351 *Exemplum dabit*] Sc. cæteris ejusdem sectæ.

356 *Vulcanum meum*] Quem ego dico esse meum numen, et quem tu irrides.

360 *Tendere*] Distendere funibus.

363 *Legifer*] Moses, cum secundo legem ex monte detulit, ut legitur Exod. XXXII.

366 *Decolor*] Degenerans.

367 *Expavit*] 'Videntes,' inquit, 'Aaron et filii Israël cornutam Mosi faciem, timuerunt prope accedere.'

371 *Ille Stephanus*] Protomartyr, de quo Actor. cap. VI. 'Viderunt faciem ejus, tanquam faciem angeli.' Et c. VII. 'Cum autem Stephanus esset plenus Spiritu Sancto, intendens in cœlum, vidit gloriam Dei,' &c.

Per imbrem saxeum] Cum lapidaretur.

373 *Illuminatum hoc eminus*] Forte aliter legendum est; est tamen sensus, quod baptizati cernebant Stephanum habentem faciem angeli: aut legendum, quod baptizati a Laurentio illuminati cernebant illum fulgore circumfusum, eminus, i. e. a longe.

374 *Recens piatis*] Per baptisma, in initio nascentis Ecclesiæ, cum per baptisma fiebant Spiritus Sancti capaces.

377 *Cæcitas impiorum*] Qui torquebant Laurentium.

378 *Oblitum*] Obscuratum.

Noctis situ] Quasi umbra et tenebris, in quibus est *rerum situs*, id est, squalor.

379 *Sub nigro velamine*] Sub umbra.

380 *Obducta*] Operta.

381 *Ægyptiæ plagæ*] De qua in Exod. cap. X. 'Tribus diebus in tenebris nemo vidit fratrem suum; ubicunque habitabant filii Israël, lux erat.' Sic in Laurentii martyrio baptizati fideles videbant illum fulgentem, tortores autem nihil tale videbant, sed quasi nube obductum.

382 *Barbaros Ægyptios*] Ut in Psalmo: 'In exitu Israëi de Ægypto, domus Jacob de populo barbaro.'

384 *Sudo*] Sereno. Virg. Æn. VIII. 'Per sudum rutilare videt.' dictum sudum, i. e. sine humido.

385 *Qualitas diversa odoris*] Quia a Christianis judicatur nectar odoratum, a tortoribus nidor, qui ex concoctis cibis evaporatur.

389 *Idem sensus*] Sc. odoratus.

390 *Aura*] Quia in aëre fundatur odor.

391 *Horrore vindice*] Ultrice in tortores, aut oblectamine in Christianos.

394 *Christus ignis*] De quo Malach. III. 'Ipse enim quasi ignis conflans, et sedebit conflans et emundans argentum, et purgabit filios Levi.'

395 *Complet lumine et urit*] Qui tamen sunt contrarii effectus, ex eadem causa profecti.

399 *E catasta*] Ut sup. ex tormento.

403 *Fac periculum*] Experire.

406 *Crudum seu assum*] Quod utrunque erat in Laurentio.

409 *Ludibundus*] Per ludum jocumque hæc dicebat.

412 *Urbem Romulam*] A Romulo conditam. Horat. in carmine seculari: 'Romulæ genti date remque prolemque.'

413 *Numen unicum*] Quia Pater et Filius et Spiritus Sanctus unus Deus sunt.

414 *O splendor*] Hebr. I. 'Qui cum sit splendor gloriæ paternæ.'

Virtus Patris] Fortitudo, Esaiæ LXIV. 'Et brachium Domini cui revelatum est.'

416 *Autor horum mœnium*] Quorum Romulus dicitur esse conditor; quia ideo fecisti, ut Roma esset caput orbis, ut omnes gentes obedirent unis legibus. Nam quod Virg. Æn. I. scribit: 'His ego nec metas rerum, nec tempora pono:' ad imperium Ecclesiæ potius, quam ad sæculare pertinet.

419 *Quirinali togæ*] Quia Romulus post consecrationem, Quirinus est cognominatus; et Romana gens togata a Virgilio dicitur; ut, 'Romanos rerum dominos gentemque togatam.'

422 *Observantiam*] Religionem.

423 *Ingenia*] Quæ apud diversas nationes varia sunt, et ad diversa studia inclinata.

427 *Dissoni ritus*] Diversi mores, et homines diversorum studiorum.

Idem loquuntur et sentiunt] Quia idem credunt et confitentur, sc. fidem Christianam; vel potius ad linguam Latinam referendum, et ad leges Romanorum.

429 *Hoc destinatum*] A Deo; ut, quemadmodum omnes tenentur uno imperio, teneantur etiam una religione.

436 *Mens una sacrorum*] Quia cum imperio propagata est religio Christiana.

438 *In Symbolum*] In convenientiam. nam symbolum est, in quo plura conveniunt.

439 *Mansuescit orbis*] Non totus; sed Ecclesia orientalis et Græca; unde incepit religio nostra.

440 *Caput*] Roma. Virg. 'Quæ alias inter caput extulit urbes.'

441 *Advertat*] Roma videat.

Abjunctas plagas] Disjunctas regiones.

442 *In unam gratiam*] Amorem religionis convenire.

443 *Romulus et Numa*] Per quos intelligit Romanorum principes.

446 *Curiam Catonum*] Nobilium Romanorum, quales fuerunt Catones.

448 *Penates exules*] Virg. 'Victosque Penates.'

449 *Janum bifrontem*] Ovid. Fast. I. 'Jane bifrons, anni tacite labentis origo, Solus de superis, qui tua terga vides.'

Sterculum] Macrob. Sat. I. 'Cyrenenses mellis et fructuum repertorem Saturnum existimant, hunc Romani Sterculum vocant.'

454 *Gabriel*] Recte non est ausus declinare sub hac terminatione.

456 *Cæcitas Julica*] Eorum, qui ab Ascanio Julo, Æneæ Filio, descendunt, a quo Julius Cæsar ducebat originem.

461 *Vocator gentium*] Sc. Paulus, qui præ cæteris prædicator gentium dicitur.

463 *Recludit*] Aperit.

464 *Æternitatis*] Cœlorum et vitæ æternæ.

466 *Sororis*] Junonis, quæ Jovis dicitur et soror et conjunx.

470 *Exturbat*] Ejicit. Ovid. Met. XV. 'Exturbare animas,' posuit pro, ejicere.

471 *Armaveras*] Molitus eras, quod cessit in perniciem tuam.

472 *Factum Neronis*] Qui Petrum

et Paulum martyrio coronavit.

480 *Pessulos*] Januarum repagula.

482 *Marmora*] Templorum sc. idola, id est, sanctorum imagines, quia idola Deorum noxia erant.

486 *Vinculi carnalis*] Quo anima in corpore tenetur.

487 *Erupit*] Prorupit; pro simplici compositum.

491 *Libertas viri*] Laurentii, nam patres illi cum vidissent martyrem tanta libertate apud urbis præfectum fuisse usum, cœperunt et ipsi Christum quærere.

493 *Indoles*] Probitas illa martyris.

Repens medullas] Illorum patrum inflammarat.

496 *Nugas pristinas*] Vanitates gentilicas.

499 *In sacellis*] Deorum gentilium.

Rarior] Cum antea esset frequentior.

500 *Curritur*] Plerique omnes currunt.

504 *Retro torquens*] Pro retorquens. Nam moriens hostem superavit; sic enim indies crescebat Ecclesia.

508 *Æternum*] Æternaliter; nomen pro adverbio. Virg. Æn. vi. 'Sedet æternumque sedebit.'

511 *Vesta*] Ignis Vestalis. Ovid. 'Non aliud Vestam, quam vivam intellige flammam.'

Lares Palladios] Templum, ubi erat Palladium.

512 *Impune*] Quia si negligentia virginum Vestalium ignis extingueretur, capitale erat illis: sed tunc impune ille ignis extinctus est.

514 *Res vanas Numæ*] Qui religionem Romanis tradidit et sacra.

516 *Resultat*] Resultando concinit.

517 *Lumina senatus*] Ex senatoribus illustrissimi.

518 *Luperci*] Sacerdotes Panos, Dei pastorum.

Flamines] Sacerdotes collegiorum.

522 *Ex utroque sexu*] Ex patre et matre fulgentes sanguine.

523 *Pignora clarissimorum liberum*] Pro, liberorum, i. e. ipsos liberos, qui sunt pignora parentibus.

525 *Pontifex vittatus*] Qui fuit apud gentiles in summa veneratione.

529 *Terque quaterque et septies*] Ex Virg. Æn. i. 'O terque quaterque beati.' sed septies, conflatur ex ternario et quaternario; qui numerus ex certa quadam ratione perfectus est.

531 *Te*] O Laurenti.

Comminus] Prope, et in eadem urbe.

533 *Propter*] Prope. Virg. Ecl. 'Propter aquæ rivum viridi procumbit in herba.'

537 *Nos Vasco Iberus*] Sensus est: ille dicitur felix, cui licet Romæ visitare cineres beati Laurentii: sed nos, Hispanos. Iberus Vasco, i. e. fluvius, qui Vascones alluit.

Dividit] Separat nos; non quod Iberus appelletur Vasco, cum præterfluit Cæsaraugustam urbem, sed quod ortus in Vasconibus fluit per illos, et deinde per Celtiberos.

538 *Binis Alpibus*] Quod ipse declarat: 'trans Alpes Cottianas et trans Pyreneum.' Dictæ sunt autem Cottiæ Alpes, a Coctio, Gallorum rege, qui cum Augusto amicitiam fecit. Coctianæ dicuntur a Cornelio Tacito.

541 *Vix fama*] Nescitur.

543 *Urbanum solum*] Urbis, quæ per excellentiam sic dicitur.

548 *Cœlum intuemur*] Ubi est certior sedes martyrum.

549 *Sic*] Sc. intuentes cœlum.

553 *Inenarrabili*] Cujus opulentia narrari non potest.

554 *Urbi*] Jerusalem cœlesti, de qua in Apocal. cap. xxi.

556 *Coronam civicam*] Quæ dabatur illi qui civem in prælio servasset: sed quia Laurentius multos hoc modo reduxit ad Christum, merito donatur corona civica.

559 *Roma cœlestis*] Sicut Hierusalem cœlestis.

561 *Quæ sit potestas*] Quod in vita aliorum martyrum facit, et in hac facit, ut enarret hujus martyris, quemadmodum et aliorum, potestatem.

563 *Quiritum gaudia*] Consequentium petita.

567 *Litantur*] Pro litant, hoc est, impetrant quod poscunt.

570 *Alumnos urbicos*] Tuos cives.

571 *Lactante sinu*] More matrum, quæ filios lactant.

578 *Quem exaudiat*] Quia peccatores Deus non exaudit. Joh. cap. IX.

580 *Medelam*] Peccatorum veniam.

582 *Reum Christi*] Quem Christus potest accusare peccatorum. Cicero pro Milone: 'Reus Milonis lege Plotia fuit Clodius.'

583 *Servientem corpori*] Dum est in hoc sæculo.

HYMN. III. 2 *Indole mortis*] Virtute; id quod præcedit, pro eo quod sequitur: nam indoles virtutem præcedit.

4 *Cujus ab ubere*] Fertilitate. Virg. Æn. I. 'Potens armis atque ubere glebæ.'

11 *Curriculis tribus atque novem*] Solis duodecim revolutionibus, h. e. duodecim annis.

12 *Attigerat quatuor hiemes*] Duodecim annos; accipiendo partem annorum, pro toto anno.

13 *Pyra crepitante*] Lignorum strue incensa. Crepitat autem ignis, cum ligna comburuntur, quod aiunt, ut inquit Aristoteles, 'Vestam ridere;' et notat quo mortis genere passa est martyrium.

14 *Aspera*] In se ipsam talia perpetrando.

15 *Dulce sibi*] Rem dulcem. Virg. 'Dulce satis humor.'

16 *Indicium*] Indolem, ut sup. dixit.

17 *Ad solium patris*] Ad regnum cæleste, in quo Dei sedes est.

18 *Dicata toro*] Subaudi, fore; i. e. dederat indicium se nemini nuptum iri.

19 *Crepundia*] Diximus fuisse crepitacula, quæ pusionibus et puellis dantur ad cohibendos fletus, et in quibus ludunt.

20 *Pusiola*] Puellula; nam pusio parvus est puer.

21 *Succina*] Quæ Græce dicuntur electra, vulgo *amber*, gummi arborum notissimum.

Flere rosas] Cum fletu abjicere, cum aliæ soleant flere, ut dentur.

22 *Fulva*] Aurea, a colore.

24 *Moribus teneris*] Juxta illud Sapient. II. 'Cani hominis, sapientia illius.'

26 *Furiata lues*] Persecutio in Christianos.

28 *Cruenta*] Cruorem minitans, nisi sacrificent thura et jecora Deis.

33 *Parat frangere*] Ordo est, et rude pectus, et ferox ingenio, parat frangere, i. e. superare.

Bella turbida] Perturbationem aliis afferentis, i. e. parabat se martyrio patiendo, sed hoc volebant parentes prohibere occultando illam in agro.

35 *Arma virum*] Pro, virorum, i. e. instrumenta, quæ sæviant in ipsam.

39 *Fera puella*] Efferata amore martyrii.

41 *Quietis*] Pacis et tranquillitatis.

42 *Mora degeneri*] Quia videbatur sibi degenerare, si non rueret in martyrium.

44 *Septa claustra*] Domus sepimenta, quibus erat clausa.

46 *Ingreditur*] Vadit.

47 *Per loca senta situ*] Loca spinosa et inculta. Virgilii est in sexto Æn.

51 *Sic habuit*] Ex Exod. cap. XIII. 'Dominus,' inquit, 'præcedebat filios Israël, ad ostendendam viam; per diem in columna nubis, et per noctem in columna ignis.'

Patrum] Filiorum Israël.

55 *Intereunte chao*] Dissipatis tenebris.

57 *Diem*] Diei lucem.

59 *Regna Canopica*] Ægyptia; nam Canopus civitas est Ægypti, quæ

nunc Damiata dicitur: sed per regna Canopica intelligit regna mundi hujus, quæ martyr fugiebat, ut Hebræi Ægyptia.

61 *Gradu pervigili*] Quia totam noctem vigilaverat.

62 *Plaga Eoa*] Regio Orientalis.

Pandat polum] Cœlum aperiat Sol oriens. Virg. 'Panditur interea domus omnipotentis Olympi.'

64 *Tribunal*] Ubi erat judex.

65 *Fascibus*] Lictoribus; qui fasces præferebant magistratibus.

67 *Perdere animas*] Sc. vestras, præcipitando illas ad Inferos.

68 *Male prodiga sui*] Quia male impenditis mortem.

69 *Rasilibus*] Viscera vestra radentibus.

72 *Christicolum*] Christicolarum.

76 *Isis, Apollo*] Qui sunt ex magnis et consentientibus Deis.

77 *Maximianus*] Qui particeps imperii cum Diocletiano fuit, anno salutis circiter trecentesimo, quo tempore persecutio valida in Christianos fuit.

82 *Cliens lapidum*] Cultor idolorum. Nam *cliens* a colendo dicitur.

83 *Prostituat*] Verbum turpe, sumtum ab illis qui se prostituunt libidini publicæ; et in sacris literis verbum est frequens *mœchari*, de iis qui idola colunt.

85 *Generosa*] Qualem me profiteor.

Quatit] Persequitur.

86 *Dux bonus*] Per ironiam est legendum.

87 *Sanguine innocuo*] Martyrum.

88 *Piis*] Religiosis.

Inhians] Sumtum a pullis hirundinis, qui cibis inhiant, i. e. avide cupiunt. Seneca Herc. Fur. 'Nullo fine beatus Componit opes gazis inhians.'

90 *Fidem*] Fideles Christianos.

92 *Coacta*] Composita et compacta.

93 *Rem fragilem*] Corpus cito frangibile.

96 *Obrue*] Onera vel lacera.

99 *Sentiat*] Nunc cum dolore; est hic sensus.

103 *Nequitiam*] Peccatum sive malum.

104 *Metas*] Colligas; unde messores dicti.

106 *Domus*] Parentum familia.

108 *Nobilitas*] Aut parentum, aut omnium nobilium.

111 *Pompa tori*] Thalami, jam tibi parati ad nuptias.

112 *Senum*] Patris et matris.

113 *Debilitas*] Hoc tuo facto temerario crucias.

116 *Feriere, laniabere*] Synecdoche, per verbum passivum.

119 *Ululanda tuis*] More feminarum, quæ in fletu ululant. Virg. 'Et femineo ululatu.'

120 *Flues in cineres*] Cremaberis.

121 *Hæc*] Tanta mala, quæ tibi sunt parata.

122 *Eminulis digitis*] Eminentibus et summis. Varro de R. R. de canibus: 'Spina neque eminula, neque curva.' Et est sensus, pœna gravis aberit a te, si summis digitis velis tangere modicum salis et exiguum thuris, ad sacrificandum, sc. Diis.

Salis] Propter molam, quæ sale spargebatur. Virg. 'Et salsæ fruges, et circum tempora vittæ.'

129 *Impositam molam*] Quæ erat parata ad sacrificium.

130 *Prosubigit*] Proculcat.

132 *Pectora juncea*] Pulchre deducta et composita.

135 *Notas*] Signa, quæ faciebant ungulæ.

136 *Scriberis*] Allusit ad notas, quæ aliquando significant literas; ideo dicit, 'O Domine, tu scriberis mihi,' i. e. in me.

138 *Notant*] Per notas repræsentant.

139 *Sacrum nomen*] Christum.

140 *Sanguinis eliciti*] Ex vulneribus meis expressi. Lucanus in IX. 'Viras et elicitum.'

145 *Recalente*] Recentante sanguinem. Virg. Georg. III. 'Lavit ater corpora sanguis.'

146 *Ultima carnificina*] Ignis, quod fuit ultimum tormentum.

147 *Laceratio*] Ut antehac.

148 *Crate tenus*] Quæ non penetrabat nisi usque ad costas, quæ sunt quasi quædam crates ipsius corporis.

151 *Crinis odorus*] Non tunc, sed qui solebat odoribus suffiri. Virg. 'Ambrosiæque comæ divinum vertice odorem Spiravere.'

In jugulos] In partem colli anteriorem.

152 *Involitans humeris*] In humeros: et est sensus, quod virgo deduxit capillos in faciem et humeros, ut absconderet pudorem suum, cum moreretur.

155 *Tegmine*] Capillis.

156 *Flamma crepans*] Virg. Georg. I. 'Atque levem stipulam crepitantibus urere flammis.'

Volat in faciem] Quia capilli sunt igne correpti.

157 *Vegetata*] Nutrita.

158 *Apicem*] Sc. capitis. Virg. Æneid. II. 'Fundere lumen apex.'

161 *Repens*] Pro, repente; sicut recens pro recenter.

165 *Lacteolus*] Candidus.

169 *Flatus*] Spiritus.

170 *Templa celsa*] Cælum, quod proprie templum dicitur; nam hæc nostra in terra per translationem dicuntur templa.

172 *Meare*] Volare.

174 *Sua gesta*] Cædem, quam virgini fecerat.

175 *Lictor*] Qui præferebat prætoris insignia.

179 *Sub axe gelido*] Sub cælo; pars pro toto; ut, 'Intonuere poli:' nam polus et axis partes sunt cæli.

180 *Vice pallioli linteoli*] Ad similitudinem pallii lintei.

181 *Cedat amor*] Sensus est, quod exequiæ virginis hujus magis honorificæ sunt, quam eorum qui in funere deflentur.

186 *Emerita*] Colonia Romanorum in provincia Lusitaniæ Vectoniæ; nam Vectones populi sunt Lusitaniæ, de quibus Lucan. lib. IV. 'Vectonesque leves.'

188 *Amnis Ana*] Fluvius, qui dividit Beticam a Lusitania, et inde nobilis.

190 *Gurgite viridante*] Propter arbores aut herbas adjacentes ripis, quod illius fluminis est proprium.

191 *Hic ubi*] Ordo est: Hic humus veneranda propter virginis martyrium.

Perspicuo] Pellucenti et splendido.

192 *Luminat*] Illustrat.

Atria alma] Templa.

195 *Servat in sinu*] Gremio reliquias et cineres sacros.

196 *Super rutilant*] De laquearibus: ordo est, desuper rutilant.

198 *Saxa cæsa*] Secta in pavimenta vermiculata, variata arte musiva, qualia nunc Emeritæ multa conspiciuntur.

199 *Rosulenta*] Plena rosis: nam erant in pavimento lapillis formatæ rosæ et violæ, et hujusmodi flores.

201 *Carpite*] Hoc ad laudem picturæ pertinet, quod flores picti erant quam simillimi veris; quare invitat ad carpendos illos.

203 *Genialis hiems*] Ex Virg. Georg. II. 'Invitat genialis hiems,' i. e. voluptuosa, ex eo, quod tunc omnes vacant ocio: vel potius disjungendus locus a superiori, invitatque ad carpendos flores, quos spargunt in templo Divæ Eulaliæ; et tunc sequitur, 'non caret his hiems;' quia Emerita in tali situ cæli est, qui propter aëris clementiam per mediam hiemem flores parturit. Ideo dicit, 'glacies tepens,' i. e. hiems tepida et clemens.

205 *Cumulet*] Impleat canistra.

206 *Comantibus*] Florentibus.

209 *Pede dactylico*] Cujusmodi est præsens ode.

210 *Vilia*] Parvi æstimanda.

Festa] Festo virginis convenientia.

215 *Propiciata*] Propitia et benevola facta.

Hymn. iv. Celebrat Poëta patriam suam, narrando duodeviginti martyres, et Vicentium et Encraten, duosque Confessores Gaium et Crementium ejusdem civitatis indigenas.

1 *Bis novem*] Duodeviginti.

Noster populus] Quia, ut in Prudentii vita diximus, Cæsaraugustanus fuit.

4 *Res tanta*] Tanto precio æstimanda.

6 *Mundi ruinam*] Quippe tanta sanctorum præsentia est munita.

7 *Sinu*] Translatio sumta ab iis qui plenos muneribus sinus offerunt.

11 *Libram justam*] Justitiam, quæ libræ omnia adæquanti convenit.

13 *Excitata caput*] Habens caput excitatum, perinde ac si civitas sit una quædam persona.

15 *Omnis civitas*] Quia omnes venturi sunt ad judicium.

Dona preciosa] Martyres indigenas: et quod dixit in genere, explicat per partes.

17 *Aphra Carthago*] Ad differentiam Carthaginis Spartariæ sive novæ, quæ est in Hispania.

18 *Cypriane*] Qui fuit Carthaginensis, et solam hanc posuit ex urbibus peregrinis, cum reliquæ omnes sint in Hispania.

19 *Acisclum*] Cujus festum Ecclesia celebrat 15. Kalend. Decembris.

Zoëllum] Hujus quoque festum celebrat 5. Kalend. Julii: sed nomine paululum immutato Zoilum pro Zoëllo nuncupans, cum alioqui Zoilus nomen sit magis celebre.

20 *Tres coronas*] Alios tres martyres, quorum nomina non sunt mihi comperta.

21 *Tribus gemmis*] Augurio et Eulogio et Fructuoso, de quibus peculiarem odam paulo post cantaturus est.

23 *Tarraco*] Civitas Hispaniæ citerioris.

Cui] Tarraconi.

Fructuosus] Qui fuit Tarraconensis Episcopus.

Intexit] Pro intexuit, aut intexet.

24 *Vinclum sutile*] Coronam contextam.

25 *Hoc nomen gemmæ*] Opinor legendum esse, *novæ gemmæ*.

Strophio] Coronæ. Virg. in Copa: 'Necte caput strophio.'

26 *Lapides gemelli*] Augurius et Eulogius, qui fuerunt Levitæ Fructuosi.

27 *Splendor parilis*] Quia ambo erant ejusdem ordinis.

29 *Felicis*] Quo nomine et alii quoque martyres fuerunt.

30 *Gerunda*] Civitas quoque Hispaniæ citerioris, conventus Tarraconensis, ubi Concilium fuit celebre, quod Gerundense dicitur.

31 *Ambos*] Emeterium et Chaledonium; de quibus supra scripsit Odem.

33 *Barcinon*] Civitas etiam ejusdem Provinciæ, Colonia Romanorum, Faventia cognominata.

34 *Narbo*] A qua dicta est Provincia Narbonensis; nunc est Narbona.

38 *Urbs*] Emerita, quæ est caput Lusitaniæ, hæc est civitas Metropolis.

Puellæ adoratæ] Eulaliæ, quam omnes venerantur.

40 *Ad aram ipsam*] Quasi munus offerendum Christo ad aram.

41 *Sanguinem Justi*] Complutum, civitas est Tarraconensis provinciæ fortasse Alcala, quia id omnes opinantur; et est ordo, juvabit ferre sanguinem Justi et Pastoris, appositive.

42 *Ferculum*] Donum sive vasculum, in quo fertur donum; nam utrunque significat ferculum.

45 *Tingis*] Civitas Mauritaniæ Bochi; quæ quondam fuit Hispaniæ contributa; quanquam terminis Hispaniæ non contineatur.

Cassianum] Tingitanus hic non videtur esse is, de quo paulo post exponetur martyrium; et per apposi-

tionem ad Cassianum subdit, monumenta.

46 *Festa regum Massylum*] Pro, Massylorum, qui sunt populi in eo tractu. Virg. Æn. IV. 'Massylique ruunt equites.'

47 *Qui civis*] Non civis, sed ille cujus erat civis, i. e. Cassianus.

49 *Paucæ*] Subaudi, civitates, placebunt singulis aut duobus, et aliquæ quinque testibus, i. e. martyribus: nam martyr testis interpretatur.

51 *Pignore hostiarum*] Talibus hostiis quæ sunt pignora quædam ad propiciandum Deum.

55 *Revincta oleis*] Quia oleis abundat, quæ sunt pacis insignia. Virg. Georg. II. 'Et pinguem pacis nutritor olivam.' Ideo subit, 'honori pacis.'

59 *Pietate*] Religione.

62 *In solio*] Q. d. in arce dominationis, in qua multi martyres passi sunt.

65 *Sacer sanguis*] Sc. martyrum.

66 *Exclusit*] Ex omnibus portis qui erant intra urbem.

Invidorum] Quia dæmonum propria est invidia.

67 *Nigras tenebras*] Offucias, quas dæmones objiciunt hominibus.

69 *Umbrarum*] Larvarum et hujusmodi phantasmatum.

70 *Pestis*] Sc. dæmonum.

Populum] Sc. Cæsaraugustanum.

72 *Patriam martyrum*] Ubi martyres nimia fertilitate proveniunt.

74 *Debitam sacris coronis*] Ad hoc generatam, ut martyres procrearet.

78 *Clerus*] Clericorum ordo, ex quo fuit Vincentius et Valerius.

79 *Infulata*] Quia fuerunt ejusdem urbis.

81 *Sævus*] Quod in Christianorum persecutionibus, quæ fuerant usque in illa tempora, Cæsaraugustæ plus quam alibi usquam sævitum est.

83 *In istud templum*] In Christianos, qui templum Dei sunt, ut inquit Apostolus: 'An nescitis, quod templum Dei estis?'

85 *Nostrum*] Nostrorum martyrum.

88 *Grandine*] Persecutione.

89 *Peregre necatus*] Sagunti non longe a Valentia: nunc est *Monvjedro*.

91 *Rore sanguinis*] Forte propterea dicit, quod ibi didicit, quo pacto deberet esse martyr, cum videret cives suos martyrium pati.

93 *Hoc colunt cives*] Sc. quod ibi natus es, et institutus ad fidem: potest etiam legi, *hunc*, scil. martyrem, neque minori laude censendi sunt, quam si etiam illius ossa haberent.

99 *Prope litus*] Quia Saguntus, ut Livius scribit, non distat a mari plus quam mille passus.

Altæ] Antiquæ, namque condita est a Zacynthis, qui cum Hercule in Hispaniam venerunt.

101 *Nostra palæstra*] Christiana militia.

104 *Hostem*] Persecutorem nominis Christiani.

106 *Palmas*] Victorias decem et octo martyrum.

107 *Eadem laude*] Qua sc. illi cucurrerunt.

109 *Encrate*] Virgo et martyr quoque ex eadem urbe, quæ nunc corrupte dicitur *Engratia*. Interpretatur namque Encrate temperata.

110 *Ossa*] Monimenta.

Quibus] Virtutibus, qua fortitudine.

111 *Violenta*] Quia viribus id fecisti.

112 *Dedecorasti*] Quia victoria tua fuit mundi hujus ignominia.

113 *Martyrum nulli*] Quia illi assecuti sunt coronam martyrii per mortem; hæc vero passa est omnia tormentorum genera, et tamen supervixit, fuitque sibi ipsi superstes.

117 *Retexis*] Enarras, ut in hymno martyrum, 'Quæ vox quæ poterit lingua retexere.' Alias retexere, est, quod textum est, infectum reddere.

118 *Recentans*] Renovans, quasi ve-

lit dicere, exulcerans quod jam in cicatricem coierat.

119 *Sulcos*] Laniatus in sulcorum morem.

124 *Sub corde*] E cujus regione sunt papillæ.

125 *Minus precium*] Non multi æstimandum: precium namque aliquando pœnam significat, ut Terent. 'Ego precium pro stultitia fero.' Et Virg. Æn. VIII. 'Rem magnam preciumque moræ.'

127 *Concitam*] Citam et velociter venientem.

129 *Longum*] Nomen pro adverbio, i. e. longo tempore.

132 *Humor tabidus*] Sanguis corruptus.

135 *Martyr*] Vocativus est.

Plena pœna] Quia nihil defuit ad martyrii meritum.

137 *Vidimus*] Si adfuissemus poteramus videre. Virg. Georg. I. 'Et studio incassum videas gestire lavanti.' Neque enim per tempora licuit Prudentio id videre.

138 *Ungulis pressis*] In ipsa thoracis penetralia impressis.

139 *Mors pallens*] Ab effectu. Virg. Æn. IV. 'Et pallida morte futura.'

Tuorum] Subaudi, membrorum.

141 *Fruendum*] Quo gloriaretur.

143 *Juge viventis*] Immortalis; et est nomen pro adverbio, juge pro jugiter.

145 *Ergo*] Cæsaraugustam patriam suam hortatur ad canendas duodeviginti martyrum laudes, quos enumerat; præter quatuor Saturninos.

Dives tersenis] Nam et cum genitivo, et cum septimo casu construitur dives. Horat. 'Dives agris, dives positis in fenore nummis.'

146 *Optato et Luperco*] Et aliis qui sequuntur.

147 *Tibimet*] Non tantum ad illorum laudem, sed etiam ad tuam, quæ ex illis tibi quoque accedit.

157 *Eventi*] Vocativus est ab eo, quod Eventius.

162 *Nomen extolli*] Pro, nomina celebrari.

Renuente metro] Quia syllabæ quædam illorum nominum repugnabant legi carminis Sapphici.

165 *Carminis leges*] Sensus est, quod nihil refert illorum nomina scribi nostro versu, quia nomina illorum scripta sunt in cælo. Luc. cap. X.

Aureorum nominum] Aureis literis scribendorum.

168 *Non est rudis*] Nova, quia semper celebrabuntur.

169 *Plenus artis modus*] Satis est, quod illorum nomina sint nota Christo.

171 *Cœli liber*] De quo in Apocal. Johannis.

174 *Angelus*] Qui est cujusque hominis custos.

176 *Jure sepulchri*] Quia in illa sepulti sunt; ideo peculiarem gerunt illius tutelam.

177 *Ad antiquum numerum*] Sc. decem et octo memoratorum.

178 *Puella viva*] Quæ post martyrii tormenta fuit superstes.

179 *Mors Vincentî*] Quem diximus ortum Cæsaraugustæ; passum vero Sagunti.

Sanguis] Natale solum et origo honoris; ut potius honor martyrii cedat patriæ, quam loco ubi passus est.

181 *Additis Gaio et Crementio*] Hi duo confessores fuerunt, qui sine sanguine martyrii consecuti sunt parem illis gloriam.

186 *Latronum*] Persecutorum; sed de his nihil adhuc legi, neque nunc id agimus, ut excutiamus monimenta vetustatis, sed ut aditum quendam ad hæc opera Grammaticis aperiamus.

187 *Saporem*] Portionem quandam martyrii citra sanguinem.

190 *Lapsibus nostris*] Peccatis, in quæ labimur.

191 *Creatrix*] Sc. Cæsaraugusta martyrum genetrix.

198 *Nos pio fletu*] Sensus et ordo

est: Date, i. e. eja agite, se et cæteros hortans hoc dicit: 'perluamus lacrimis sulcos marmorum,' i. e. epitaphiorum sulcatas literas.

194 *Spes operta*] Cineres. juxta illud: 'Caro mea requiescet in spe;' subaudi, resurgendi.

196 *Vincla*] Peccata, quibus devinctus et impeditus teneor.

199 *Animas et artus*] Ipsos martyres a mortuis resurgentes in die universalis judicii.

HYMN. V. 1 *Beate martyr*] Vincentii, qui (ut superiori Ode diximus) Cæsaraugustæ fuit ortus et Sagunti passus, martyrium celebrat.

Prospera] Prosperum fac.

3 *Merces sanguinis*] Martyrii.

5 *Hic dies*] In quo passus est martyrium.

10 *Insigni stola*] Quæ fuit apud Romanas mulieres insigne castitatis.

11 *Testis indomabilis*] Martyr invictus.

14 *Atris legibus*] Duris et imperiosis.

19 *Captator*] Ille satelles captans, ut captaret. Alludit prius, ut illum a matre abstrahat, ludens et blandiens.

21 *Rex maximus*] Romanus Imperator.

22 *Romula*] Romana.

23 *Omnia*] Mortales omnes.

25 *Assistite*] Idolis adstate.

Nazareni] Christiani.

26 *Rudem ritum*] Novam religionem.

30 *Levita*] Non quod fuit ex tribu Levi Judæus, sed quod sacerdos sacrorumque minister: quemadmodum et Levitæ ex tribu Levi fuerunt.

35 *Deorum mortuorum*] Non immortalium, ut illi vocabant; unde vivum Deum verum ad illorum differentiam dicimus.

37 *Lucis autorem*] Quia a luce fabricam mundi inchoavit: cum dixit, 'Fiat lux.'

41 *Commotior*] Perturbatior.

45 *Sacratum et publicum*] Religiosum et profanum.

50 *Ara*] Idolum in ara impositum, ad precandum.

Thure et cæspite] Quia ex cæspitibus et herbis congerebant altaria.

54 *Age exere*] Eja expedi.

56 *Reluctor palam*] Non dissimulanter resisto.

60 *Extorque*] Per tormenta extrahe a me.

Si potes] Q. d. sed non poteris.

64 *Ludus Christianis*] Quasi per ludum illa experimur.

66 *Scitum brutum*] Decretum bestiale et iniquum.

67 *Condigna vestris sensibus*] Quia quales habetis Deos, talem et sapientiam.

69 *Excisa*] Puta ex saxis aut lignis.

70 *Recocta*] Ex ære fusili conflata.

73 *His*] Sc. talibus Diis, i. e. in illorum honorem.

77 *Spiritus*] Dæmones maligni.

78 *Magistri*] Autores.

79 *Auspices*] Qui vobis auspicantur in sacrificiis ventura.

80 *Vagi*] Quia vagantur per aërem.

Impotentes] In malum potentes; aut quia ex se nihil possint, nisi permissione divina.

81 *Latenter*] Per suggestionem alliciendo.

87 *Affore regnum*] Judicium ultimum dicit.

88 *Perfidis*] Malis, qui a Deo desciverunt, quemadmodum et ipsi a principio mundi.

95 *Obtrudite*] Claudite: purior lectio est, *obstruite*.

99 *Reorum carnibus*] Carnifices martyrum illi date, et objicite.

104 *Luserit*] Pro, illuserit. Virg. Æn. IV. 'Nostris illuserit advena regnis.'

112 *Divulsa membratim*] Distracta per membra.

113 *Hiulcis ictibus*] Hiantibus vulneribus.

114 *Abdita costarum*] Quæ latent intra costas, h. e. exta et omenta.

116 *Retectum*] Apertum.

120 *Intraret*] Penetraret.

122 *Cesserat*] Defecerat et victum erat.

123 *Nisus anhelos*] Conatus ex labore anhelantium.

124 *Toros*] Musculos.

126 *Nubilo*] Sine ulla tristitia, sed lætus. Nubilum autem et serenum translationes sunt.

129 *Quis vultus iste*] Tam lætus in tormentis.

131 *Renidet*] Splendet et serenus est.

Provocat] Lacessit in tormenta.

132 *Tortus*] Qui torquetur, est fortior quam tortor.

133 *Illa vis*] Sc. tortorum, exercita in tormentis martyrum.

136 *Dolorum*] Tormentorum, inferentium dolores.

138 *Mihi*] Ad hoc quod volo facere.

139 *Cohibete dexteras*] Cessate a tormentis.

140 *Vigor*] Sc. patientia martyris patiendi, aut vestra torquendi.

141 *Ulcera sanguine fluentia colligit*] Vulnus in cicatricem coit.

144 *Resulcans*] Iterum scindens.

145 *Levites*] Sic Græce declinatur: nos Levita, tæ, declinamus.

146 *Tuorum canum*] Tortorum.

149 *Ostende*] Illis.

152 *Rivos*] Sanguinis.

157 *Alter homo*] Non hic carnalis, qui videtur; sed ille interior, de quo Apostolus: 'Induite novum hominem.'

161 *Hoc quod laboras*] Sc. corpus.

163 *Solutum*] Solubile.

166 *Illum*] Hominem interiorem.

168 *Calcat*] Vincit et superat.

176 *Exsibilat*] Quia dixit, 'anguina verba.'

177 *Callum pectoris*] Patientiam.

179 *Pulvinar nostrum*] Altaria; nam in templis pulvinaria sternebantur.

182 *Libros*] Religionem vestram continentes.

190 *Erit vindex*] Liberatrix.

191 *Veneni*] Blasphemiæ.

193 *Vides favillas*] Exemplo illum deterret, cum ita illum conflagraturum dicit, ut Sodomorum et Gomorrhæ.

Indices] Testes judicium facientes.

195 *Cinis*] Quia totus ille locus quasi cinere sparsus est.

197 *Serpens*] Quia supra dixit, 'anguina verba exsibilat.'

198 *Fuligo et bitumen*] Aliquid simile iis, quæ sunt apud Sodomam et Gomorrham, apud Inferos te expectat. Bitumen autem sudat Asphaltites lacus Judeæ; unde bitumen Judaicum vocatur.

205 *Cunctatus diu*] Deliberans quid faceret.

206 *Extrema omnium*] Subaudi, tormentorum, ut scilicet quæstio exerceatur: per tormenta namque in quæstionibus veritas extorqueri solet.

209 *Munera*] Officia.

211 *Pernix*] Alacris et velox.

213 *Ad palæstram gloriæ*] Ad certamen, in quo martyr reportaturus erat victoriam.

214 *Spes vincendi*] Ex parte martyris, et crudelitas carnificis.

217 *Regula serrata*] Commodius dixisset *lamina*, cum Virg. Georg. I. 'Argutæ lamina serræ.'

218 *Dente infrequenti*] Valde frequenti, nam hic 'in' auget.

220 *Vivum halitum*] Vaporem igneum.

226 *Excussus salis*] Excussio; nisi forte velis intelligere, quod salis sit casus rectus.

227 *Punctis stridulis*] Puncturis cum stridore erumpentibus cum mica salis.

229 *Arvina*] Pingue illud, quod adjacet carni, impressa in corpus martyris, vel in ipsum cauterium advoluta.

Est autem cauter sive cauterium, instrumentum ad urendum, a cauteriaso, quod est, comburo, dictum.

230 *Lavit*] Tinguit; et declinatur per tertiam, lavo, lavis, lavit.

231 *Roris fumidi*] Sic enim gutta distillatur ex pingui.

234 *Nescius*] Non sentiens.

237 *Inde*] Sc. ex tormentis.

239 *Liber*] Sine impedimento.

240 *Animaret*] Animosiorem redderet.

241 *Ergastulo*] Carcere; cum tamen proprie ergastulum sit eorum, qui damnantur ad facienda opera.

243 *Fornicis mersi*] Testudinis subterraneæ.

244 *Angusta*] Angustum locum claudentia.

Strangulant] Contrahunt in strictum quasi puteum.

245 *Æterna nox*] Tenebræ sunt illic semper apud Inferos. q. d. est illic locus subterraneus, quasi Inferorum Inferi.

249 *Barathrum*] Sic appellatur apud Inferos locus damnatorum.

251 *Ligno*] Quem nos Hispani cippum vocamus.

252 *Divaricatis*] Distractis quam maximo fieri potest spatio.

256 *Fando*] Inter loquendum, in fabulis. Virg. Æn. II. 'Fando aliquid si forte tuas pervenit ad aures.'

Compertum retro] Temporibus retro actis.

257 *Fragmenta testarum*] Scrupulos angulosos.

258 *Hirta*] Aspera.

259 *Informia*] Non formata in planiciem.

261 *Spiculis*] Aculeatis illis lapidibus et scrupulis.

263 *Subter latus insomne*] Non sinebat martyrem dormire.

264 *Mucrone obvio*] Stimulo latus excipiente.

267 *Belzebulis*] Diaboli, qui princeps sive vir muscarum interpretatur. dicitur namque Bel, et Beel, et Baal.

269 *Cæcitas*] Obscuritas; unde 'cæcam noctem' Virg. dixit.

271 *Duplex morsus stipitis*] Cippi, qui duobus constat lignis incastratis.

272 *Cavernis*] Cavis in quibus vinctorum crura insertantur.

276 *Luminis*] Non solum illius, sed spiritalis etiam.

278 *Mollibus*] Quæ prius fuerant aculeata.

280 *Nectar*] Pro ambrosia posuit: 'quæ,' ut Virg. dixit, 'divinum spirat odorem.'

283 *Augustior*] Venerabilior.

286 *Securus tui*] Quia Deus peculiarem tui curam agit.

288 *Addere*] Sis additus. nam secunda imperativi modi persona est.

290 *Munia*] Officia laborque tormenta patiendi sunt decursa, id est, perfecta.

298 *Ævo intermino*] Immortalitate.

299 *Collegam crucis*] Passionis.

300 *Larga*] Benigna et munifica.

301 *Vasculum*] Corpus, quod est quasi animæ vagina.

304 *Liber*] Expeditus.

306 *Rumpunt*] Erumpunt per fores clausas.

308 *Proditur*] Ostenditur.

310 *Obsessor atri liminis*] Forte legendum *carceris*. nam quomodo *limen* erat *atrum?*

311 *Cura pernox*] Vigilia por totam noctem durans.

315 *Cui*] Carmini.

316 *Concavum*] Testudineum.

Reddit] Per vocis repercussionem; quod maxime fit per Echo in locis concavis.

319 *Acies*] Sc. oculorum. nam per januarum rimas aspexit, quid intra carceris barathrum fiebat.

322 *Stramenta testarum*] Testas illas stratas.

323 *Nexibus*] Vinculorum scilicet, et compedis.

330 *Fotibus*] Fomentis, quibus recreetur, ut deinde magis sentiat dolores in tormentis.

331 *Pastum novum*] Materiam integram ad tormenta.

334 *Turbam fidelem*] Christianos putantes, quod prætor parabat illum dimittere.

337 *Duplices sulcos*] Erant enim ungulæ ad modum rastri bidentis.

338 *Pererrat osculis*] Osculatur.

342 *Stillante sanguine*] Sc. martyris, ut pro amuleto utatur ad pericula morbosque depellendos.

345 *Manceps carceris*] Qui ministerio carceris mancipatus erat.

347 *Ut fert vetustas*] Ut fama ex antiquo tempore constat.

349 *Obseratis vectibus*] Clausis januis.

351 *Advenæ*] Extravenienti.

353 *Quietem lectuli*] Quia obdormivit paululum.

355 *Æger*] Dolens.

Tædio morarum] Quod tam diu moraretur in hac vita.

356 *Et mortis*] Cupidus moriendi. Et per parenthesin interponit: 'si mors habenda est,' quæ resolvit mentem liberam a corporis carcere, &c. Et pendet usque ad locum illum: 'Ergo ut recline.'

360 *Reddit*] Quasi rem ab illo mutuo acceptam.

365 *Recline*] Inclinatum.

370 *Patrem*] Rerum omnium parentem.

371 *Cæsus fratre*] Occisus a Cain, primogenito Adam, ex Eva uxore, de quo Salvatoris testimonio pronunciatur, 'quod fuerit justus.'

375 *Pari carcere*] Quia Johannes Baptista in carcere quoque fuit obtruncatus, et ex carcere migravit ad Dominum.

376 *Vocat*] Subaudi, ad se, et juxta se collocat.

378 *Irrita*] Vana, quæ non sunt consecuta suum effectum.

380 *Efferata*] Sc. illa venena, quæ illum efferatiorem reddiderunt.

381 *Inermem dentibus*] Quia draconum arma sunt dentes.

383 *Evasit exultans*] Sc. Vincentius.

384 *Palmam tulit*] Victoriam de me.

388 *Carpendum*] Dilacerandum.

389 *Extinxero*] Pro extinguam; nam futurum est indicativi modi.

391 *Gregalis*] Ejusdem gregis, hoc est, Christianorum.

Excolat] Veneretur.

392 *Titulum*] Epitaphium sepulcro insculpat.

395 *Tegmine*] Funerali veste.

396 *Inter carices*] Palustres arundines minutulas.

399 *Tropæum gloriæ*] Victorem gloriosum.

400 *Squalido*] Immundo.

401 *Si qua clangens*] Subaudi alitum. i. e. aquilarum. nam *clangere* proprie aquilarum est.

403 *Trucis volucris*] Corvi; quod ipsum mirum est, quod corvus fugaret aquilam.

405 *Heliæ datus*] Ex III. Regum volumine petenda est historia, quo pacto corvus pascebat Heliam Prophetam.

408 *Excubat*] Vigilat et tuetur.

409 *Proximis*] Ei loco ubi martyris corpus jacebat.

412 *Exegit*] Fugavit.

414 *Beluam*] Lupum illum.

416 *Plumis mollibus*] Corvo.

417 *Malignum*] Maligne; nomen pro adverbio.

418 *Levi volatu*] Corvi leviter volantis.

423 *Spiculis*] Stimulis.

429 *Sed quis tyranne*] Verba sunt Poëtæ alloquentis Datianum.

431 *Determinabit*] Finiet.

432 *Modus*] Finis.

433 *Nullus*] Facit Datianum respondentem.

438 *Nunquam ignoscit*] Sed semper injecta devorat.

441 *Illic*] In flumine.

442 *Incerta ludibria*] Per motus incertos.

444 *Agmina squamosa*] Pisces.

446 *Scabri murices*] Asperæ rupes. nam *murex* etiam inter alia hoc quoque significat.

447 *Inter recessus scrupeos*] Speluncas saxosas et asperas: unde Virg. Æn. VI. 'scrupea saxa' dicit.

449 *Ecquis*] Interrogativum est; sed hic videtur ponere pro aliquis: quia subdit, 'peritus pellere cumbam strenue qui queas.'

455 *Levi lembulo*] Parvo lembo, qui etiam ex cymbarum genere est. Virg. Georg. I. 'Adverso vix flumine lembum.' Ubi Servius exponit, naviculam admodum brevem.

458 *Culleus sparteus*] Fiscus ex sparto contextus.

461 *Emicet*] Eas remorum impulsu. Virg. 'Juvenum manus emicat ardens.'

462 *Palmula*] Remi palma.

464 *Solum relictum*] Terram, h. e. ubi terra nusquam appareat: sed undique sit aut cælum et mare.

468 *Arripit*] Exsequitur.

469 *Funale textum*] Fiscum ex funibus contextum.

470 *Corpore suto*] Intus clauso et implicito.

471 *Emensus*] Enavigans.

472 *Excutit*] In mare dejicit.

476 *Gradiente Christo*] Quo tempore Petrum a profundo maris liberavit.

480 *Viator gurgitis*] Viam faciens per mare.

481 *Hæc virtus*] Cum populum Israëliticum per mare Rubrum trajecit.

482 *Dehiscere*] Sulcari, undis stantibus ex utroque latere.

485 *Et ipsa*] Subaudi, virtus.

487 *Quietis*] Tranquillis.

488 *Pronum*] Declive. nam *pronum* dicitur, quod deorsum vergit.

490 *Spuma candens*] Epitheton est inseparabile: quoniam omnis spuma candicat.

492 *Fiscella*] Proprie, quam sup. culleum dixerat.

494 *Remenso marmore*] Retro navigato mari. Virg. Æn. II. 'Pelagoque remenso Improvisi aderunt.' Idem in VII. 'Et lento luctantur marmore tonsæ.'

496 *Æstu et flamine secundo*] Undarum fluxu sequente et vento. nam 'æstus maris' proprie dicitur, cum crescit, et undas ad littora impellit.

497 *Certant ipsi*] Qui merserant martyris cadaver in pontum.

498 *Phaselo*] Quem supra vocavit cymbam et lembulum. nam Phaselus quoque navicula est. Juven. 'Fictilibus solitum dare vela phaselis.'

502 *Humus quieta*] Ubi corpus requiescit in spe resurgendi. Sepultus namque putabatur a Christianis qui aderant.

509 *Sanctorum*] Hominum sc. Christianorum.

512 *Vitæ posteræ*] I. e. ad diem judicii, quo revicturi sunt omnes.

513 *Subactis hostibus*] Postquam gentiles cesserunt Christianis, et summa rerum omnium delata est ad nos.

515 *Altar*] Ut sup. quoque posuit pro altare.

519 *Auram*] Favorem cælestem.

521 *Sic corpus*] Subaudi, habet se.

Ast ipsum] Animam illius, quæ est totum hominis esse, ut philosophi dicunt.

523 *Cum fratribus Machabeis*] Qui pro lege Domini passi sunt, quemadmodum scribitur 2 Machab.

524 *Esaiæ secto*] Serra in duas partes diviso; sic enim scribitur diem suum obiisse.

525 *Simplex*] Quia Machabei simplici morte necati sunt, et Esaias quoque: at Vincentius mille tormentorum generibus.

529 *Sector*] Qui serra Esaiam secuit.

Quid tale] Quale in Vincentium.

533 *Machabei Martyris*] Quo pacto hæc gesta sint, cap. VI. secundi voluminis Machabeorum legitur.

537 *Bis inclite*] Scilicet in vita, cum

patereris tormenta; et post mortem injectus mari.

544 *Latronem*] Violentum persecutorem.

547 *Efficax orator*] Sufficiens, qui pro nobis ores; vel potius, orator, id est, patronus, qui caussam nostram coram judice defendas.

549 *Per te*] Per, particula est adjurandi. Virg. 'Per, si qua est, quæ restat.'

552 *Stipitem carceralem*] Cippum illum ligneum.

553 *Fragmen testeum*] Lapillos illos testaceos.

555 *Per lectulum*] Sepulchrum dicit, in quo situs est.

560 *Imputet*] Quod non potest sine reprehensione fieri.

564 *Sternimur*] Projicientes nos pronos in tuum sepulcrum.

565 *Huc illabere*] Ad nos descende.

569 *Sic nulla jam*] Sic, particula est adjurantis, ut supra diximus de *per;* ut sit sensus; fac, quod te rogamus; sic nulla mora restet, i. e. cito nobilis spiritus tuus resumat carnem excitatam, quod fiet in die ultimi judicii.

572 *Perfunctam pari virtute*] Utraque tua pars exerceat communes operationes, ut caro, quæ particeps laboris in passione fuit, sit coheres gloriæ, i. e. simul cum spiritu heres.

HYMN. VI. 1 *Felix Tarraco Fruct.*] Hi tres martyres ex Tarracone fuerant, Tarraconensis provinciæ civitate Metropoli; sed Fructuosus Episcopus, reliqui duo Levitæ.

Vestris ignibus] Quia ex incendio migrarunt ad dominum.

5 *Arcem Iberam*] Tarraconem, urbem Hispanam.

7 *Ardens*] Ex igni conflagrans.

8 *Eulogius*] Ex igni quoque.

11 *Ad tantum decus*] Sc. ad ignis martyrium.

13 *Præsidis jussu*] Æmiliani, qui reddebat jus.

17 *Carnifex pastus sanguine*] Quia ejus officium est *excarnificare.*

20 *Eundo*] Inter eundum, i. e. dum eunt.

21 *Calore*] Amore.

28 *Specus reorum*] Carcerem.

29 *Mysticum lavacrum*] Quia illic baptizabant venientes.

30 *Et purgamen aquæ*] Quia baptisma pertinet ad animarum purgationem.

Stupent tenebræ] Mirabilibus quæ ibi fiebant.

33 *Ter geminos fratres*] Ego nescio, an fuerint tergemini, i. e. eodem partu nati; sed forte appellat illos tergeminos, i. e. in Christo fratres, per baptisma regenerationis.

Catastæ] Ipsa tormenta, cum ipsi potius illa timere debent.

34 *Imminebat*] Erat tormentorum autor.

38 *Novum commenti genus*] Novam sectam et commenticiam.

39 *Luces*] Arbores alicui Deo consecratas: qui mos gentibus frequens erat: ut etiam in sacris literis sæpe legimus.

40 *Anile dogma*] Vetularum religionem.

41 *Gallieni*] Imperatoris Rom. anno CCLXIV. post Christi natalem.

43 *Hæc fanti*] Æmiliano loquenti.

44 *Principem dierum*] Potius legendum esse, *deorum;* sed nihil muto.

46 *Prosatum*] Progenitum.

47 *Gregis pastor*] Quia Episcopus erat, ut diximus.

48 *Jam fuisti*] Non es nunc, sed fuisti olim.

53 *Libandum poculum*] Quod solet fieri iis, qui trahuntur ad mortis pœnam, quemadmodum et Salvatori nostro est oblatum.

57 *Meum sacrum*] Sc. jejunium; resolvet, i. e. violabit.

60 *Sitim peregit*] Protraxit: quamquam dixisset, sitio.

61 *Rotunda cavea*] Amphitheatrum definit, in quo gladiatores concurrebant, et ferarum venationes repræ-

sentabantur, et multi martyres excarnificati sunt.

64 *Spectacula cruenta*] Sc. gladiatorum.

66 *Voluptas fremit*] Spectatorum faventium alterutri ex gladiatoribus.

67 *Niger*] Fumidus ex fuligine.

69 *Facibus supremis*] Quia constructa pyra sive lignorum strue, tandem faces subdebantur.

70 *Qui dum solvit*] Ex carcere.

72 *Fracto antro*] Corpore, quod est animi carcer, in quo detinetur invitus.

73 *Sodales*] Amici martyrum; unus ex sodalibus illis.

75 *Pronus*] Pedibus advolutis.

77 *Facessite*] Discedite.

Obsequela] Ministerium.

78 *Gravet*] Graviorem et molestiorem faciat.

79 *Resolvam*] Excalciabo.

80 *Vinclis*] Calceis, qui sunt quasi pedum vincula.

88 *Sacram cremationem*] Rubum, qui incensus non cremabatur.

89 *Astare Deo*] Accedere ad Deum.

90 *Vestigia pura*] Calceis nudata. Sic Juvenal. 'Observant ubi festa mero pede sabbata reges.'

91 *Calce mero*] Nudo; ut Juvenalis dixit, 'mero pede.'

92 *Spiritus*] Angelus quispiam.

Et serit loquelam] Aëre verberato profert verba.

95 *Tenui puncto*] Brevi momento.

96 *Rapit vitam*] Non aufert vitam, sed reddit restituitque.

99 *Fugiet*] Quia per hos ignes fugient ignes æternos gehennæ.

101 *Minantur*] Cum e diverso ignes soleant cremandis minari.

103 *Nexus*] Vincula.

106 *Pæna*] Vinculum manuum.

107 *In morem crucis*] Expansas eorum more, qui jussu Nebuchodonosor immissi sunt in fornacem ignis ardentis.

112 *Illis pepercit*] Quia illæsi ex fornace sunt egressi. Hi vero passi sunt pro Christi nomine: atque ex igni consecuti sunt coronam.

116 *Advolaret*] Ut se velocius adureret.

120 *Missos*] Solutos et expeditos.

121 *Satelles*] Unus ex ministris præsidis.

124 *Herili*] Domini sui.

125 *Notam sceleris*] Crimen et infamiam patris, hoc est, ipsos martyres.

126 *Forum*] Amphitheatrum, ubi sunt concremati.

128 *Per sudum*] Per serenum. Virg. 'Per sudum rutilare vident.'

130 *Favillæ*] Cineres.

131 *Perfusa mero*] Nam mortuorum cineres vino consueverunt spargi. Virg. Æn. VI. 'Relliquias vino et bibulas lavere favillas.'

138 *Discretis sepulchris*] In diversis locis distributæ.

143 *Nostræ urbis*] Non quod Tarraco sit patria Prudentii, sed nostram vocat, quia Hispanus.

144 *Eminens cunctis*] Quippe a qua est cognominata, provincia Tarraconensis.

147 *Terrarum Pyrenearum*] Adjacentium montibus Pyreneis.

149 *Anicla*] Per syncopen, pro, anicula; sicut periclum et sæclum, pro periculum et sæculum.

152 *Mixtis modis*] Cantibus modulatis.

153 *Paribus*] In martyrio.

Camenas] Hymnos ut sit metonymia, cum ponimus Deum præsidem pro re, cujus est præses.

154 *In arce*] In urbe.

155 *Murmur litoris*] Resultans ex hymnorum concretu.

156 *Freta feriata*] Maria diem festum agentia. Nam *feriæ* sunt dies festi.

159 *Tegens ab igni*] In die, sc. judicii, protegens te.

162 *Revolvens*] Repetens et memorans.

Endecasyll.] Quia hi versus pha-

lencici sunt undecim syllabarum.

HYMN. VII. 1 *Insignem meriti*] Fuit hic martyr ex Siscia, urbe Pannoniæ superioris, ut scribit Ptolemæus et Strabo l. VII.

Insignem] Ordo est; Mœnia urbis Sisciæ fovent complexu patrio Quirinum, insignem meriti virum.

4 *Sibi concessum*] Ipsi urbi.

7 *Illyricos sinus*] Qui præerat Illyriæ, quæ est contermina Pannoniæ, et est sumtum ex Virg. Æn. I. 'Illyricos penetrare sinus.'

10 *Per exitum*] Per mortem.

15 *Abluit*] Quia in aqua extinctus assecutus est, quod alii martyres sanguinis effusione: ideo subdit, 'nil refert vitreo æquore,' &c.

20 *Fluctu quolibet uvida*] Vel fluminis vel sanguinis.

21 *Summo pontis*] Incipit narrare quo pacto gestum est hoc.

Summo pontis] A summitate pontis ardui.

23 *In præceps*] In præcipitium.

28 *Nec patitur mergi sibi*] Ut in se mergatur.

31 *E solo*] Ex ripa fluminis.

34 *Sinuamina riparum*] Ripas sinuosas et obliquas.

37 *Suo exemplo trepidos*] Timentes, ne ipsi quoque eodem modo traherentur ad mortem.

46 *Fluitantibus vadis*] Currente flumine.

47 *Terga amnis*] Superficies fluminis.

48 *Nec substrata profunditas*] Flumen profundum subjectum.

50 *Dehiscere*] Aperiri et cedere.

57 *Gloria insolita*] Quia non est novum, quod supra æquora ambulaveris, quodque Jordanem converteris retrorsum.

65 *Subjecisse salum solo*] Fecisse mare stabile, in quo posset ingredi quasi in solo.

66 *Jordanem quoque novimus*] De quo lege volumen Josue.

73 *Suspendar*] Suspensus trahar.

75 *Scopulum*] Lapidem collo appensum.

76 *Plenus titulus*] Gloria.

77 *Prodita*] Manifestata.

78 *Quam gentilis stupor habet*] Stupet et miratur.

HYMN. X. Romani Antiocheni Monachi, qui sub Diocletiano passus est, judice Asclepiade, martyrium prosequitur: infra tamen dicit, sub Galerio; sed nimirum persecutio Christianorum, quæ sub Diocletiano cœpit, ad Galerii principatum usque duravit. Cujus favorem ad dicendum implorat, cum ipse abscisa lingua sit locutus.

1 *Adsertor fortis*] Testis, et illius fidei defensor. nam adserere est in libertatem vindicare, et prohibere ne cui libero servitus indicatur.

2 *Fautor*] Mihi favens.

Oris elinguis] Qui loqui nescio tuas laudes.

3 *Comptum*] Ornatum et elegans.

4 *Mira laudum*] Miras laudes, vel miracula, propter quæ laudandus es.

5 *Mutos eloqui scis*] Expertus es, cum tibi fuit abscisa lingua.

6 *Plectrum palat.*] Linguam, qua in loquendo utimur; quasi plectro in musicis instrumentis. Persius: 'Pictæ plectrum linguæ.'

7 *Silentium*] Quia nihilominus abscisa lingua Christum confitebatur; ut in ejus vita ex Eusebio legimus.

9 *Vox testis veritatis*] Unde Martial. de Elinguato: 'Nescis tu, populum, quod tacet ille, loqui.' Et de Cicerone idem: 'Incipient omnes pro Cicerone loqui,' etiamsi illi sit caput avulsum.

11 *Hærens lingua debili*] Juxta illud Psalm. XXI. 'Lingua mea adhæsit faucibus.' et Psalm. XXVI. 'Adhæreat lingua mea faucibus meis.'

12 *Modis absonis*] Versibus absurdis et male sonantibus.

13 *Superno rore*] Divina gratia, mihi a tuo Christo obtenta.

14 *Lacte spiritali*] Non corporeo

qui cibus est corporis.

15 *Vox rauca*] Vertetur in tinnulam et sonoram.

Laxabit] Extendet, quod erat contractum et impeditum.

17 *Ipsum Messiam*] Christum, qui dicitur Hebraice *Messias*.

18 *Nolite providenter quærere verba*] Ne provideatis et præmeditemini quid sit loquendum.

Sacramentum meum] Legem, quam ego primum vobis revelavi.

20 *Ego suggeram*] Subministrabo.

Imparatis] Impræmeditatis.

22 *Sed mea lingua potens facundiæ Christo*] Per Christum; 'mea lingua' casus nominandi est: ut non possit legi *Christus*, ut omnes Codices habent.

23 *Ipse*] Christus explicabit, quos tumultus dæmon moverit in supremo spiritu, i. e. cum martyr moreretur, aut dum ipse dæmon vinceretur a martyre; quia dicit, 'dum domatur:' et quod subdit, 'dæmon,' dico 'pestis pejor in novissimo furore;' quod magis declarat per similitudinem anguis vulnerati.

28 *Quassando*] Hastile labefactando; sed quo magis hastile quassat, eo profundius vulnus sedet.

30 *Nec sentit*] Legendum sic: Et non sentit pericula morsuum, i. e. morsus, alioqui periculosos, esse cassos, i. e. inanes; quia inaniter mordet hastile.

31 *Galerius*] Qui Cæsar creatus, cum Constantio imperium totius orbis partitus est, ita ut Gallias, Italiam, et Aphricam Constantius: Illyricum et Asiam Galerius obtineret.

34 *In omnem mundum*] Qui tunc erat sub ditione Romanorum.

36 *Ille serpens*] Diabolus.

Ore regio] Per os principis.

Dictat] Ut notarii scribant edictum. Edictum autem erat, ut, qui mallet vivere, negaret Christum.

42 *Mandat ire et raptare*] Rapere de Ecclesia et de sacrariis.

44 *Plebem*] Christianam.

51 *Præcurrit index*] Ipse nunciat futuram pestem, et munit animos Christianorum.

61 *Miles*] Milites. Virg. 'Utrumque armato milite complent.'

Ad subsellia] Ad tribunal Asclepiadis.

64 *Opponere jugulos*] Offerre; subaudi, refert.

67 *Fax*] Inflammator et incensor.

70 *Manus in tergum*] Ut vinciretur. Virg. 'Juvenem post terga revinctum.'

71 *Amor coronæ*] Ipse, qui cupiebat subire martyrium.

72 *Artem lictoris*] Facit, quod lictor debuit facere.

73 *Ungulis bisulcis*] Bifidis aut forcipatis, quod genus tormenti crebro in martyribus legitur.

74 *Irrumpit altum limen*] Judicis prætorium ingreditur.

Præconibus] Qui plerique carnifices ipsi sunt.

76 *Ob ora*] Ante faciem judicis.

77 *Infame monstrum*] Ignominiose martyrem alloquitur judex.

Vilis] Parvi precii homo.

Intestabilis] Infamis; quippe qui vel ex hoc facto non habes jus testandi.

78 *Ventilator*] Tranquillitatis urbis et civium commotor, et concitator tumultus.

80 *Legibus*] Subaudi, imperatoriis.

81 *Quiddam populare*] Indoctum et stolidum, et quale populus sapit, et non quale sapientes.

82 *Frequentia illitterata*] Christianum vulgus imperitum.

Credidit] Subaudi, te prædicante.

83 *Autumant*] Dicunt.

84 *Ceu gigantes*] Quia nihil aliud est voluntati Deorum resistere, nisi gigantum more Divis bellum movere.

85 *Victi obruantur*] Sicut gigantes fulminati sunt a Jove, qui fulminibus montes dejecit, per quos volebant in cælum ascendere.

88 *Quos*] Sc. cives.

Profanos] A te profanatos et factos reos sæculi impiati, i. e. religionis falsæ inductæ a te.

89 *Te magistro*] Artifice tantorum malorum.

94 *Quæ mox futura*] Subaudi, sunt in discipulos tuos.

Exitium] Mortem.

97 *Amplector*] Volo et amo.

99 *Si me consulis*] Si mihi credis.

102 *Domum sanctam*] Ecclesiam.

106 *Factus noster*] Christianus.

110 *Uncis vinculisque crescere*] Quod undique distraherentur, et sic membra extenderentur.

112 *Venusta prosapia*] Honesta ex familia et bene de civibus merita; neque licere talem virum ita puniri.

114 *Noxialem stipitem*] Æculeum.

115 *Pœna plebeia*] Qua plebei plectuntur.

116 *Tundatur terga*] Synecdoche per verbum passivum.

117 *Plumbo*] Plumbatis.

Extuberet] Turgescat contusionibus.

118 *Persona quæque*] Cujuscunque conditionis sit.

Plectitur] Plecti debet.

119 *Magnique refert*] Differentia magna est.

120 *Gradu*] Conditione et statu.

Forma] Genus unumquodque reorum datur tormentis, sed diversorum generum.

123 *Erectus*] Ex tormentis quibus erat incurvatus.

Infit] Incipit loqui.

Absit] Non est vera nobilitas, quæ provenit ex parentibus, aut quæ legibus humanis definitur, sed generosa secta Christi nobilitat viros.

127 *Textu stemmatis*] Si seriem avorum recensere velis.

128 *Ab ore patris*] Quando primum hominem creavit inspirando in eum spiraculum vitæ; cui qui non obedit, ille ignobilis: et hæc est vera nobilitatis origo: sed accedit, inquit, huic nobilitati decus insigne, si quis mortem oppetat in testimonium veræ religionis.

132 *Magistratus venit*] Ut tu nunc venisti.

133 *Nominis*] Sc. Christi.

134 *Signent*] Insignem reddant.

135 *Vim dolorum*] Vulnerum copiam.

136 *Perverse benignus*] Male utens benignitate inani, quam nolo erga me exerceas.

138 *Ut sim nobilis*] Vera nobilitate, quæ ex præclare gestis comparatur.

139 *Ampliatus*] Honoratus. Unde amplitudo pro honore.

His successibus] Ad vota venientibus felicitatibus.

142 *Cursim*] Cito; quia annui sint magistratus; imo etsi per vitam durent, breves tamen sunt.

143 *Fasces, secures*] Insignia consulum et prætorum.

Prætextæ] Insignia erant triumphantium.

Sella] Curulis, quæ Ædilium erat; unde Ædiles Curules dicti. Liv. l. III. 'Triumphantes,' inquit, 'toga prætexta et tunica palmata et toga picta et corona triumphali laureaque honoratos fuisse.' Juven. 'Prætexta et trabeæ, fasces, lectica, tribunal.' Erat autem trabea regum ex purpura et albo: augurum ex croco et purpura: Deorum ex purpura tantum, ut notat Servius.

144 *Tribunal*] Unde reddunt judicia a prætoribus maximis.

Lictor] Qui præferebat insignia Consulum, et erant XII. sicut et fasces et secures.

145 *Tumetis*] Superbitis.

Detumescitis] Cum defuncti estis magistratu.

146 *Cum consulatum initis*] Incipitis consulatus officia exercere.

Ut vernæ solent] Quia illud potius servorum officium est, quam liberorum.

147 *Pascitis pullos farre*] Per pul-

larios.

150 *Osse beluæ*] Ebore, ex cujus materia erat sceptrum et Aquila.

Alitis] Aquilæ.

151 *Jam si sub aris*] Ordo est, quid ego existimem esse projectius, i. e. abjectius et vilius, vobis, si jaceatis proni et adorantes ad pedes sigillorum et statuarum sub aris, siti infra quercum sectilem, i. e. statuam factam ex querna materia?

154 *Nudare plantas*] Hoc in sacris Cybeles, matris Deorum, fiebat: et est ordo: Ego scio proceres togatos, i. e. principes Romanos, nudare plantas, i. e. incedere nudis pedibus: In sacris matris Ideæ, i. e. Cybeles, magnæ Deorum matris.

Ante carpentum] Currum, in quo, præcedente pompa, ejus simulacrum per mediam urbem vehitur.

156 *Lapis nigellus*] Statua ex nigro lapide.

Evehendus essedo] Curru per mediam urbem.

157 *Muliebris oris*] Femineæ similitudinis.

Argento] Capsula argentea.

157 *Sedet*] In cathedra, imposita currui.

158 *Ad lavacrum*] Nam statua Cybeles ad Almonem fluvium deferebatur. Lucan. I. 'Et lotam parvam revocant Almone Cybelen.'

161 *Illa pompa*] De qua statim dicturus sum.

162 *Cum curritis Luperci*] Lupercalia exercetis, quæ erant sacra Panos Lycei, et per Lupercos sacerdotes fiebant; unde Lupercalia dicta.

163 *Quem*] Ex vobis non rear vilissimum servulorum, q. d. in eo estis viliores servis.

164 *Nudus*] Nam Luperci mense Februario nudi per urbem discurrebant, ut scribit Ovid. Fast. II.

165 *Pulset puellas*] Hircina pelle. Nam vulgo persuasum erat, si puellæ a Luperco in manu pulsarentur, mox posse fecundas fieri. Ovid. 'Nupta quid expectas? non tu pollentibus herbis, Nec prece, nec magno carmine mater eris: Excipe fecundæ patienter vulnera dextræ, Jam socer optatum nomen habebit avi.' Juven. quoque: 'Nec prodest agili palmas præbere Luperco.'

Verbere ludicro] Pulsatione per ludum.

167 *Summum caput sæculi*] Mundi hujus princeps.

168 *Age præfecte*] O Asclepiades, sub quo judice causam meam oro.

Mysteria vestra] Sacra vana.

170 *Quid sordium*] Sordidos Deos.

172 *Vultuosus*] Vultu mirabundus.

Supinus] Superbus. Juven. 'Et multum referens de Mæcenate supino.'

Rigens] Rigidus, asper, et durus.

175 *Ratione*] Argumentationibus, non viribus a furore procedentibus.

176 *Patris et Christi*] Quem dixit supra suum esse patrem, h. e. creatorem, et a quo est nobilitas.

180 *Stuprorum*] Quia sic multi Deorum secundum vos procreati sunt, ut Bacchus a Jove ex Semele, Hercules ab eodem et ex Alcmena.

181 *Luduntur*] Ut Europa Agenoris, ab Jove, et Ægina ab eodem.

182 *Amasionum*] Deorum amatorum illarum.

183 *Fervent*] Frequentantur. Virg. Æn. I. 'Fervet opus.'

Furta mœchorum] Ut Mars, qui Venerem Vulcani adulteravit, et Jupiter Alcmenam Amphitruonis.

184 *Fallit maritus*] Jupiter, relicta uxore, Nymphas comprimens.

185 *Adulteros*] Propter Martem dicit: Fuit a Vulcano retibus implicitus, ut in Met. III. Ovid.

187 *Cespes fumet*] Nam ex cespitibus fiebant aræ, in quibus erat sacrificandum. Juven. 'Qua festis promissa Deis animalia cespes Expectat.'

188 *Delphos*] Ubi colitur Apollo ad radices montis Parnassi.

189 *Ephebi palestrici*] Hiacinthi pueri, quem in ludo disci per errórem Phœbus occidit; de quo multa Ovid. in Met. x.

190 *Effeminavit*] Stupravit.

Licentia gymnadis] In ludo gymnastico, i. e. in disci ludo, in quo multa licenter talis committuntur.

191 *Impuratus*] Impurus et turpis Deus.

192 *Dicavit*] Consecravit mercede stupri.

Succubam] Concubinum sive cynædum floruleutum, i. e. in florem sui nominis conversum.

193 *Conductus*] Sc. ab Admeto Pheræo rege, cui Phœbus pastoricium famulatum exhibuit. Virg. Georg. III. 'Pastor ab Amphryso.'

194 *Furem passus*] Sc. Mercurium, qui furto abduxit illi boves, de quo Ovid. Met. II.

195 *Perdidit tela*] A Mercurio subdúcta. Horat. 'Viduus pharetra Risit Apollo.'

196 *Lucum pineum Cybeles*] Idam sylvam, sive Dyndima, sive Berecynthum, sive Cybelem, montes Phrygiæ dicit, qui pinis abundant; quæ arbores Cybelæ sacræ sunt. Martialis de nucibus pineis: 'Poma sumus Cybeles; procul hinc discede, viator.'

197 *Puer Gallus*] Atys, qui per furorem seipsum castravit.

Ob libidinem] Quia deprehensus fuit a Cybele in nympha Sagaritide.

198 *Triste vulnus*] Quo sibi abscidit genitalia.

Per dedecus sectum] Per virilia abscisa; quod dedecus est in viris.

200 *Matri*] Subaudi, Deorum.

Per multa sacra] Quia in sacris Deorum plorabatur a Gallis, sacerdotibus illius.

203 *Juliæ minacis*] Sc. legis, quæ punit mœchos; de qua Juvenal. 'Ubi nunc lex Julia?' dormit. et Martialis sæpe.

Minacis] Quæ pœnas minatur.

204 *Victus*] Convictus in judicio.

Luet et Scatiniam] Non solum Juliam, sed et Scatiniam, quæ punit Pathicos et Pædicones. Lex Scatinia dicta est a C. Scatinio, quia ea damnatus est, quod stuprum adolescenti, Marcelli filio, intulerit.

205 *Te cognitore*] Etiam te judice.

206 *Aureorum temporum*] Saturnum, sub quo fuit ætas aurea.

207 *Quem fugacem*] Quia Jovem filium fugit, ab illo pulsus regno.

208 *Latuisse*] In Latio, unde Latium dicta terra latente Deo, ut scribit Ovidius.

210 *Occulendi*] Occultandi illum.

212 *Virtus Martis*] Fortis Mars, quia bellorum Deus.

213 *Lemnius*] Vulcanus, qui colitur in Lemno insula, cujus est rivalis, quia maritus Veneris.

215 *Herculem*] Quia Junonis privignus ex Alcmena pellice natus.

216 *Dices, licenter*] Quod Poëtæ habent hanc fingendi licentiam; ad quod Romanus respondet; quod et ipse judex cum Poëtis id credit, id spectat et comprobat et colit.

219 *Piaclum*] Piaculum, quod committitur in legendo talia.

220 *Plauditur*] Cum plausu auditur et recipitur.

221 *Cygnus*] Fabula, qua fingitur, quod Jupiter in specie cycni adulteravit Ledam, Tyndarei uxorem, atque ita genuit Helenam et Pollucem.

222 *Lydius*] Histrio, qui eam fabulam agit. Ovid. 'Lydius æquatam ter pede pulsat humum.'

223 *Summus Pontifex*] Judex et censor religionis.

224 *Nec diluis negando*] Non purgas et levas, sed potius assentiens videris confiteri.

226 *Sacrate tu*] O maxime sacerdos.

Per cachinnos] In nimios risus.

227 *Maritum Alcmenæ*] Amphytruonem, cum sc. agitur fabula Plauti de hac re.

228 *Meretrix scenica*] Aut ipsa Venus plangens Adonim, aut meretrix Venerem repræsentans.

Vulneratum] Ab apro, ut scribitur x. Metam.

230 *Sanctæ Cypridis*] Veneris, quam tu sanctam dicis: quam tamen sacras in lupanari.

231 *Signis*] Statuis.

Patet veritas] Quia designant crimina Deorum.

233 *Sigillum*] Statua parvæ Aquilæ, quæ fuit administra raptus Ganymedis.

Affixum Jovi] Quod Jovi apponitur.

234 *Armiger velox*] Qui gerit Jovis arma, i. e. fulmina: unde armiger Jovis dicitur.

235 *Leno*] Qui Catamitum Jovi raptum ex Ida silva detulit.

236 *Ceres*] Dum quærit filiam Proserpinam, raptam a Plutone.

Recincta veste] Imo *præcincta*, dum quærit filiam. Nam *recincta* est soluta; ut apud Virg. Æn. IV. 'Unum exuta pedem vinclis, in veste recincta.'

237 *Si nemo Deorum*] Quia ergo aliquis rapuit, ideo quærit; quam mater quærens prætendit facem accensam.

239 *Tyrinthium*] Herculem, a Tyrintho urbe cognominatum.

Rotantem fusos] Cum servivit Iolæ, Euryti regis filiæ, vel potius Omphalidis reginæ.

242 *Fistularum præsides*] Propter Pana dicit fistularum inventorem. Virg. 'Pan primus calamos cera conjungere plures Instituit.'

245 *In algis vilibus*] Habitantes in paludibus, more ranarum.

247 *Quidquam tale*] Quale nunc diximus.

248 *Derisus movet pulmonem*] Ex Juven. 'Perpetuo risu sermonem agitare solebat Democritus.'

251 *Vanitatis mysticæ*] Falsæ religionis.

254 *Deos Latinos*] Puta Romulum, Hersiliam, Floram.

Deos Ægyptios] Quos hic commemorat.

255 *Quis*] Pro, quibus, Roma sacrificat.

256 *Comprecare simiam*] Cercopithecum simiam caudatam. Juven. 'Effigies sacri jubet aurea Cercopitheci.'

257 *Aspis Æsculapii*] Serpens, sub cujus effigie colitur Æsculapius Deus.

258 *Crocodilus, Ibis, canis*] Hæc numina putantur ab Ægyptiis. Juven. 'Crocodilon adorat Pars hæc, illa pavet saturam serpentibus Ibin.' Et ibidem: 'Oppida tota Canem venerantur.'

259 *Porris*] Juven. 'Porrum et cepe nefas violare et frangere morsu.'

260 *Acerbum cepe*] Quia movet lacrimas.

Mordax allium] Quia vim habet mordicandi.

261 *Lares fuliginosi*] Fuligine obscuri; quia illis sacrificatur ex rebus fumum exhalantibus.

262 *Respuuntur*] A quibusdam.

Consecrata] Ab Ægyptiis.

263 *Aut unde major*] Q. d. æque utraque numina sunt contemnenda.

264 *Quam nata in hortis*] Juven. 'O sanctas gentes, quibus hæc nascuntur in hortis Numina.'

266 *Forma sculptilis*] Imago Dei fabrefacta.

267 *Imprecabor*] Quasi tanti mali autoribus.

269 *Myronis et Polycleti*] Statuariorum inter Græcos celebrium.

270 *Vestrum calitum*] Qui a vobis putantur veri.

272 *Rigentem barbam*] Quia ex ære factam: nam quod Horat. dixit, 'Et molles imitabitur ære capillos,' ad artis laudem pertinent; ideo subdit, 'leniter defluentem flectens comam.'

275 *Pectus hydris*] Ad ægida retulit, in qua erat caput Medusæ hydris exasperatum.

277 *Fulmen æris*] Ex ære fabricatum.

278 *Sibilantis Gorgonæ*] Medusæ, quam diximus ægidi Minervæ insitam, habereque hydros.

279 *Triumphos Indicos*] Unde victor rediit.

280 *Thyrso*] Quo furorem incutit, cum volet.

281 *Molle*] Muliebriter; nomen pro adverbio.

284 *Massa fusilis*] Æs fusile.

Liquore crispo] Ære liquido crispos ducens capillos.

285 *Clavam*] Aut *clava*.

286 *Jam quis terror*] Q. d. timent, quod minime est timendum.

287 *Expresserit polite*] A superioribus intelligendum est; ars, sicut superius, circumligat, limat, asperat, interit.

288 *Retortis*] Transversis.

289 *Ora*] Faciem.

Delitantis] Sacrificantis: improprie id quod præcedit, pro eo quod sequi debet: cum sit *litare*, sacrificio impetrare.

290 *Minas*] Videtur minari statua lapidea.

291 *Ipsum Mentorem*] Statuarium nobilissimum atque cælatorem egregium. Juven. 'Raræ sine Mentore mensæ.' Martial. 'Mentoris hæc manus est, an, Polyclete, tua?'

293 *Fabri Deorum*] Causa, cur debeant sacrari.

294 *Institissent segnius*] Non fuissent tam ingeniosi et diligentes, non esset Jupiter ullus, qui coleretur.

297 *Tanta obsonia*] Liba, quæ obtulisti Manibus Diis.

299 *Quos trulla*] Qui conflati sunt ex vasis æneis fractis.

300 *Liquata*] Conflata.

Contulerunt] In unum conflata fuerunt; materia, unde fierent.

301 *Vulgaribus fatuis*] Vulgo imperito.

302 *Lana discolor in stipite*] Præstigias circulatoris alicujus significat ex colorum mutatione.

303 *Falsus circulator*] Qui fallit homines imperitos.

304 *Sanctum est*] Venerandum adorandumque.

305 *Edentularum*] Vetularum, quæ hujusmodi nenias cantitant.

307 *Perpensa*] Examinata.

Recta] Qui habetis rectam vivendi rationem.

308 *Mortalia*] Humana.

309 *Quo jure constent*] Quo homines obtemperare debent Deo vero omniumque rerum creatori, non factitiis Deis.

Quanta majestas] Non Dei fictiles et contemnendi, quales vos colitis.

312 *Non clauditur*] Non comprehenditur.

314 *Visibus nostris*] 'Quia Deum nemo vidit unquam.' Johan. I.

315 *Extra et intus*] Omnem mundi machinam implet: et quod extra est, hoc totum est inane, et adhuc redundat.

316 *Intemporalis*] Quia ejus duratio non mensuratur tempore sed æternitate.

317 *Obtinet esse et fuisse*] Quia in Deo esse et fuisse et futurum esse omnia simul sunt; unde æternitas definitur interminabilis vitæ tota simul et perfecta possessio.

318 *Lux ipse vera*] Pater lux lucem filium genuit; unde in symbolo: 'Deum de Deo, lumen de lumine' confitentes canimus.

319 *Effudit*] Ex se genuit æterna generatione.

320 *Fulgor*] Ad Hebræos cap. I. 'Qui cum sit splendor Patris, et figura substantiæ ejus.'

321 *Vis una*] Eadem est potestas Patris et Filii.

324 *Natura simplex*] Quanquam sit lux ex luce, et splendor ex lumine, non tamen est duplex lux, et duplex natura, sed una tantum.

325 *Una virtus*] Una potestas.

326 *Solum*] Terram.

Vim] Magnitudinem maris.

327 *Globos*] Sphæras, vel potius ipsos stellarum globos, i. e. Solem et Lunam.

Præsides dierum] Ad illud Genes. 'Luminare majus quod præesset diei, et minus quod nocti.'

329 *Septentriones*] Duas Arctos dicit.

Hesperos] Luciferum, qui idem pro diversitate ortus et occasus hesperus est.

331 *Montium convallia*] Convalles inter montes positas.

333 *Subjugales*] Quæ dicuntur *jumenta* a jungendo, hoc est, quibus aramus et vehimus onera.

335 *Vernant*] Florent.

Odori] Gratia odoris.

Esui] Gratia pomorum edendorum.

336 *Labore et arte*] Arte laboriosa.

Molitus] Ædificans.

337 *Jussione*] Verbo.

338 *Mandavit esse*] Ex Psal. 'Ipse dixit, et facta sunt; ipse mandavit, et creata sunt.'

341 *Cognostis ipsum*] Dixi, unde illum cognoscere debeatis.

342 *Ritum colendi*] Quomodo coli debeat.

Quale genus templi] Quod illi extruendum est, ut rite colatur.

343 *Donaria*] Munera et sacrificia.

345 *Nectar*] Vinum, quod offerri debeat.

346 *Ædem vivam*] Templum non manu factum, juxta illud Apostoli: 'Nescitis quia membra vestra templum sunt Spiritus Sancti, qui in vobis est?' Et alibi: 'Vos enim estis templum Dei.'

347 *Serenam*] Non obscuram, sed luce claram rationis.

Sensualem] Quæ habet vires sentiendi et intelligendi.

Flabilem] Spiritualem: quid si legas, *stabilem?*

348 *Incapacem posse solvi*] Quod exponit, non destructilem, juxta illud ad Ephes. II. 'In quo omnis ædificatio constructa crescit in templum Dei sanctum.'

349 *Venustam*] Pulchritudine vera, i. e. honestatis.

Præeminentem] Fastigiatam in cælum more templi manu ædificati.

350 *Illitam*] Depictam variis coloribus.

351 *Sacerdos*] Ille ipse, cujus anima templum Dei est: qui seipsum per jejunia et orationes et innocentiam Deo sacrificium offert.

352 *Virgo fides*] Quia religionis fundamentum est fides, et per eam intrandum est.

353 *Innexa crines*] Coronata.

Vinculis regalibus] Corona regia.

354 *Victimas candidatas*] Quemadmodum boves et oves candidæ solebant offerri; et, quæ sint illæ victimæ, ostendit.

357 *Quietem pacis*] De qua pace Angeli canunt: 'Et in terra pax, hominibus bona voluntas.'

358 *Regulam scientiæ*] Scientiam, per quam actus nostros regamus.

359 *Parcitatem sobriam*] Quæ faciat nos sobrios.

360 *Spem non jacentem*] Sed quæ erigat nos ad cælestia speranda.

Largam manum] Liberalem in mendicos et pauperes.

361 *Amœnus vapor*] Sicut ex hostiis ascendebat fumus ad Deum.

363 *Madentes*] Sparsas.

Aromatum Persicorum] Quia ex Persia et Arabia odores proveniunt nobis.

364 *Sublatus inde*] Sc. ex templo viri boni et justi.

365 *Dulce prosperatum*] Illud sacrificium prospere cumulatum et oblatum.

Delectat Deum] Est Deo acceptum.

366 *Hanc disciplinam*] Quam ego modo proposui.

Infensus] Iratus et prohibens.

367 *Probatum*] Probe et sancte.

368 *Vigorem mentis*] Divina contemplari.

369 *Acumen ignis*] Vim intelligendi igneam, quæ ex cælo traxit originem. Virg. 'Igneus est ollis vigor, et cælestis origo.'

370 *Prudentiæ*] Partis intellectivæ.

371 *Mersa limo*] Terrestribus involuta.

372 *Carnulenta*] Carni et non spiritui subjecta.

373 *Spissus*] Frequens et creber, aut nubilosus et tenebrosus, ut statim subdit.

374 *Amicum terris*] Quod amat terrestria.

Cadaveri] Corpori et rebus corporeis.

375 *Subjecta*] Terrestria et infima, nunquam superna et cælestia.

376 *Furorne summus*] Q. d. furor est maximus.

378 *Terrulenter*] Quasi terrestria, quia divina aliter quæruntur.

381 *Deasciato*] Ascia sive dolabra dolato.

382 *Scripta saxa*] Aras alicui Deo inscriptas, et maxime Cereri sive Bonæ Deæ, quibus porco sacrificabatur.

383 *Aras*] Deos quibus sunt aræ dedicatæ.

385 *Morticinas Deorum*] Qui fuerunt mortales et repete a superioribus, semper furor est, idolothito manducare.

387 *Fortibus et liberis*] Christianis.

389 *Asserentibus*] Confitentibus.

390 *Subjacet*] Vincitur contemniturque.

392 *Subdolam*] Latenter dolosam.

393 *Stomachatus alto felle*] Iratus et tamen iram alte comprimens.

Dum silet longum] Dum longum silentium martyri accommodat.

394 *Bilem*] Cholera, in qua est iræ sedes.

395 *Vomit*] In exclamationem prorumpit.

398 *In medio foro*] Ubi ego præsum.

399 *Et perorat*] Non solum oratione utitur, sed etiam peroratione, in qua moventur affectus, ut persuadeatur auditoribus, quod in oratione dictum est.

400 *Impio*] Sacrilego.

401 *O fas piorum*] Heu pietas et fas, i. e. quod per religionem licet.

O status prisci moris] O prisca fides.

403 *Nostra sæcula*] Homines nostri sæculi carpunt inventa regum Pompiliorum, i. e. Numæ Pompilii, qui religionem in urbem Romanam primus induxit, et aliorum, qui similes Pompilio Numæ fuerunt.

404 *Sophistas*] Qui versutis argumentationibus tollunt religionem nostram.

408 *Ab urbe Roma*] Subandi, condita; non quod semper a consulibus res fuerit administrata; quoniam ex mille annis, qui fuerunt a condita urbe ad tempora Romani Martyris, Roma sub Regibus fuit per ducentos quinquaginta annos.

Nestoras] Heroum tempora, ex quibus nostra religio habuit ortum.

409 *Quicquid novellum*] Hoc novum est, atque, ex consequenti, odium affert secum.

410 *Pyrrham*] Quæ fuit uxor Deucalionis, sub quo fuit diluvium.

411 *Vester Deus*] Dormiebatne, aut quid tunc faciebat?

412 *Puer Mavortius*] Martis filius.

413 *Arcem septicollem*] Romam, quæ septem montes complectitur, Capitolinum, Exquilinum, Aventinum, Viminalem, Palatinum, Cælium majorem, Cælium minorem; unde Romæ sacra Septimontialia fiebant.

414 *Auspicato*] Optimis auspiciis sub Romulo condita, qui duodecim vultures in ejus fundatione vidit.

415 *Jovi Statori*] Qui in pugna conserta cum Sabinis turpem fugam militum Romuli stitit, i. e. stare fecit; unde Juppiter Stator dictus.

417 *Delubra placanda*] Dii qui in delubris coluntur.

418 *Faustus procinctus*] Felix exercitus sive belli expeditio.

Secundet gloriam] Fortunet principis nostri victoriam.

420 *Frenet*] Regat. Virg. 'Gentes frenare superbas.'

422 *Pro principali vita*] Pro principis incolumitate.

423 *Hostem publicum*] Læsæ majestatis reum.

425 *Sprevisse templa*] Religionem violasse et contempsisse jussa principis, qui religionem suam observare præcepit.

428 *Fidele*] Sub Christi fide.

429 *Renascantur lymphis*] Baptizentur.

430 *Paracletum*] Spiritum Sanctum, qui in baptizatos descendit.

431 *Idolorum caliginem*] Contrariam luci, quæ Deus est.

432 *Illud lumen*] Ipsum Deum, quo speramus nos fruituros.

433 *Obtutibus succulentis*] Oculis et visu quæ in humore consistunt.

434 *Fenestras corporales*] Oculos.

436 *Crassum*] Non spirituale, sed carneum.

437 *Res caduca*] Oculus, qui corrumpendus est, non potest videre, nisi quod corrumpendum est, vel immutandum.

438 *Liquor animæ*] Puritas sive claritas.

439 *Natura fervens*] Animus igneus, ut sæpe dictum est.

441 *Hoc lumen*] Sc. divinum.

442 *Fieri meus*] Christianus ordine, cujus ego sum.

445 *Scelus*] Impietatem.

446 *Statis*] Cessatis ab ultione.

447 *Vindices*] Punitrices.

448 *Sulcis*] Sulcando et rumpendo viscera.

449 *Rimamini*] Per rimas excluditis.

452 *Viri pensilis*] In aculeo pendentis.

Hiulco] Ab effectu, quod hiare facit vulnera.

453 *Tractim*] Per tractus, hoc est, trahendo ungulas et restim.

Longa] In longum porrecta.

454 *Obliqua rectis*] Ita ut vulnera ex transverso in vulnera incursent.

455 *Albet*] Quia ossa alba sunt.

456 *Nitendo*] Dum nituntur infligendo vulnera.

460 *Quicquid lancinamur*] In quo laceramur.

Non dolet] Martial. 'Vulnus, quod fieri non dolet, inquit.'

464 *Heu gemenda*] Verba sunt Romani de iis qui concurrebant ad spectaculum, qui potius miserandi erant, quam is qui pendebat.

465 *Nostræ sortis*] Nostrorum tormentorum timent exemplum.

467 *Catasta*] Vinculis sive compedibus.

469 *Particeps noster*] Homo, cujusmodi nos sumus.

470 *Perpetem*] Non hanc brevi duraturam, scilicet corporis, sed animæ.

471 *Non occidit*] Quæ immortalis est.

472 *Dispares casus*] Quod statim declarat, quo modo *dispares*.

476 *Mercis qualitas*] Quæ merx sit preciosior, curandum est.

Quænam] Sc. merx.

477 *Perpetis substantiæ*] Animæ immortalis.

479 *Casura*] Quæ alioqui sunt corrumpenda suapte natura.

480 *Instat*] Sc. mors, quæ fuit consumenda.

481 *Nec distat*] Non refert.

Fidiculæ] Tormenti genus per chordas, sive quod eo fides extorqueatur, sive ab ipsis fidibus dictum.

483 *Armet morbos*] Qui longe magis excruciant aliquando quam tormenta.

485 *Pleuresis*] Pro pleuritis, i. e. dolor lateris.

487 *Atro felle*] Melancholia, quæ *fel atrum* interpretatur.

488 *Ignis obductus*] Febris autem

inflammans ab omni corporis parte.

489 *Papulas*] Cutis exulcerationes cum rubore. Virg. Georg. III. 'Ardentes papulæ atque immundus olentia sudor Membra sequebatur.'

490 *Cauteribus*] Ferramentis chirurgicis, quibus inurunt corpora.

492 *Revelluntur*] Luxantur dislocanturque.

493 *Crepantibus*] Perinde ac si rumpantur.

494 *Ossa dividi*] Rumpi et frangi illorum opinione, quasi podagra et arthresi; hanc vulgus indoctum arteticam vocant, i. e. morbum articularem.

497 *Medentium*] Chirurgorum.

498 *Laniena*] Carnificina.

Hippocratica] Quia Hippocrates vinciri jubet illos qui secandi sunt.

499 *Vivum viscus*] Caro. Virg. Æn. I. 'Et viscera nudant.' Unde visceratio dicta, cum carnes distribuebantur viritim.

500 *Scapella tingit*] Madefacit ferramentum illud, quo scalpitur caro.

Putredo] Pars putrida. Ovid. Met. I. 'Sed immedicabile vulnus Ense rescindendum est, ne pars sincera trahatur.'

501 *Putate*] Perinde est, me a carnificibus laniari, ac si chirurgi deberent inurere et secare partes corporis mei læsas.

502 *Salubriter*] Salutis comparandæ gratia.

503 *Non est*] Esse non debet.

504 *Artus tabidos*] Membra putrida.

505 *Rebus vividis*] Animæ.

506 *Quanta corruptela*] Quia 'caro concupiscit adversus spiritum.' Galat. v.

508 *Sordet*] Pestes animæ notat, quæ ex parte carnis oriuntur.

Sordet] Ad avaritiam referri potest; quoniam *sordes* pro avaritia sæpe legimus. Horat. 'Sepulcrum sine sordibus exstrue.'

Tumescit] Hoc ad superbiam.

Liquitur] Defluit in delicias.

Fætet] Si legas *gaudet*, quatuor animi perturbationes tangit.

510 *Livores*] Invidiam.

511 *Regestum*] Congestum et coadunatum.

Carni] Voluptatibus corporeis.

512 *Illusa vestis*] Picta et auro intertexta.

Bombix] Pro, vestes bombicinæ.

514 *Arvinam fovet*] Pinguitudinem creat carnis; nam illud pingue dicitur *arvina*.

516 *Tantis malis*] Q. d. his morbis carnis.

517 *Fomitem*] Materiam peccandi, i. e. corpus.

518 *Situ*] Squallore et illuvie ac sordibus carnis rescissis.

519 *Libera ab omni dolore*] Quæ afferunt animæ dolorem, hoc est, vitia.

520 *Tyrannus*] Qui non potest sævire, nisi in partes corporis; animam vero non potest cruciare.

522 *Hoc solum*] Corpus.

Omnibus] Quia paulo post omnibus est moriendum.

525 *Tabescit*] In tabem defluit et resolvitur.

527 *Carendum est*] Sc. vita, quam alioqui sumus amissuri.

528 *Occupat*] Præcipit in suam laudem, quod postea necessitate sumus obituri.

529 *Natura*] Mors naturalis.

Non vertit] Pro, vertitur.

In rem gloriæ] Unde laudem assequamur.

530 *Legale damnum*] Pœnam a lege inductam.

Præmiis] I. e. convertamus in voluntatem, unde præmium recipiamus.

531 *Forma*] Species.

533 *Spiritus refusus*] Qui ex cælo habuit originem, eodem refundetur.

535 *Regente Christo*] Sub Christo rege.

536 *Cælum, ceu liber*] Esai. 'Complicabuntur, sicut liber, cæli, et om-

nis militia eorum defluet, sicut defluit folium de vinea.' Et Salvator noster dicit: 'Cælum et terram transituros in aliam formam.'

537 *Globus Solis*] Omnia interitura et in aliam formam mutanda, scriptura sacra sæpe memorat, sed inprimis Solem et Lunam.

541 *Præsens utile*] Quod in præsentiarum utile videtur.

545 *Agnosce, qui sis*] Quia tu non es is, qui digito monstrari potest, sed 'quisque animus suus est,' ut Aristoteles in Ethicis, et Cicero in VI. de Repub. scribunt.

547 *Interserit*] Interloquitur.

549 *In os loquentis*] Ut confundat instrumenta loquendi.

550 *Fidiculas*] Speciem pro genere posuit: nam quid fidiculæ poterant ori nocere?

551 *Locus verbositatis*] Os quo verba effundit.

552 *Scaturientes auras*] Verba ex ore emanantia.

554 *Modum*] Finem. Horatius: 'Est modus in rebus; sunt certi denique fines.'

555 *Verba*] Instrumenta, quibus verba formantur.

557 *Charaxat*] Sculpit et signat.

Scribentibus] Arantibus sive sulcantibus faciem.

558 *Notis*] Literis; ut perstaret in translatione.

559 *Carptim*] Dum carpitur laceraturque usque ad mentum, ipsam barbæ sedem, sive ossa menti.

560 *Vultus*] Pro facie.

562 *Debeo*] Habeo.

563 *Multa ora*] Cum antehac uno tantum ore loqueret.

565 *Meatus unus*] Unum os, per quod jurabat vox una.

567 *Rictibus*] Oris apertionibus.

568 *Undique*] Ab omni parte faciei.

571 *Cognitor*] Judex.

573 *Per Solis ignes*] Lucem et splendorem.

Nostros dies] Ætatem nostram, quam diebus metimur, et quicquid aliud agimus.

574 *Reciprocatis*] Tam in motu diurno, quam in annuo, in se redeundo: ut dicit Virg. 'Atque in se sua per vestigia volvitur annus.'

577 *Devoret*] Consumat.

579 *Spiculis*] Armamentis, quibus dolor infertur.

580 *Fatiscit*] Finditur ceditque.

581 *Stupor*] Qui nihil sentit ex inflictis vulneribus.

582 *Obcalluit*] Calles obduxit.

590 *Haurire*] Accipere.

Diurnum] Lucidum; quia lux et tenebræ non possunt simul esse.

591 *Claram facem*] Lucem claram. i. e. manifestam veritatem.

592 *Sanus videbit*] Qui credit, statim intelliget; juxta illud: 'Nisi credideritis, non intelligetis.'

Lippus] Qui lucem non admittit ex oculorum defectu.

Oclos] Oculos; syncopa nota in hujusmodi nominibus; sæclum pro sæculum, periclum pro periculum.

593 *Insanabilis*] Qui jam habet organa videndi læsa.

596 *Regem perennem*] Hæc sunt verba lucis, quam tenebræ non poterant comprehendere.

597 *Non minorem tempore*] Quia æternaliter illum intra se genuit.

598 *Fons retro*] Principium, quo dies et tempora inceperunt.

600 *Ex patre*] Manans ab illo per æternam generationem.

602 *Immortalitas*] Divinitas.

603 *Caducum*] Hominem mortalem.

604 *Nostrum*] Nos mortales.

605 *Homo est peremtus*] I. e. qua homo erat.

Resurrexit Deus] I. e. qua Deus erat. ut 1 Petri I. et Apostolus Paulus multis in locis scribit, et 'quod Pater suscitavit illum,' et 'quod Deus suscitavit illum a mortuis.'

606 *Membra*] Sc. humana.

607 *Tentat*] Tenet.

611 *Antiquitatem Romuli*] Confutat quod Asclepiades dixerat de antiquitate religionis Romanæ.

Lupam Mavortiam] Martis tutelæ consecratam, quæ Romulum educavit.

612 *Omen vulturum*] Cum auspicia urbis condendæ captans vidit duodecim vultures.

613 *Nil tam recens*] Quam sc. Romuli deificatio.

614 *Fastis*] In fastis, h. e. annalibus, qui fasti dicuntur. unde est Ovidius De Fastis.

615 *Ab augure*] Romulo, qui auguria captavit, cum urbem esset conditurus.

616 *Sexcenta regna*] Puta Assyriorum, Sicyoniorum, Ægyptiorum, quæ omnia fuerunt ante Jovem, patrem Martis, progenitoris Romuli.

618 *Capellam Gnosiam*] Amaltheam, quæ Jovem educavit.

620 *Illa non sunt*] Quia jam perierunt; et hæc, quæ nunc sunt, aliquando peribunt.

623 *Expressa signis et expedita litteris*] Puta, quod Adam fuit ex fructu arboris deceptus, et per arboris crucem restitutus; juxta illud quod Ecclesia canit: 'Et qui in ligno vincebat, in ligno quoque vinceretur.'

Literis] Sacris, quæ hoc multis in locis significarunt; ut, quod 'Moses exaltavit æneum serpentem in deserto.'

625 *Consono ore*] Quia idem prædixerunt, quanquam diversis essent locis et temporibus.

629 *Adumbrata*] Per figuram umbratilem significata. nam figura umbra rei est; quam designat significata. Est autem hæc crux sæpe apud Prophetas; ut, quod 'Dominus regnavit in ligno.'

630 *Combiberunt*] Imbuta fuerunt crucis significatione, quæ quidem nostris temporibus est completa.

631 *Retectis*] Apertis et manifestis, cum antea fuissent tectæ.

632 *Antiquitas comprobata*] I. e. antiquorum Prophetarum dicta ætate nostra experimento vera.

633 *Refulsit coram*] Publice est manifestata.

Ore conspicabili] Verbis non obscuris, ut prius; sed perspicuis. nam quod antea non intelligebatur, nunc perspicue cernimus oculis.

634 *Fluctuaret*] Vacillaret, infirma esset: nisi ea, quæ sunt prædicta, viderentur oculis manifesta.

635 *Comminus*] Prope et ante oculos.

636 *Non perire corpus*] Nisi ad tempus; quia postea resurrecturi sumus, quemadmodum et Christus resurrexerit, primitiæ dormientium; quod Apostolus multis in locis testatur.

641 *Crux illa nostra*] Pro nobis Christus passus est.

642 *Nobis*] Causa nostra.

643 *Nobis reversus*] Resurgens, ut et in die judicii nos resurgamus.

Qui moriens homo] Qua parte moritur, est homo: nam qua Deus est, immortalis permanet.

644 *Natura duplex*] Sc. Deus et homo; sed moritur, qua est homo; domat mortem, qua est Deus, juxta illud Prophetæ: 'Ero mors tua, o mors; morsus tuus, inferne.'

645 *Redit*] Resurgit, juxta illud quod perire nesciat; id est, in immortalitatem.

646 *Dixisse pauca*] Colligit superiora, ut transitum faciat ad sequentia.

De mysticis] De mysteriis quæ supra retulit.

647 *De processu spei*] Spes nostra quo tendat.

648 *Margaritas spargere*] Juxta illud Salvatoris Matth. cap. VII. 'Sanctum non est canibus dandum, neque porcis margaritæ.'

651 *Profunda ratione*] Quia non es capax sententiarum, quæ sunt profundiores.

652 *Consulamus proxima*] Non altiora, sed quæ sunt nobis propinqua.

653 *Interrogetur*] Adducatur puer simplex, et qui neque artem syllogizandi neque artem orandi noverit: sed in puris naturalibus, ut ita dicam, sit positus, et hic sit judex inter nos.

654 *Sententia simplex*] Non fucata aut arte aliqua imbuta.

655 *Fuci imperitus*] Fucum appellat, i. e. faciei medicamentum, quo utuntur mulieres, dialecticam, rhetoricam et physicam.

656 *Septuennem*] Septem annorum.

657 *Favoris liber*] Qui neutræ patri faveat: id est, sit vacuus amore, odio, invidia, quæ solent adimere homini verum judicium.

659 *Periclitemur*] Periculum, h. e. experientiam faciamus.

660 *Novus vigor*] Ille puer nulla arte imbutus, sed rerum omnium rudis.

661 *Ille*] Sc. præfectus.

Hanc vocem] Sc. ut rudis puer esset judex.

Libens] Pro libenter; ut *recens*, pro recenter.

663 *Lacte depulsum*] Ablactatum. Virg. Ecl. 'Depulsis arbutus hedis.'

665 *Pusio*] Hic puerulus.

Quod probarit] Utrius nostrum sententiam approbarit.

666 *Ardens*] Cupiens.

667 *Lactantis oris*] Pueri lactantis.

668 *Quid videtur esse verum*] Utrum verius et congruentius.

672 *Est quicquid illud*] Ordo est, quicquid illud est, quod est unicum uni ex Platonis sententia; quod Deus unum Deum genuit, et quod dicunt Poëtæ, Jovem ex concussione capitis Minervam genuisse; sed unum Pater generavit intra se, qui et ipse Deus est.

675 *Nec pueri*] Juven. 'Nec pueri credunt, nisi qui nondum ære lavantur.'

676 *Sub pudore*] Præ nimio pudore.

Fluctuans] Nescius quid faceret.

678 *Legis*] Cujus ipse præfectus erat exsecutor.

680 *Autor hujus*] Quis te docuit ista.

681 *Mater*] Subaudi, est autor.

Et Deus matri] Etiam est autor.

682 *Imbibit*] Hausit et accepit; subaudi, illud.

683 *Quo pasceret*] Nutriret me.

684 *Fontibus gemellis*] Uberibus lacte manantibus: qui sunt pares et æquales.

685 *Hausi credere*] Accepi ut crederem.

688 *Magistra impia*] Aut in filium, docens unde periret; aut in Deos, male de illis sentiens.

Tristem exitum] Filii tristem mortem aspiciat.

689 *Male eruditi*] In malum et perniciem illius docti.

690 *Quem corrupit*] Malis artibus erudiendo.

691 *Adsit*] Hæc est vera lectio, non *absit*.

692 *Fatiget nostros ministros*] Delassando illos, filius dum torquebitur infans. Nam quæ filius patietur, acrius sentiet mater, quam idem ipse filius: unde subdit, 'Quantulus dolor,' q. d. minimus dolor vexabit artus infantis, quia brevi morietur; ipsa autem mater vivet in luctu, filio orbata. hinc illud Quintiliani, 'Torquebis filium, et fatebitur mater.'

694 *Parentis*] Spectantis tormenta filii.

695 *Ungula*] Ferramenta quibus dilaniabantur martyrum corpora. unde Hymnograph. 'Cessit his lacerans fortiter ungula, Nec carpsit penetralia.'

697 *Sublime*] Sublimiter, i. e. in altum.

Pulsent nates] Quo modo infantes verberantur; quod jubet fieri, ut paulatim crescant tormenta cum doloribus.

700 *Plus lactis*] Ex Juvenale de hedo: 'qui plus lactis habet, quam sanguinis.'

701 *Quæ cautes*] Quis homo saxeus et durus crudelisque.

702 *Quis rigor æris et ferri*] Æreus et ferreus.

703 *Salix impacta*] Virgæ sanguine humidæ.

705 *Quem plaga flerat*] Quem sanguinem virgæ expresserant; eo modo, quo lacrimæ ex oculis eliciuntur; sed forte aliud verbum loco *flerat* reponendum est.

Livoribus roscidis] Manantibus in modum roris, virgarum ictibus facientibus livores.

706 *Genas minaces*] Oculos quæ genis teguntur. Sed quomodo *minaces*, si illacrimabantur? Nimirum quia duplici laborabant affectu, crudelitate sc. et commiseratione: unde subdit, 'per ora frementia barbarorum:' nam et fremebant et flebant.

709 *Coronam plebium*] Plebeiorum, qui stabant in circuitu spectantes.

710 *Non stetisse*] Subaudi, ferunt, ex superioribus.

712 *Frons renidet*] Læta et serena. Lucretius: 'Nec domus argento fulgens auroque renidens.'

713 *Pietas contumax*] Matris perseverantia; nam contumacia in malam accipitur partem.

715 *Sensum indulgentiæ*] Quia, ut ait Quintilianus, 'indulgentia est mollis liberorum educatio.' Sed hac mater cohibebat tenerum illum amorem, et obfirmabat se ad patientiam.

717 *Ardor animæ æstuantis*] Quia tristitia et dolor exsiccant ossa; itaque in tormentis positi sitiunt. neque hoc affectu Salvator noster caruit, dicens in cruce, Johan. cap. XIX. 'Sitio.' quanquam illud sitio aliud significabat.

719 *Torva mater*] Irata in filium, quod videbatur cedere atque vinci tormentis.

Eminus] A longe, sicut supra: cominus, prope.

723 *Hanc stirpem*] Talem filium mihi futurum, ut vinceretur.

725 *Leto*] Mortis timore.

726 *Postulas*] Interrogative legendum.

727 *Fons vivus*] Ex Johan. cap. IV. 'Aqua, quam ego dabo, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.' et Psal. XXV. 'Apud te est fons vitæ.'

731 *Fluentum*] Flumen. Virg. 'Xanthique fluenta Deserit.'

736 *Hic hic*] Exemplis ad animi robur puerum hortatur mater, et primo sanctorum Innocentium.

Calix bibendus] Alludit ad illud ex Evang. Matth. cap. XX. 'Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum.'

737 *Parvuli*] Et per appositionem 'ætas oblita lactis,' &c. Et est ordo: ætas refecta poculis amaris sanguinis: mox deinde refecta poculis dulcibus sumsit.

742 *Matris et potentia*] Sic Virg. Æn. I. ad Cupidinem filium loquitur: 'Nate, meæ vires, mea magna potentia, solus.' Simile est illud Genes. cap. XLVIII. 'Ruben primogenitus meus, tu fortitudo mea.'

743 *Pater*] Deus omnipotens, juxta illud: 'Cani hominis, sapientia illius.'

745 *Vagitibus*] Infantibus: ut de Innocentibus dixit.

746 *Scis sæpe*] Alterum exemplum adducit de Isaac immolando, ex Genes. cap. XXII.

Docenti] Mihi.

Adluderes] Quasi per ludum verba mea redderes. Virg. VII. Æn. 'Nec plura alludens.' quod Servius exponit, ad responsum verba componit. unde subdit, 'Et garrulorum signa verborum dares.' nam pueri non exacte proferunt, quæ audiunt a docente.

750 *Sacranti*] Sacrificare volenti Abraham Patri seni.

751 *Narravi*] Tertium affert exemplum de septem Machabeis, ex secundo Machabeorum volumine, cap. VII. ubi latissime ponitur historia.

754 *In ancipiti exitu*] Quia forte illi

defecissent, si mater illos non fuisset exhortata.

755 *Nec parcerent sanguini*] Imo sanguinem effunderent.

756 *Funerum suorum*] Aut funerum, quæ sui filii sustinebant; aut quod illorum mortes erant sua mors.

758 *Stridula*] Stridens; cum in ea frigitur aliquid; et hoc mortis genere obiit ex Machabeis primus.

760 *Laminarum impressio*] Lamina candens capiti impressa; sed hoc non legitur in Machabeorum libro; sed quod sequitur, videlicet quod secundo ex Machabeis tortor detraxit capitis cutem, relicto cranio este nudo; et est ordo; tortor revulsit cutem verticis a fronte.

762 *Nuda testa*] Tegmine nudata usque ad cervicem, ita ut dehonestaret, i. e. deformaret caput, tegmine detracto.

765 *Regio diademate*] Corona, quæ regum est insigne.

766 *Linguam tyrannus*] Hoc Antiochus jussit fieri ex Machabeis tertio.

768 *Pars optima*] Lingua, cujus laudes ex officio prosequitur.

771 *Interpres animi*] Nam ut Horatius in Poëtica Arte scribit: 'Post effert animi motus interprete lingua.'

772 *Cordis ministra*] Eorum, quæ corde concipiuntur.

Præco] Quasi *præco* sit nomen commune duorum generum, dixit *lingua præco*.

774 *Redemtrix*] Animæ.

775 *Dicatam*] Deo consecratam.

Ducem] Præviam et omnium primam.

776 *Machabæos*] Sic Græce appellarunt, quos vocant Hebrei *Asmonæim*. Interpretatur autem Machabeus pugnator. nam 'mache' est pugna, et 'machomæ' pugno.

777 *Septies*] Nam toties de Antiocho triumphavit mater illa cum filiis victoribus.

779 *Feracem*] Fertilem et fecundam.

781 *Per hujus alvi*] Adjuratio est.

Conceptacula] Uterum, sive loculos ubi concipiuntur infantes.

782 *Larem hospitalem*] Uterum, in quo diversatus es per menses decem sc. inchoatos; de quibus autores sæpe faciunt mentionem. Virgil. 'Matri longa decem tulerunt fastidia menses.'

783 *Si dulce nectar*] Lac. Virg. Æneid. IV. 'Si bene quid de te merui, fuit aut tibi quicquam Dulce meum.'

784 *Molle gremium*] In quo te sæpe sustinui.

Grata si crepundia] Amuleta et ludicra, quæ solent infantibus appendi; nonnunquam incunabula et panni quibus involvuntur: dicuntur autem crepundia a crepitu, unde etiam crepitacula; de quibus Martialis in disticho, cujus lemma est, crepitaculum: 'Si tibi plorator de collo vernula pendent, Hæc quatiant tenerum garrula sistra manu.'

785 *Persiste*] Esto constans et perseverans.

Adsere] Adsertor esto et profitere.

Autorem horum munerum] Tantorum beneficiorum, quanta nobis contulit, scil. animum, corpus, vitam: unde subdit, 'Quanam arte.' ordo et sensus est: ego nescio quanam arte, i. e. quomodo, cæperis vivere nobis intus, i. e. cum te gestarem intra viscera, quomodo ex inanimi intus sis animatus.

787 *Nihilumque illud*] Non nihilum; quia est aliquid semen virile et menstruum muliebre, unde est hominis corpus; nam anima a Deo infunditur.

788 *Animator*] Deus scit, ego nescio. Si igitur, quod vivis, quod spiras, hoc totum Dei est; impendere ipsi.

789 *Impendere*] Subaudi, decet; ut Virg. Æn. I. 'Mene incepto desistere victam?'

Cujus munere] Beneficio.

Ortus es] Vivis.

790 *Quod*] Vitam.

Refuderis] Reddideris.

792 *Strepentes*] Sonantes, cum cædebatur puer.

793 *Cognitor*] Judex, qui de causa cognoscebat.

796 *Per recentes vias cicatricum*] Per cicatrices adhuc recentes.

797 *Exarabant*] Ungulæ sulcos excarnificando ducebant.

Ferrum acutum] Ungulas.

798 *Recrudescentibus*] Recentatis et renovatis.

799 *Notas apertas*] Vulnerum signa, quæ adhuc non coierant.

800 *Quos*] Tortores.

804 *Vix cohæret*] Sc. corpusculum. Virg. in Ecl. 'Vix ossibus hærent.'

805 *Inertium*] Languentium et debilium ad infligenda verbera et plagas.

806 *Citius*] Subaudi, quam vos corpus hoc meum laceratis.

809 *Languetis imbelli fame*] Cupitis excarnificare, et desunt vobis vires.

Et fatiscitis] Deficitis et fessi estis. unde defessus a defatiscor deducitur participium, Prisciano autore.

810 *Gula ferina*] Qualis est ferarum.

Secors edacitas] Ignava rabies edendi.

813 *Morarum pœnitet*] Vis cito perire.

815 *Fies favilla*] Cremaberis et redigeris in cinerem.

816 *Abiens a foro*] Ubi judicatus est ad ignem.

817 *Respectans pone*] Retro; sed retro superfluit, quia respecto, per se significat retro aspicio.

818 *Appello*] Provoco: nam illud proprie est provocare, quod recentiores appellare dicunt.

820 *Esse nil*] Frustra.

822 *Complices*] Simul socii et sectatores.

823 *Vix hominis*] Quia infans homo est, sed imperfectus.

826 *Locum cædis*] In quo infans jugulari et Romanus cremari debebat.

828 *Primitivum fetum*] Infantem mater ferebat jugulandum, eo modo, quo Abel obtulit Deo de primogenitis gregis sui. Genesis cap. IV.

830 *Puriorem cæteris*] Ait namque scriptura: 'Abel obtulit de primogenitis gregis sui et de adipibus eorum.'

832 *Immorata*] Imo statum dedit non flens, sed læta.

835 *Patrone ex filio*] Quia cum sis mihi filius, illic eris mihi patronus. et est casus vocativi Patrone, et est jungendum dulcissime Patrone.

838 *Carminis Davidici*] Qui est in ordine CXV. Psalm. 'Preciosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus.'

839 *Mors sancti*] Hujus filii mei.

840 *Tuus ille servus*] Ex Psal. CXXII. 'Sicut oculi servorum in manibus dominorum suorum: sicut oculi ancillæ in manibus dominæ suæ: ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum.'

841 *Retexens*] Canens. sic Hymnograph. 'Quæ vox, quæ poterit lingua retexere.' alias retexere, est, quod textum est, non textum facere.

Explicabat pallium] Quo exciperet sanguinem pueri.

842 *Tendebat manus*] Cum explicato pallio.

844 *Globum*] Sanguinis undam conglobatam.

847 *Ustor*] Qui struebat pyram.

Pinu arida] Quo facilius ignem comprehenderet.

848 *Fœni struem*] Cumulum fomitis.

850 *Quo pastu*] Quo fomite.

Ferocius] Fortius.

851 *Et jam*] Ordo est: Etiam Romanus actus, i. e. impulsus.

Furca brachiis retortis] Habens brachia retorta ingerebatur.

856 *Fragor nubis*] Tonitrus. nam fragor proprie de rebus dicitur fractis: sed quia dicit 'ruentis,' potest intelligi de fulmine; sed non significat, nisi imbrem de cælo cadentem.

858 *Obruit*] Extinguit.

859 *Alunt*] Sc. tortores.

860 *Fomitem*] Materiam ignis combustibilem.

861 *Trepidare*] Pro, trepidabat.

Novis rebus] Miraculis.

862 *Insistere*] Insistebat.

863 *Versare*] Versabat.

864 *Confovere*] Confovebat, et proprie; nam *fovere* de foco proprie dicitur.

865 *Semen ignis*] Scintillas.

Quærere] Pro, quærebat.

868 *Magus*] Nam magicæ imputat hæc miracula, non divinæ potentiæ.

869 *Carmine Thessalorum*] Ubi artes magicæ vigebant; ut est apud Lucianum et Apuleium. Lucanus de Necromantica Phormonoë dixit: 'Thessalis incubuit membris.'

870 *Vertere in ludibrium*] Dum punitur, eludere nos.

871 *Fortasse cervix*] Per ironiam hoc dicitur.

872 *Flecti*] Pro, cædi.

874 *Coibit plaga*] Consolidabitur in cicatricem.

875 *Vertex*] Caput; pars pro toto.

Eminebit] Extabit.

876 *Quampiam*] Aliam.

878 *Simpla*] Simplici et unica.

Multiplex criminosus] Multipliciter nocens.

880 *Tot modis*] Q. d. tot mortibus.

882 *Imminutis corporis damnis*] Lege *imminutus*, i. e. truncatus damnis corporis.

884 *Erit præsto*] Præsens; q. d. non aderit.

885 *Hydrina vulnera*] Quæ hydræ intulit. Nam tandem compressis faucibus Hydram exsiccavit et quasi ustulavit.

887 *Confinia*] Juncturas.

888 *Disparare*] Luxare, convellere et distrahere.

Vincula nexa nervis] Ossa nervis colligata.

889 *Hunc*] Sc. Romanum.

Ossibus revulsis] Luxatis. nam qui scit dedolare et restituere ossa luxata, poterit facilius illa dissipare.

890 *Nodis*] Colligationibus; quod faciunt luxatorum medici et chirurgi.

894 *Vetus fas*] Antiquam religionem. nam *fas* dicta est, quæ prius dicebatur *themis*.

898 *Retectam*] Apertam. Virg. 'Radiisque retexerit orbem.'

899 *Palatum tractat*] Explorans, quomodo possit totam linguam abscindere.

Exitum vocis] Epiglottida, qua vox ex arteria erumpit.

902 *Scalpellum*] Ferramentum illud, quo vena pertunditur in sanguinis diminutione. Scalprum quoque reperitur, pro novacula. Marcianus 'scalpro,' dicebat, 'circuncidi vitia infantibus posse.'

903 *Fila singula*] Ex quibus compacta est lingua.

906 *Patente rictu*] Ex ore aperto.

908 *Ruffo stemmate*] Corona, quam ex ruffo sanguine est consecutus. Stemma namque a stephanoo, quod est corono, deducitur.

910 *Ostro vestis regiæ*] Nam *ostrum*, h. e. purpura, vestibus tantum accommodabatur principium, q. d. tam honorificus erit hic sanguis in veste Romani, quam purpura in vestibus Regum.

913 *Obblateraret*] Blateraret. 'Blaterare,' inquit Festus, 'est stulte et percupide loqui.' Nonius quoque multa de hoc verbo.

915 *Multo turbine*] Magno impetu et vehementia, qua obruebatur antea.

918 *Abdomina suilla*] Porcina. Et est abdomen pingue illud, quod intestinis obducitur.

920 *Insufflat*] Cum non loqueretur in contemtum, insufflavit illos.

922 *Nunquid*] Aliquid.

931 *Intimo pulmone*] Unde est vocis origo interior.

932 *Torta*] Repercussa.

Sub testudine oris] Sub cælo, i. e. oris concavitate.

933 *Ex palato repercusso*] Ex testu-

dine oris.

924 *De pectine dentium*] Nam vox articulata complures literas format inter linguam et dentes, ut t, d, th, f, u, consonans.

Pectine dentium] De dentibus, vel a dentibus pectinatim coëuntibus.

935 *Lingua plectrum mobile*] Quia lingua est quasi plectrum, quod ferit certa loca, ad formandum verba. Et puto pro *nunc*, utrobique legendum esse *nec:* ut sit sensus: qui Deus fecit in me, ut vox expressa ex intimo pulmone, repercussa ad cœlum, nec det sonos ex palato repercusso, nec temperetur de pectine dentium, neque sit.

His agendis] Formandis: quod duobus exemplis probat, se eo modo loqui, quo, si Deus vellet, loqueretur fistula, vel cymbalum, et quæ habent sonos, et non voces articulatas.

938 *In ipsis meatibus*] Fistulis, quasi arteriis.

940 *Labra pressa*] Ut in prolatione, b, p, ph, in litteris nunc hiantia, ut in aliis litteris, q. d. ita possent loqui cymbala et fistulæ, perinde ac si haberent instrumenta quibus formantur litteræ et voces articulatæ.

941 *Verti*] Mutari ab illo.

942 *Cui*] A quo.

Forma] Oris figura.

944 *Leges texere et retexere*] Ponere ac tollere. Sic Virg. Æn. VI. 'Leges fixit atque refixit.'

945 *Postulet*] Desideret; quia potest facere, ut sine lingua quis loquatur.

947 *Pressit pede*] Quo pacto absente Salvatore discipuli obruebantur undis, ad quos per fluctus venit; ex Matth. cap. XIV.

948 *Fluxa et tenuis*] Qualis est aquæ.

Coit] Condensatur, ut sustinere possit, ne cedat ponderi.

949 *Dispar*] Contraria.

Quis] Pro quibus, puta, 'quod sit natabilis; nunc autem sub Christo sustinet vestigia.'

951 *Hoc munus*] Officium, quod facit miracula, ut hoc, quod dixit, et quæ sequuntur.

953 *Percitum*] Velocem: alias percitus est commotus.

954 *Audientiam*] Actum audiendi.

960 *Cede miraculis*] Vincere, et dato locum.

963 *Vertere*] Pro vertebat: 'in caliginem,' i. e. ignorantiam veri, quia 'Impedit ira animum, ne possit cernere verum.'

964 *Hærens*] Dubitans. Juvenal. 'Hæremus, dicat ipsa.'

965 *Formido et indignatio*] Affectus contrarii in eodem homine.

966 *Vim*] Violentiam et impetum.

967 *Quo*] In quem sæviat; cum non possit in Romanum.

969 *Citari*] In jus vocari.

Nundinatum] Ad diem certum vocatum. Nam nundinari est in urbem litis causa ad certum diem venire, aliquando etiam aliis de rebus.

970 *Pactus*] Cum Romano precium faciens.

Colluderet] Collusionem faceret.

971 *Irritum*] Vanum, nihilque efficiens.

972 *Retunsis*] Obtusis et hebetibus.

974 *Sauciata parte*] Et non tota lingua.

975 *Usquequaque*] Omni ex parte; alias semper, alias ubique significat.

976 *Manere*] Subaudi, judex dicebat non posse, et non posse iterum verba exprimi in oris concavitate sine lingua, quæ moderatur verba.

979 *Esto*] Concedamus, quod erumpat vox aut spiritus, non tamen articulatus.

Vacuo specu] Ex ore vacuo et thorace.

980 *Echo*] Per repercussionem; unde generatur *echo*.

Oratio] Quæ constat vocibus articulatis.

981 *Veris*] Veritate et experimento.

Calumniam] Falsam criminationem.

984 *Haustus patentes*] Partes, per quas haurimus cibum potumque.

985 *Regat spiramina*] Formet voces in verba; quod est linguæ officium.

986 *Puncto levi*] Punctura modica.

988 *Plectro*] Lingua. Cic. de N. D. II. 'plectri similem linguam nostram solent dicere.'

Fatus] Loquela, a faris vel fare.

989 *In vitium cadit*] I. e. viciatur et læditur.

991 *Fiat periclum*] Experimentum. Terent. 'Fac periculum in literis, fac in Palæstra.'

992 *Eruta*] Evulsa.

994 *Fragosa*] Horrida et aspera; sed si elinguis fiat, nullam habebit omnino.

Inconditus] Inarticulatus.

995 *Nil stridulum*] Non modo non emittet vocem, sed neque stridorem quidem.

996 *Salutem principis*] Sic jurare consueverunt subditi, per vitam et per genium principis.

999 *Suggillet verba*] Forte *suggerat*, i. e. subministret quia *suggillare* aliud est.

1002 *Latronem*] Persecutorem et carnificem.

1007 *Non bubulus*] A bove profusus.

1008 *Agnoscis illum*] Sc. bubulum sanguinem, et quod non est hic bubulus, sed meus.

1009 *Pagane*] Non initiate ad Christianorum sacra, sed *profane*. et est translatio sumta ex eo, quod omnis homo aut miles est aut paganus.

Vestri bovis] Quem vos sacrificare consuevistis.

1010 *Litata cæde*] In sacrificio, effuso bovis sanguine.

1011 *Scrobe acta sub terram*] Videtur significare Terentina sacra, quæ fiebant Romæ in campo Martio, in loco qui dicebatur Terentos; in quo erat ara Diti patri sacra, pedibus viginti sub terram defossa; sacrificabatur autem bos nigra.

1013 *Infulatus*] Infula indutum habens caput, quod erat sacerdotum insigne, ut nunc est Episcoporum mitra.

Tempora] Ipse festus et quasi die festo ornatus.

1014 *Repexus*] Aut nimium pexus, ut Persius: 'Pexus togaque recenti:' aut quod sacerdoti caput repecteretur, ut turbarentur capilli. Ovid. de A. A. III. 'Illa repexa modo est.'

1015 *Cinctu Gabino*] Præcinctus et expeditus. Virg. Æn. VII. 'Quirinali lituo cinctuque Gabino.'

Fultus togam] Habens togam sericam.

1016 *Superne*] A parte superiori scrobis.

Pulpite strata] Stragulis operta.

1017 *Rimosa*] Ut per rimas defluat sanguis in scrobem.

Rari pægmatis] Pulpiti in modum pægmatis suggesti. rarum autem dixit, pro, rimosum. Est autem pægma machina ex tabulis compacta, quæ rotis imposita poterat deferri per urbem. Juven. 'Et pægma et pueros inde ad Velaria raptos.'

1018 *Aream*] Pulpiti illius planiciem, quam dixit rimosam.

1020 *Minutis hiatibus*] Foraminibus, per quæ defluat sanguis.

1021 *Huc taurus*] Sacrificandus, scil. qui ad aram ferebatur ornatus linteo candido, et cornibus auratis, et sertis ex floribus.

1025 *Fulgor brattealis*] Ex bracteis auri, quibus est inauratus.

1027 *Venabulo*] Vel cultro, vel alio ferramento; cum venabulum sit venationi aptum.

1029 *Texta*] Tabulata, tabulis contexta, in modum pontis sublicii.

1030 *Flumen vaporum*] Sanguinis evaporantis.

1032 *Tabidum rorem*] Sanguinem jam corruptum; quia extra venas in modum roris sparsum.

1033 *Defossus*] Sc. in scrobe, quam dixit.

1035 *Putrefactus*] Maculatus et tabidus.

1036 *Quinos supinat*] Organa omnium quinque sensuum erigit, ut sanguinem excipiat.

Genas] Oculorum palpebras, aut malas.

1041 *Cadaver*] Bovis.

Egesto] Exhausto.

1042 *Ab illa compage*] I. e. scrobe, cui superimpositum erat pulpitum ex tabulis compactum.

1045 *Ebrios*] Sanguine madefactos.

1047 *Recentis piaculi*] Sacrificii facti in piaculum, i. e. purgationem animarum.

1048 *Eminus*] A longe; non audentes accedere propter venerationem sacerdotis.

1050 *Laverint*] Expiaverint.

1051 *Hecatomben*] Centum boum hostiam; de qua sæpe Homerus et Juvenalis, 'qui promittat Hecatomben:' unde subdit, 'centena ferro.'

1054 *Augures*] Ipsi sacrificuli.

1056 *Macellum pulvinarium*] Sacrificia templorum redundantia cruore quasi in macello. Pulvinaria autem sternebantur in honorem Deorum. Cic. IV. Tusc. 'Deorum,' inquit, 'pulvinaribus et epulis magistratuum.'

1059 *Vosmetipsi*] De sacerdotibus Bellonæ dicit, qui non alieno, sed sanguine suo Deæ sacrificabant, et utraque manu gladiis strictis armati per urbem efferebantur, et ita vaticinabantur fanatici, i. e. furibundi.

1062 *Matrem Deam*] Lege *Deum* pro Deorum, i. e. Cybelen, ex Apuleii sententia, qui tres Deas, Bellonam, Cybelen, Isidem, idem numen esse putat. Et Juvenalis eosdem sacerdotes illis attribuit, cum dicit: 'Bellonæ matrisque Deum chorus intrat.'

1063 *Rotari*] Caput.

1064 *Parta*] Parata.

1065 *Cœlum*] Divinitatem.

1066 *Hic*] Gallus, sacerdos Matris Deorum.

Metenda] Secanda. Horat. Sat. I. 'Caudamque salacem Demeteret ferro.'

1067 *Numen*] Deam Cybelen. Nam putabant, id esse sacrificii quoddam genus. Juvenal. 'Mollia qui Samia secuit genitalia testa.'

1068 *Semivir*] Quoniam genitalia amisit.

Donum pudendum] Mentulam virilem.

1069 *Vena masculini germinis*] Genitale virile, quod venis constat. Horat. 'Nam simul ac venas inflavit tetra libido.'

1071 *Sanctitati*] Deæ sanctæ. Nam Gallus neque vir est, neque femina: unde et semivir appellatur.

1074 *Imberbes*] Aut quia castratis decidunt barbæ: unde Juvenalis, 'Et desperatio barbæ:' aut quia ephebi ad hoc munus eligebantur.

1075 *Levibus*] Acutis et politis.

1076 *Sacrandus*] Sacerdos ille Gallus.

Sphragitidas] Medicamenta ex terra sphragitide, i. e. sigillata, quæ valet ad cicatricanda vulnera. Celsus lib. VI. 'Pastillus ad glutinandum vulnus sphragis nuncupatur.' nam sphragizo est sigillo sive concludo.

1078 *Membra*] Genitalia abscisa.

Igniverint] Acus illæ fuerint ignitæ; sed usitatius est igneo vel ignesco.

1080 *Stigmarit*] Pro stigmatizaverit, i. e. stigmate notaverit.

1084 *Obducit cutem*] Operit partem illam cauterio notatam.

1090 *Tormenta inuri*] Per inustionem infligi.

1096 *Finis*] Mors, quæ est malorum finis.

1098 *Jam non licebit*] Sc. post mortem.

1100 *Cedas*] Vincaris.

Et desinas] Sc. torquere.

1101 *Sector*] Carnifex, qui secat membra.

1102 *Sed peremtoris*] Ordo est: sed manus peremtoris, strangulatrix fau-

eium, succedet illis, scil. faucibus, quia vox inquieta oris garruli aliter nescit silere, quam si fregero tubam, i. e. interclusero vocis meatus per strangulationem.

1107 *Carceris nexialis*] Quo noxii sunt clausi.

1009 *Lictor*] Sic appellatur Consulis aut prætoris minister.

1110 *Vinculis*] Corporis, in quibus violenter detinetur ex Platonis sententia, ad quod alludit Apostolus cum dicit: 'Cupio dissolvi, et esse cum Christo:' et alibi, 'Miser ego, quis me liberabit a corpore mortis hujus?'

1112 *Ordinem voluminum*] Per volumina librorum explicatum.

1113 *Tragœdiæ*] Nam hæc materia quodammodo tragica fuit.

1114 *In fasces*] Sc. librorum; vel potius in *annales*, qui a consulib. nomen accipiebant, quorum fasces erant insignia cum securibus.

1116 *Conficit*] Obliterat; quia in actis sub Galerio non reperitur hujus martyris passio.

1119 *Inscripta Christo*] In libro vitæ.

1120 *Apex*] Qui literis Hebreis præsertim imponi consuevit.

Obsolescet] Obliterabitur; unde obsoleta dicuntur desueta longo usu.

1121 *Angelus adstans*] Ex Evangelio: 'Angeli eorum semper vident faciem Patris.'

1124 *Pingens*] Describens.

1126 *Dimensio*] Quantitas.

1127 *Sulcus*] Quia ductum est ferrum.

1128 *Proximam*] In cutis summitate, ut sit contrarium ei, quod dixit, *altam*, hoc est, profundam.

1129 *Segmenti*] Sectionis; nam a seco dicitur *segmentum*.

1131 *In regestis*] In voluminibus, in quibus continentur acta et res gestæ. Nam corrupte dicitur volumen illud Gregorii, *registrum*, pro, regestis.

1135 *Et præmiorum*] Bonorum, id quod sequitur, pro eo quod præcedit.

1136 *Inter hædorum greges*] Inter peccatores, qui sistendi ad sinistram judicis Matth. xxv.

1137 *Dinoscerer eminus*] A longe me conspiceret Romanus.

1139 *Transfer hunc hædum*] Sc. a sinistra in dextram, et sit agnus.

PSYCHOMACH.

Præf. 1 *Senex fidelis*] Scripturus Poëta Psichomachiam, præmittit prooemium, in quo dicit, eum, qui per virtutes sit cum vitiis decertaturus, debere in fide fundamenta jacere. Itaque affert historiam ex Genesi, dicens, quod Abraham a fide orsus est. Quia quemadmodum cap. xii. legimus, cum apparuisset illi Deus, dixissetque, 'ut egrederetur de terra et de cognatione sua, et de domo patris sui: et quod daturus sit illi innumeram posteritatem, credidit monenti: et egressus inde cum tota familia sua venit in terram Chanaan.' Et iterum cap. xv. ubi eadem repromissio ad Abraham facta repetitur, subdit: 'Credidit Abraham Deo, et reputatum est illi ad justitiam.' Et quemadmodum post fidem acceptam, cum quatuor illi reges, de quibus cap. xiv. profligassent fudissentque reges pentapoleos, i. e. quinque illarum civitatum, quæ divino postea judicio perierunt: Loth quoque Abraham ex fratre nepotem, qui in Sodomis habitabat, cum omni substantia duxissent captivum: cumque Abraham nuncio ejus rei accepto expedisset trecentos decem et octo servos vernaculos, regesque insecutus cecidisset, nepotemque cum præda recuperasset: ita et nos cum vitiis decertaturi a fide auspicabimur: atque ita demum fide, quæ aliarum virtutum est fundamentum, muniti, cum vitiis confligemus.

Senex fidelis] Ordo est: Abram senex fidelis, i. e. qui fide potissimum

censetur: quia, ut diximus, 'credidit Abraham Deo.'

Est prima via credendi] Quam credituri debemus imitari.

2 *Pater serus*] Quia sero, h. e. anno ætatis centesimo Isaac genuit.

3 *Cujus nomen*] Sc. Abram, syllaba adjecta, sc. ha, elemento aspirato addito, sive potius interjecto, auxit nomen: ut ex Abram factus sit Abraham. Ideo subdit: 'Abram parenti dictus,' a patre suo Thare.

4 *Abraham Deo*] Ex Gen. cap. XVII. 'Dixit namque illi Deus: Non vocabitur nomen tuum Abram, sed vocabitur Abraham, quia patrem multarum gentium constitui te.' Hieronymus in libro Hebraicarum Quæstionum hunc locum exponens; 'Dicunt,' inquit, 'Hebrei, quod ex nomine suo Deus, quod apud illos est tetragrammaton, hoc est, quatuor literarum, h literam Abraham dederit; dicebatur enim Abram, quod interpretatur pater excelsus: et postea appellatus est Abraham, quod est pater multitudinis: nam quod sequitur, gentium, non habetur in nomine, sed intelligitur.'

5 *Pignus senile*] Isaac filium, quem, ut diximus, Abraham centenarius genuit. Pignus autem pro filiis sæpe legimus.

Dicavit victimæ] Destinavit sive devovit. Virg. Æn. II. 'Et me destinant aræ.'

6 *Cum litare*] Sacrificio aliquid a Deo impetrare.

7 *Dulce, pium, unicum*] Quæ tria fuerunt ex Isaac patri. Nam quid potuit dulcius esse Abraham, filio in senecta ex uxore genito? quid obsequentius eo, qui patri se victimam præbuit? Nam quod unicus ex uxore fuerit, satis constat, cum ex Agar ancilla prius Ismaelem, et postea ex Cetura plures genuerit.

8 *Offerendum Deo credito*] Cui credi necessarium est: id quod et ipse fecit: 'et reputatum est illi ad justitiam.'

9 *Pugnare nos*] Sensus est; quod Abraham, cum Loth captivum audisset ab illis quatuor regibus, qui Pentapoleos fines, ubi Loth habitabat, populati sunt, collecta servorum manu illos persecutus, et nepotem restituit libertati, et omnem prædam cum victoria reportavit. Deinde centenarius ex Sara nonagenaria filium legitimum procreavit. Poëta nunc moraliter rem gestam exponens dicit, quod quemadmodum Abraham profligatis hostibus genuit filium ex uxore, ita et nos superatis hostibus spiritalibus, qui sunt caro, mundus et dæmonia, debemus gignere liberos legitimos, i. e. opera virtutis Deo placentia ex anima, quæ vitiis antea erat sterilis et oppressa, nunc vero illis expulsis libera. Dicit igitur: 'suasit,' sc. Abraham, 'pugnare cum profanis gentibus,' i. e. cum vitiis: quemadmodum ille pugnavit cum quatuor regibus.

11 *Prolem conjugalem*] Ex uxore legitima, i. e. anima vitiis libera: ut ille ex Sara Isaac genuit, ut Apostolus ait, 'non secundum carnem, sed ex promissione.'

13 *Spiritus bellicosus*] Recta ratio et prudentia, vitiorum profligatrix.

14 *Vicerit portenta cordis*] Vitia et pestes animorum: quæ sedem in corde sibi fixerunt. Sed quia pugna illa, quam Abraham pugnavit pro liberando nepote, nimis stricte pertractata est, iterum per partes, quo pacto res est gesta, exponit.

15 *Vinctum feroces*] Argumentum hujus historiæ ex Gen. cap. XIV. delineatum est.

Ceperant Loth] Cum popularentur fines Pentapoleos, ubi forte fortuna eo tempore Loth habitabat.

16 *Criminosis*] Crimine illo pessimo, quod ab ipsis cognominatum est.

17 *Fovebat*] Illustrabat.

18 *Gloriæ patruelis*] Abraham patrui sui. q. d. quod Loth causa patrui

sui et illustrabat illa loca, et honorabatur ab illius loci incolis.

19 *Sinistris nunciis*] Sinistrum nuncium afferentibus.

22 *Ter senos*] Duodeviginti.

23 *Hostis euntis*] Cum præda se in patriam recipientis.

25 *Captis copiis*] Adversariis Pentapoleos superatis.

27 *Graves*] Onustos.

28 *Proterit*] Proculcat et profligat.

29 *Catenas*] Quibus erat impeditus Loth cum reliquis captivis.

33 *Attrita baccis colla*] Quia antea, quam ab hostibus caperetur, gestabat monilia baccata, i. e. gemmata. Virg. Æn. I. 'Colloque monile Baccatum.'

35 *Prole fratris*] Loth, qui erat filius Aran fratris Abraham.

36 *Ne qua vis*] Ne aliqua violentia.

38 *Recentem de tanta cæde*] Cruentatum. Virg. Æn. II. 'Me bello e tanto digressum et cæde recenti.'

39 *Sacerdos*] Melchisedech rex Salem, qui Abraham reportanti ex hostibus victoriam occurrit offerens illi panem et vinum.

Ferculis cælestibus] Alludit ad illud quod scribitur Psalm. CIX. 'Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech:' qui panem et vinum, h. e. consecrationis materiam Abraham victori obtulit. Sed cujus hic fuerit filius, ignoratur. Paulus in Epist. ad Hebr. cap. VII. 'Melchisedech,' inquit, 'rex Salem, sacerdos Dei summi, qui obviavit Abrahæ regresso a cæde regum et benedixit ei: cui et decimas omnium divisit Abraham.' Primum quidem qui interpretabatur rex justitiæ, deinde rex Salem, quod est rex pacis, sine patre et matre, sine genealogia, neque initium dierum neque finem vitæ habens: assimilatus autem filio Dei manet sacerdos in perpetuum. Hebrei, referente Hieronymo in libro Hebraicarum Quæstionum, dicunt, hunc fuisse Sem, filium Noæ: et supputantes annos vitæ suæ, ostendunt ad Isaac usque ætatem pervenisse. Et est ordo: Melchisedech, Dei sacerdos, et item rex præpotens, ignotus qua stirpe, quia (ut dicit Apostolus) 'sine patre, sine matre, sine genealogia.' Itaque idem Hieronymus ad Euagrium scribens, 'agenealogen Melchisedech' appellat.

41 *Cujus origo secreta*] Quæ ignoratur.

Fonte inenarrabili] Principio, quod enarrari non potest. juxta illud Esaiæ: 'Generationem ejus quis narrabit?'

42 *Nullum autorem sui*] Progenitorem.

Prodit] Ostendit.

43 *Quis majoribus*] Quibus parentibus, avis, atavis.

45 *Mox*] Sc. post oblationem panis et vini.

Trinitas triformis Angelorum] Ex Genes. c. XIV. ubi legitur, quod 'apparuerunt Abraham tres Angeli in specie virorum;' sed quod aliquando de tribus fit mentio quasi de uno, aliquando singulatim quasi de pluribus, ita per tres Angelos intelligimus Trinitatem; sicut supra per Melchisedech Christum Iesum.

46 *Mapalia*] Domos pastoricias. Virg. Georg. III. 'Raris habitata mapalia tectis.' Eadem et magalia dicuntur.

47 *Et jam Sara*] Abraham uxor, quæ interpretatur Princeps. nam antea Sarai, i. e. princeps mea, dicebatur.

Vieta] Languida et sine vi, h. e. naturalibus privata viribus, ut exponit Festus. Cic. II. de Div. 'Bovis exile et exiguum et vietum cor.'

In alvo fertilis] Q. d. licet fronte rugis sulcata et reliquis viribus corporis destituta, fecunda tamen erat.

48 *Mater exanguis*] Quia in senibus sanguis est diminutus. Lucan. in II. de Martia: 'Dum sanguis inerat, dum vis materna, peregi Jussa, Cato.'

Stupet munus juventæ] Miratur se præstare officium juvenculæ, h. e. parere.

49 *Pœnitens cachinni*] Risus, quando videl. risit post ostium tabernaculi, audiens ex Angelo, quod filium esset paritura; unde et Isaac risus interpretatur.

50 *Hæc ad figuram*] Ex historia superius enarrata infert sensum allegoricum, dicens: Hæc, sc. linea, i. e. historia, quæ per quandam figuram ostendit nobis viam, qua sit in hac vita proficiscendum ad alteram.

51 *Resculpat*] Q. d. historia ostendit nobis lineam, i. e. semitam angustam, sed nos debemus eam resculpere, i. e. atterendo dilatare pede recto, non declinando ad dexteram neque ad sinistram.

52 *In armis*] Ita habent omnes codices, sed ut constet sensus, *in animis*, potius legendum est.

53 *Nostri corporis*] Partis irrationalis, quæ membris et partibus corporis utitur, cum ab imperio rationis rebellat.

55 *Liberandam*] A vitiorum misera servitute libertati veræ restituendam.

Viribus coactis domi] Vernaculis domesticis, quod et Abraham fecit. Quia, ut Cicero dicit, 'in morbis corporis opus medico exteriori habemus, at in animi vitiis remedia ipsa intra nos sunt, atque illud inprimis, velle curari.' quare vires domesticas vocat prudentiam, solertiam, et ejusmodi virtutes.

56 *Large divites*] Valde copiosi.

57 *Trecenti, bis novenis additis*] Tercentum, decem et octo. Quid autem numerus ille significet, consulendus esset quispiam Pythagoricus, qui in hujusmodi rationibus numerorum versatur. Sed ego nullum aliud mysterium video per Abraham comites significari, nisi trecentos decem et octo Episcopos illos, qui in Concilio Niceno interfuerunt, ubi multa de Christiana religione constituta sunt: sed inprimis de fide, qua censetur Abraham; ibi namque symbolum Nicenum est conflatum.

58 *Figura mystica*] Secreta et divina.

59 *Sacerdos verus*] Qui secundum ordinem Melchisedech seipsum in specie panis et vini obtulit.

60 *Alto et ineffabili*] Sicut Melchisedech, incognito.

61 *Victoribus beatis*] Sc. qui superaverunt animi vitia.

62 *Parvam casam*] Abraham, per quem intelligimus victorem vitiorum: qui tamen possit dicere: 'Domine, non sum dignus, ut intres sub tectum meum.'

63 *Honorem Trinitatis hospitæ*] Quia honorificum est Abraham, quod Trinitas in domum suam divertat: et ita animam a vitiis purgare, quod sit templum Trinitatis.

64 *Animam deinde*] Ordo est: deinde Christus faciet animam maritam, i. e. copulabit illam sibi quasi sponsam.

Connexibus spiritus] S. Sancti copula.

65 *Diu expertem prolis piæ*] Sterilem bonorum operum, cum erat sub peccatorum dominatione.

66 *Fertilem*] Fecundam, contra id, quod dixit, sterilem.

67 *Sera puerpera*] Anima prolis fecunda.

Possidens dotem] Qua fuit dotata cum primum creata est, h. e. innocentiam.

68 *Implebit digno hærede*] Seipsa.

Domum patris] Regnum cæli, in quo nostra merces reposita est.

Psychomach. 1 *Christe graves*] Tametsi in prœmio superiori Prudentius insinuavit, qua de re in hoc opere scripturus erat, cum poëtarum Latinorum moris sit, prius proponere, deinde invocare, tum demum prosequi opus institutum; hoc in loco simul invocat et proponit, poëtas

Græcos imitatus, ut Homerus in Iliade: 'Iram pande mihi Pelidæ, diva, superbi.' Et in Odyssea: 'Dic mihi, Musa, virum captæ post tempora Trojæ.' Sed quia poëtarum est, Deos earum rerum præsides, de quibus scripturi sunt, invocare: Christum, quo cum nobis humanitatis commercium est, quique per redemtionem vel peculiari quodam jure noster est dominus, more poëtarum invocat, ut nobis, in hac pugna Rationis cum parte animi irrationali, adsit; quandoquidem ipse et per se et per nuncios suos Apostolos et Prophetas illud ipsum debere facere, multis in sacræ Scripturæ locis hortatus est.

Christe, graves] Æmulatio est Virgiliana ex Æn. VI. 'Phœbe, graves Trojæ semper miserate labores.'

2 *Qui patria virtute cluis*] Pugnas et es potens; id enim cluere significat. unde et 'Dei brachium' in scriptura appellatur; et Apostolus, 'illum portare omnia verbo virtutis ejus,' dicit. Et qui centones ex Virg. Poëmate compegerunt, significanter patrem ad filium loquentem inducunt: 'Nate, meæ vires, mea magna potentia, solus.'

Propriaque, sed una] Quia illa virtus cum sit Patris est et propria Filii; quia una et eadem est in utroque virtus.

3 *Unum namque*] Per parenthesim interponit duos versus, reddens rationem, cur eadem sit virtus Patris et Filii; quia cum sit idem Deus essentia, est tamen trinus in personis; ideo subdit, 'non tamen et solum.' Neque enim satis est confuse unum et eundem solum Deum confiteri, sed explicare personas in divinis, ut solum referatur ad personam, ut Sedulius: 'solus de solo:' itaque subjungit, 'quia tu Deus ex patre, Christe;' subaudi, procedens per æternam generationem.

5 *Dissere, rex noster*] Ordo est: Christe, rex noster, dissere, i. e. ostende: quo milite, quibus armis et auxilio; mens armata, de parte animi rationali intelligitur: queat pellere culpas, i. e. vitia, quæ occupaverunt alteram partem animi, rationis expertem. quod appellat 'antrum pectoris,' i. e. recessum quendam, ubi vitia sedes suas fixerunt.

7 *Exoritur quoties*] Quasi velit dicere, ad expellendas animorum pestes, tunc prosunt divina præcepta, parentum cohibitiones, atque (ut ait Aristoteles) amicorum admonitiones atque consilia: cum sentimus ejusmodi bellum ultra nos geri, h. e. in quibus incontinentia locum habet. Nam 'qui vitio stupet, fibrisque increvit opimum Pingue ... Demersus summa rursus non bullat in unda.'

9 *Quod præsidium*] Significantius dixisset, *subsidium*.

10 *Quæ acies*] Sc. rationum, quibus utendum est contra appetitum.

11 *Obsistat*] Opponatur.

Meliore manu] Exercitu, a parte honestiore.

Neque enim, bone ductor] Sensus est: 'Neque enim credibile est,' quod Simonides inquit, 'invidisse Deum homini,' faciendo illum tot morbis atque animorum pestibus obnoxium: quin potius propter nimiam caritatem, qua dilexit nos, ut ait Apostolus, misisse Filium suum, ut eos, qui sub peccati jugo erant, a misera vitiorum servitute liberaret.

13 *Vitiis populantibus*] Humanum genus evertentibus.

14 *Turmas salutiferas*] Virtutes morales, quæ opponuntur vitiis.

16 *Ad ludibria cordis*] Vanas aut perniciosas cogitationes, quæ nos illudunt.

17 *Tibi*] Ad nominis tui gloriam.

18 *Præsens*] In promtu et manifesta.

Si liceat notare] Si mihi concedatur fingere atque ante oculos ponere.

Comminus] Prope, more illorum qui conflicturi sint.

19 *Facies*] Formas sive figuras.

20 *Et portenta*] Vitia, quæ tam sunt præter naturæ intentionem, quam hominem nasci bicipitem aut multipedem.

21 *Prima petit*] Opponit atque in certamen committit Fidem, hoc est, Christianam religionem, atque gentilium impietatem, culturamque Deorum, quam primo congressu ponit fuisse superatam: ut significet videlicet, in iis, quæ ad convellendum contra nos insurgunt, non esse dandum longis disputationibus, sed, quod dicitur, 'oculis clausis Andabatarum more pugnantes' primo impetu rem conficere.

22 *Exerta lacertos*] Habens exertos ac proinde ad conflictum magis expeditos lacertos.

24 *Nova prælia laudis*] Victoriæ; unde magnam laudem atque gloriam erat reportatura.

25 *Telis*] Armis, ut vulgo dicitur, offensivis.

Tegmine] Armis defensivis,

26 *Membris retectis*] Nudis atque exarmatis.

27 *Pericula frangenda*] Periculosum hostem, sed tamen facile profligandum.

28 *Lacessentem*] Fidem provocantem illam ad certamen.

Collatis viribus] Consertis in pugna.

29 *Veterum Deorum*] Quia idololatria jam inde a prima Assyriorum monarchia incepit.

30 *Illa*] Fides.

Vittis] Velaminibus sacris, quibus in sacrificiis utebantur.

31 *Insurgens altior*] Ut sc. majori conatu ictum infligeret.

Labefactat] Dissipat atque dissolvit.

32 *Applicat solo*] In terram deprimit.

Pecudum] Quas sacrificantes Diis immolabant.

33 *Oculos*] Cum oculis totum caput.

Elisos in morte] Dissipatos ex pedum conculcatione. Virg. Æn. VIII. 'Angit inhærens, Elisos oculos et siccum sanguine guttur.'

Animam malignam] Spiritum tenuem: quemadmodum Virg. Æn. VI. 'sub luce maligna' dixit, pro angusta.

34 *Commercia gutturis*] Vicissitudo expirandi et respirandi, quæ per guttur fit.

Intercepti] Interclusi.

35 *Suspiria longa*] Singultus mortis.

Difficilem] Violentum. Virg. Æn. IV. 'Longum miserata laborem Difficilesque obitus.'

36 *Legio*] Sc. martyrum, per quos fides impietatem gentium superaverat.

Coactam] Constipatam et coadunatam.

37 *Animarat*] Incitarat. Juven. 'Animante tuba, galeatum sero duelli Pœnitet.'

39 *Floribus*] Sertis ex floribus contextis.

Vestirier] Paragoge est pro vestiri.

Ostro ardenti] Purpura sive murice splendenti. Virg. Æn. IV. 'Tyrioque ardebat murice læna.'

40 *Exin gramineo*] Secundus Pudicitiæ cum Libidine conflictus, quem nostri tertiam animorum pestem faciunt: hoc est, luxuriam, cum sit luxuria aliud, quemadmodum infra dicemus.

Concurrere prona] Proclivis et parata ad concurrendum cum libidine.

42 *Sodomita libido*] Quæ diu versata est Sodomis, urbe illa Pentapoleos infami impuratæ libidinis vitio, quam Sodomitam genere feminino protulit, cum ex forma declinationis Græcæ, id, quod alicubi diximus, generis sit tantum masculini. nam feminino Sodomitis Sodomitidis potius diceretur.

Succincta faces] Habens faces ignis succinctas: sic enim exponi solet;

Synecdoche per participium, sed hic improprie pro, ipsa succincta, id est, expedita habens faces.

Faces patrias] Intinctas bitumine sulphureo, quod asphaltites lacus, hoc est, mare, quod Hebrei vocant mortuum, exsudat: ubi Sodoma cum aliis quatuor urbibus incendio absumtæ sunt. itaque *patrias* appellavit, cum ipsa libido Sodomita sit patria natalisque.

43 *Ardenti sulphure*] Ex bitumine, quod diximus.

Pinum piceam] Facem ex pinu arbore, in cujus genere numeratur picea. Virg. Æn. v. 'Procumbunt piceæ, sonat icta securibus ilex.'

44 *Pudibunda*] Verecunda, in bonam partem accipiendo.

45 *Appetit*] Impetit et invadit.

47 *Ignea tela*] Faces pineas ex sulphure incensas.

48 *Tedas*] Illas faces igneas.

49 *Adacto*] Impulso ac impresso.

50 *Transfigit*] Trajicit atque transverberat.

51 *Vapores concretos sanguine*] Spiritum sanguine commixtum emittit.

Cœnoso] Ad cœni similitudinem crasso et turpi.

Inde] Ex juguli transfossi vulnere.

53 *Hoc tibi habe*] Subaudi, vulnus.

55 *Flammas mortiferas*] Venerem et amores ad mortem æternam perducentes.

56 *Vena intima*] Pro jecore posuit. Virg. Æn. IV. 'Vulnus alit venis, et cæco carpitur igni.'

57 *Lampade Christi*] Amore casto non venereo.

58 *Tene, o vexatrix*] Pudicitia victrix amare atque hostiliter increpat Libidinem profligatam.

Potuisse] Subaudi, decuit. Virgil. Æneid. I. 'Mene Iliacis occumbere campis Non potuisse.'

59 *Recalescere flatu*] Reviviscere spiritu.

Capitis extincti] Q. d. hoc tempore Judith amputavit caput Holophernis; tu quoque cum illo pariter extincta es. quomodo igitur nunc reviviscis, atque pristinas vires resumis?

60 *Assyrium thalamum*] Quia Holophernes dux erat Nabuchodonosor, Assyriorum regis.

61 *Lavit*] Commaculavit.

64 *Famosum tropheum*] Victoriam insignem.

65 *Mea vindex*] Quæ me in libertatem asseruit, quia ulta est.

Cælitus audax] Quia illud præclarum facinus non potuit absolvi sine cœlesti quodam auxilio.

66 *At fortasse parum fortis*] Imo fortiter pro pudicitia rem gessit, quamvis sub lege veteri, in qua pudicitia non tantopere commendabatur. sed nimium, inquit, illa figura novæ legis erat, in qua virginitas viduitati, continentia nuptiis præfertur, contra priscæ legis consuetudinem.

Sed umbra legis] Lege umbratili, et quæ figura erat legis solidæ, veræ et expressæ: quia, ut inquit Apostolus ad Corinth. 1. 'Omnia in figura contingebant illis.'

68 *Quibus*] Temporibus.

Virtus vera] Non fucata, non adumbrata, ut in lege veteri: in qua probro dabatur, filios non gignere.

Fluxit in corpora terrena] Illapsa est in homines.

69 *Excisura grande caput*] Sumptum est ex eo quod scribitur 1 Corinth. I. 'Elegit Deus infirma mundi hujus, ut fortia quæque confunderet.'

70 *Numquid et intactæ*] Libidinem nihil juris habere in corpora humana ostendit, posteaquam Verbum divinum incarnatum, vel, ut dicunt Græci, humanatum est; propterea quod, ex carnis humanæ commercio cum divinitate, sumus quodammodo consecrati.

71 *Ullum fas superest*] Relicta est tibi ulla facultas aut potestas? quasi diceret, nulla, nisi quatenus homines vinci se volunt.

Ex quo] Subaudi, tempore, vel, ex

quo partu.

72 *Propago prisca*] Vetus homo subjectus morti propter peccatum.

73 *Deseruit naturam*] Mutavit conditionem.

Vis ardua] Divina, i. e. Verbum.

Sevit novam carnem] Insevit. Quid si legas *sumsit?*

75 *Cum patre numen*] Deum ex patris substantia: et hominem ex substantia matris.

76 *Caro diva est*] Divinitatis facta particeps et sacrata.

Quæ concipit illum] Ut referatur ad totam speciem, non ad numerum.

77 *Consorti fœdere*] Communi societate: quod quemadmodum factum sit, et quid inde sequatur, multis modis exponit.

79 *Dum glutinat*] Sibi coagmentat et connectit.

Usum carnis] Carnem, qua veluti instrumento quodam utatur.

80 *Non degenerante*] In deterius mutata: nam illa degenerare dicuntur, quæ sui generis principio non respondent.

83 *Jam non sumus*] Imo iidem sumus: sed aucti nascendo in melius, i. e. conditionem nobiliorem.

84 *Mihi contulit*] Mihi aliquid dedit, et ipse nihil amisit, quod adhuc aliis verbis explicat magis.

87 *Hæc sunt dona*] Beneficia homini a Deo concessa.

Lutulenta] Luto plena et immunda.

88 *Post Mariam*] Mariæ fecundam virginitatem.

Perstringere] Vel leviter tangere et violare.

89 *Præceps*] Active pro præcipitans, sive præcipitanter impellens.

91 *Fervida*] Ad Veneris igneam naturam retulit.

Abde caput] Mergere sive mergaris.

92 *Occide, prostibulum*] Morere, o meretrix: sic enim meretrices vocantur prostibulæ a prostando.

Manes] Inferos.

94 *Vada flammea*] Phlegethon fluvius Inferorum, qui flammeus interpretatur.

95 *Vortex sulphureus*] Ad eundem Phlegethonta retulit; de quo Virg. ‘ Qui rapidus flammis ambit torrentibus amnis Tartareus Phlegethon.’

96 *Furiarum maxima*] Virg. ‘ Furiarum maxima juxta Accubat.’

100 *Sanies*] Sanguis corruptus; quippe qui extra venas.

Rore rubenti] Sanguine roranti.

101 *Vulnere*] Vulneris cruore.

102 *Virgo docta*] Quæ hujusmodi armorum polituram bene noverat.

Aciem victricem] Gladium, quo ipsa fuerit victrix.

103 *Labem hostilis jugult*] Maculam ex libidinis cruore.

Baptismate] Ablutione et intinctu: nam Baptizare est intingere sive mergere: alludit tamen ad baptisma, quo vestigia peccati abluuntur.

105 *Tecta rubigo*] Gladii scabrities, quæ ex vaginæ tegumento citius irrepit.

106 *Sorde scabrosa*] Quæ gladiis scabriciem superinducit.

Nitorem ablutum] Gladium nitentem et politum.

107 *Ad oram divini fontis*] Jordanis, Christi baptismate consecrati; et tangit consuetudinem illorum, qui artis suæ instrumenta emeriti Deo consecrabant, in cujus erant tutela. Horat. Epist. I. ‘ Vejanius armis Herculis ad postem fixis latet abditus agro.’

109 *Ecce modesta*] Tertius Patientiæ cum Ira conflictus, quam nostri quartam animorum pestem dicunt.

Gravi vultu] Sereno et constanti.

111 *Vitalia*] Membra.

112 *Defixa oculos*] In terram dejectos: quod ipsum constantiæ signum est.

Spectabat vulnera] Quæ ab omnibus invicem inferebantur.

Lenta] Immobilis et otiosa.

113 *Ira tumens*] Proprium iræ epitheton.

Fervida rictu spumanti] Propter ca-

lorem per ora spumas emittens.

114 *Intorquens lumina*] Huc atque illuc volvens oculos; contra id, quod de patientia dixit, 'defixa oculos.'

Sanguinea] Virg. 'Sanguineam volvens aciem.'

Suffuso felle] Mixto cum sanguine.

115 *Lacessit hanc*] Provocat ad pugnam Patientiam.

Telo et voce] Armis et verbis.

Ut exortem belli] Quasi invidens illi; quod significavit per illud, quod dixit, 'suffuso felle,' cum videret illam immunem belli.

116 *Impatiens moræ*] Non potis se continere. Juven. 'Impatiensque moræ pavet.'

Conto] Hasta.

117 *Cristas hirsutas*] Ex equina cauda. Virg. 'Caudaque hirsutus equina.' et alio in loco: 'Cui triplici crinita juba galea alta.'

119 *Securo*] Sine belli cura; quia turpe, non quod ita putat ira, sed quod patienti id se facere jactat: ut sit dictum per ironiam.

121 *Stridens*] Cum stridore volans.

122 *Crispata*] Vibrata et tremens.

Per Notos teneros] Pervios; quid si legas *tenues*. Virg. 'Tenues in ventos vita recessit.'

Certa] Non frustrata ictum destinatum.

123 *Illiditur ictu recto*] In nullam partem aliam deflexo.

124 *Resilit*] Resultat et repercutitur.

125 *Trilicem thoraca*] Virg. de lorica lib. v. 'Lævibus huic hamis consertam auroque trilicem Loricam.' cum sit corio crudo. Martial. 'Accipe belligeræ crudum thoraca Minervæ.'

126 *Induerat thoraca*] De eadem armatura dixit loricam et thoracem: cum lorica proprie sit ex hamis contexta, thorax ex corio. Sed Varro, 'lorica,' inquit, 'quod e loris de corio crudo pectoralia faciebant, postea succuderunt Galli e ferro sub id vocabulum ex anulis tunicam ferream.'

Squamosa texta] Idem dicit, sed aliis verbis. nam nihil aliud est 'lorica ferri,' quam anuli sive hami ferrei contexti in modum squamarum.

127 *Commiserat*] Connexuit et coagmentavit. Juven. 'Eadem plumbo commissa manebit.'

Per nervos intortos] Quia forte ad majorem loricæ securitatem *nervi* interponebantur hamis ferreis.

128 *Inde*] Sc. ex armaturæ firmitate.

129 *Telorum nimbos*] Ad tela cadentia in modum grandinis sive pluviæ.

Non penetrabile] Nomen pro adverbio, pro impenetrabiliter: vel potius genus posuit pro genere, ut sit non penetrabile pro non penetrabilis.

130 *Mota est*] Perturbata.

131 *Opperiens*] Expectans.

132 *Stomachando*] Irascendo.

Impenderat lacertos] Consumserat vires.

134 *Irrita*] Delusa et frustrata sua spe.

Lassaverat] Usque ad lassitudinem fatigaverat.

Nube jaculorum] Quod sup. dixit, 'telorum nimbos.'

135 *Ventosa tela*] Per ventos volitantia.

136 *Ictibus vacuis*] Otiosis, et finem suum non consequentibus.

137 *Ad capulum*] Ad ensem, qua parte capitur, cum stringendus.

138 *Ab aure dextra*] Graphice morem ferire volentium exprimit.

141 *Retundit aciem*] Hebetat gladii aciem.

142 *Vena rebellis*] Galea ærea resistens: nam ex venis terræ effoditur æs et ferrum.

143 *Chalybem illisum*] Ensem impactum.

Nescia cedere] Perforari, et vinci.

144 *Assultus*] Ictus iræ assilientis.

145 *Mucronis*] Ensis.

146 *Crepuisse*] Cum crepitu dissiluisse.

147 *Capulum*] Solum sine lamina ferri.

148 *Mentis inops*] Præceps et sire consilio.

Ebur infelix] Capulum ex ebore, quo infeliciter usa est.

Decoris pudendi] Ornamenti ex quo plus ignominiæ quam laudis retulit.

149 *Signa perfida*] Capulum, in quo erant signa et imagines ebori impressæ; quæ tamen perfida vocat, quia illis non erat fidendum, utpote falsis.

Monimenta tristia] Quæ tristem recordationem illi afferebant: quoniam illorum defectu victa fuit.

150 *Effera*] Furiosa et veluti ferarum rabie percita.

151 *Missile*] Jaculum.

152 *In usus perversos*] In perniciem suam versos, cum illos antea in patientiam jaculata fuisset.

153 *Rasile lignum*] Hastam politam ac lævigatam.

Cuspide versa] Subaudi, contra seipsam.

154 *Transit*] Pro trajicit et penetrat.

Verbere calido] Hasta sanguine calefacta.

155 *Vicimus vitium*] Iram vitiosam. nam ira per prudentiam moderata, non est vitiosa, ut Peripatetici ostendunt; quin potius in mansuetudinem refertur, ut probat Aristoteles in tertio Ethicorum.

161 *Vis ignea*] Definitio est iræ: hoc est, ascensio sanguinis circa cor.

162 *Secat*] Transit. Virg. 'Litus harenosum Libyæ ventosque secabat.'

163 *Iob*] Qui potissimum patientia commendatur.

165 *Fronte severus*] Tristis et rugosus.

Anhelus] Præ nimio labore sudans.

166 *Ulcera clausa*] In cicatricem coëuntia.

Truci vultu subridens] Significat, in illo tristitiam lætitiæ fuisse mixtam.

167 *Per numerum cicatricum*] Multitudinem plagarum.

Sudata] Cum sudore suo devicta.

168 *Sua præmia*] Appositio est, i. e. suam victoriam et laudem.

Hostis] Sc. Impatientiæ et Iræ.

171 *Multiplicare*] Quia omnia, quæ illi fuerant rapta, reddita sunt duplicia.

Nec peritura] Permansura semper.

173 *Per imbres vulniferos*] Sc. telorum. sic sup. ex eadem translatione dixit 'telorum nimbos,' ac 'jaculorum nubem.'

174 *Una comes virtutibus*] 'Est' namque 'patientia' (quemadmodum in Rhetoricis a Cicerone definitur) 'honestatis aut utilitatis causa rerum difficilium voluntaria ac diuturna perpessio.' quod in omni virtute necessarium est, quia virtus et ars circa difficile versantur.

178 *Forte per effusas*] Humilitatis cum Superbia congressum ponit ante oculos.

179 *Effreni*] Qualis et ipsa est.

181 *Quo*] Pro, ut.

Fulta] Ipsa sedens et sustentata in pelle leonis jubata.

183 *Accumularat in altum*] In sublime crescere fecit.

Caput turritum] In modum turris extructum.

184 *Crinibus tortis*] In funium similitudinem contextis: quasi Chimæram et galeæ cristas: sic sup. dicit de ira, 'Hirsutas quatiens galeato in vertice cristas.'

Ut congeries addita] Ilia crinium multitudo adjuncta capiti aut cassidi.

Augeret cirros] Crines, ad majorem hostis terrorem.

186 *Palla carbasea*] Ex carbaso genere lini candidissimo contexta.

Collecta summo sinu] Quia sinus vestis interiores fluxi erant: sed superior sinus collectus a pectore sursum. Ideo dicit, 'nectens a pectore nodum teretem,' i. e. cingulum. Virg.

Æn. IV. 'Aurea purpuream subnectit fibula vestem.' Idem VI. 'Sordidus ex humeris nodo dependet amictus.' Itaque 'nodum teretem' fibulam cinguli appellat.

188 *Limbus tenui velamine*] Velamen tenue habens limbum.

Fluens] Pendens.

189 *Infestas auras*] Obstantes sive obvias. Ovid. 'Obviaque adversas vibrabant flamina vestes.'

Textis turgentibus] Velaminibus aura inflatis.

190 *Sonipes*] Equus non potens consistere pedibus. Virg. 'Stat sonipes, et frena ferox spumantia mandit.'

191 *Frenarier ora*] Synecdoche per verbum passivum.

192 *Obvertit terga*] Retro cedit.

Negata libertate fugæ] Cursus. i. e. quia non permittitur currere.

194 *Ventosa virago*] Superbia opinione sui tumida et inflata.

195 *Supereminet*] Quia in omnibus se ostentat.

196 *Circumflectit*] Subaudi, habenis, quamvis supra 'effrenem' dixit: sed intelligendum effrenem pro male frenis obedientem.

197 *Adversum cuneum*] Humilitatis aciem in cunei speciem ordinatam.

Milite raro] Quia pauci tales reperiuntur.

198 *Coëgerat*] Congregaverat.

Paupertinis] Pauperibus.

199 *Mens humilis*] Humilitas. Sed non potuit in carmine tres syllabas breves ponere.

Regina quidem] Quanquam pauper non sine majestate regia.

200 *Paratu*] Exercitus expeditione.

201 *Collegam*] Auxiliarem ad hanc pugnam, ad quam sola spe vincendi descendebat.

202 *Cujus*] Sc. spei.

Opulentia] Omnium rerum abundantia, 'est ædita,' i. e. procreata. 'et suspensa ab humo,' i. e. e terra sublevata. et alludit ad consuetudinem Romanorum, qui infantes recens natos humi collocabant et deinde sublevabant; unde est dea Levana quæ infantes de terra levabat.

203 *Humilem mentem*] Ut supra, humilitatem.

204 *Nullo ostentamine*] Sine ostentatione: cum superbia nihil sine ostentatione faciat.

205 *Fundit se*] Prorumpit.

206 *Non pudet*] Insectatur multis verbis atque amarulentis humilitatis milites, dicens, indignos, qui cum suo exercitu audeant pugnare.

207 *Lacessere*] Provocare ad certamen.

209 *Peperit*] Comparavit.

210 *Calcare*] Possidere.

211 *Si fas est*] Q. d. nefas est.

212 *En qui nostra suis*] Est, quale illud Virg. ex Æneid. 'En qui nostra sibi bello connubia poscunt.'

213 *Sceptra*] Insignia nostri regni.

Sulcare novales] Exercere agros, qui, quo anno cultura renovantur, dicuntur novales; sicut quo non coluntur anno restibiles appellantur.

214 *Capta manu*] Vel antea a nobis, vel nunc ab ipsis.

Popularier] Per vim occupare.

Hospite aratro] Cultura sua; qui non indigenæ sed hospites sunt.

215 *Duros colonos*] Nos fortes viros.

216 *Natalibus horis*] Sensus est: Ego superbia sic exerceo meos milites; quod ab hora diei natalis assuefacio illos ad rerum dominium.

218 *Vim potestatum*] Potentes vires.

219 *Omnes*] Ego cum meis.

In ossibus rudibus] Ab infantia et tenera ætate.

220 *Quis locus*] In ditione nostra, quæ nobiscum genita est et crevit, nullus est locus.

221 *Congenitis ditionibus*] Regnis et dominiis rerum nobiscum genitis.

222 *Et domus et domini*] Idem dicit aliis verbis.

224 *Ex quo*] Dicit, jam inde ab initio mundi hoc fuisse, quod poten-

tiores atque perinde superiores rerum potiti sunt.

Plasma novum] Adam ex luto factus.

226 *Pellitos habitus*] Vestes pelliceas. Ovid. de Ponto. 'Litora pellitis nimium subjecta Corallis.'

227 *Nostra præcepta*] Per superbiam occupasset agros.

228 *Ab oris ignotis*] Advena ignobilis et obscurus.

230 *Tam serum jus*] Sero.

231 *Nimirum vacue*] Sensus est: non esse credendum famæ, quæ jubet miseros bene sperare.

Frivola creduntur famæ] Frustra illi creditur.

Vacue] Vane sive ociose.

233 *Spem boni futuri*] Quia spes non est nisi de bono futuro.

234 *Ut palpent*] Sensus est: ut hæc levis consolatio blandiatur illorum desidiæ.

Pigro medicamine] Levi remedio.

235 *Quidni*] Certe.

Spes iners] Quæ inertium est.

Palpet illos] Illis blandiatur. construiturque cum accusativo et cum dativo. Juven. 'Quem munere palpat Charus.' Horat. 'Cui male si palpere, recalcitrat.'

In isto pulvere] In exercitio militari. q. d. indigni sunt, qui in militia versentur.

236 *Non excitat*] Non exercet.

Truci ære] Terribili tuba.

237 *Virtus tepefacta*] Fortitudo, quæ debet esse ferventissima.

Resolvit] Evirat, enervat.

238 *Jecur gelidum*] Nam cum in fervore jecoris sit vis amoris, pudicitia frigescat ea parte necesse est.

239 *Pietatis opus tenerum*] Religionis quæ in timore est Dei, videturque homines facere formidolosos.

Sudatur] Exercetur.

240 *Virtus conscia*] Vires, quarum nobis ipsis sumus conscii.

242 *Dextram*] Nostrum robur.

Cum choreis virgineis] Cum virtutibus, quæ virgines finguntur, ut pudicitia, pietas.

243 *Justitia egens*] Quia viri justi non possunt ditari.

Honestas pauper] Quia qui in sola honestate ponit beatitudinem, pauper sit necesse est, cum bona fortunæ non numeret in bonis.

244 *Sobrietas arida*] Cum e contrario ebrietas sit madida.

Albo] Pallido.

245 *Tenui sanguine*] Subaudi, tantum in facie, ubi est sedes pudoris.

246 *Simplicitas aperta*] Quia nullam habet duplicitatem.

Ad omne vulnus] Quia quilibet potest illam decipere.

247 *Prostrata in humum*] Unde dicitur humilitas.

Nec libera] Sed serva.

248 *Trepidatio*] Conscientia proprii timoris.

Prodit degenerem] Facit degenerare.

249 *Faxo ego*] Faciam.

Sub pedibus] Conculcando, non ferro percutiendo.

250 *Perstringere*] Vulnerare.

251 *Sanguine algenti*] Hostium ignavorum.

252 *Imbuere*] Intinguere.

Fragili triumpho] Ex tam parva materia.

253 *Rapidum cornipedem*] Equum velocem.

254 *Laxis frenis*] Solutis. Virg. 'Laxas sciret dare jussus habenas.'

255 *Impulsu umbonis equini*] Clypeo, sive cetra ex corio equino.

256 *Ruinam*] Humilitatem ruentem.

257 *Fraus callida*] Quæ pro parte superbiæ in pugna stabat.

258 *Æquore interciso*] Campo medio effosso, ut in illo compleretur quod Psalmographus scribit: 'Incidit in foveam, quam fecit.'

259 *Detestandis pestibus*] Inter pestes detestandas.

260 *Versuta*] Callida et astuta, sed in malum.

Belli] Gerendi inter Superbiam et Humilitatem.

261 *Violaverat*] Effodiendo corruperat.

264 *Deprendere*] Quasi quod lateret furto.

265 *Oras*] Fossarum.

Virgis] Arborum ramis.

266 *Cespite*] Herbis congestis, cum revera esset fossa.

267 *Quamvis ignara*] Sc. latentis fossæ.

268 *Ulteriore loco*] Citra fossam.

Ad opertum fraudis] Ad scrobem, quam fraus foderat: in quam humilitas non incidit, quia suo præcipitio superbia loci fraudem patefecerat.

270 *Eques illa*] Superbia obequitans.

271 *Incidit hunc*] In hunc hiatum. *cæcum*, i. e. ramis et cespitibus opertum.

272 *Prona involvitur*] Præceps dejicitur.

Cervice equi] Super equi cervicem.

273 *Sub impressu pectoris*] Sc. equi, qui super ipsam sestricem cecidit.

Fracta] Dissipata et lacerata.

Inter crura] Sc. equi.

274 *Virtus placidi moderaminis*] Humilitas vitæ humanæ moderatrix.

275 *Levitatem monstri*] Superbiam sibi contrariam ; quod est quasi monstrum quoddam.

276 *Intendit gressum*] Properat.

Erigit os parce] Quod superbia quassanti capite atque erecta cervice fecisset.

277 *Vultu comi*] Festivo et hilari.

278 *Cunctanti*] Dubitanti quid faceret ; vel quod humilitas nihil præcipitanter agit.

279 *Laudis*] Victoriæ.

280 *Hostem*] Superbiam.

281 *Supinat faciem*] Quia prona erat.

Leva revocante] Illam resupinante.

282 *Orantis*] Misericordiam victricis suppliciter implorantis.

283 *Colla*] Sc. cum capite.

284 *Spes*] Humilitatis comes : quia ipsa humilitas nihil sublime aut minax dicit.

285 *Grande loqui*] Quod antehac faciebas.

286 *Magna cadunt*] Lucanus : 'In se magna ruunt.'

Inflata crepant] Rumpuntur tumescendo.

Tumefacta premuntur] Idem dicit aliis verbis.

287 *Supercilium*] Superbiam. Juven. 'Si cum magnis virtutibus affers Grande supercilium.'

289 *Sententia Christi*] Lucæ cap. XIV. 'Qui se exaltat, humiliabitur : et qui se humiliat, exaltabitur.' Atque unus ex septem sapientibus interroganti Æsopo, quid faceret Juppiter, respondit : 'Extollit humiles atque superbos deprimit.'

291 *Vidimus*] Quod de superbia dixit : Spes exemplo Goliæ ex primo Regum libro demonstrat.

Membris] Erat quippe procerus.

Animis] Animositate grandiloquus.

292 *Invalida manu*] David pueri debilis, comparatione Goliæ ; cum alioqui robustissimus esset.

293 *Stridore fundali*] Missum ex funda cum stridore.

294 *Cavo vulnere*] Quia lapis descendit ad intimum cerebrum.

295 *Amarus*] Amarulentis utens verbis.

296 *Indomitum et formidabile*] Nomina sunt pro adverbiis.

297 *Dum territat auras*] Ex Virg. Æn. XI. 'Cælum territat armis.'

298 *Ludicra pueri*] Quia funda rem aliquam figere, puerorum ludus est.

299 *Bellator turbidus*] Præcipitanter omnia atque ex perturbatione faciens.

Teneris armis] Puerilibus : quia ætas tenera est.

300 *Secutus me*] Sc. spem majora indies exequendi.

Pube virtutis] Adolescentia sub virtutum exercitio educata.

301 *Tetendit*] Direxit.

tiores atque perinde superiores rerum potiti sunt.

Plasma novum] Adam ex luto factus.

226 *Pellitos habitus*] Vestes pelliceas. Ovid. de Ponto. 'Litora pellitis nimium subjecta Corallis.'

227 *Nostra præcepta*] Per superbiam occupasset agros.

228 *Ab oris ignotis*] Advena ignobilis et obscurus.

230 *Tam serum jus*] Sero.

231 *Nimirum vacue*] Sensus est: non esse credendum famæ, quæ jubet miseros bene sperare.

Frivola creduntur famæ] Frustra illi creditur.

Vacue] Vane sive ociose.

233 *Spem boni futuri*] Quia spes non est nisi de bono futuro.

234 *Ut palpent*] Sensus est: ut hæc levis consolatio blandiatur illorum desidiæ.

Pigro medicamine] Levi remedio.

235 *Quidni*] Certe.

Spes iners] Quæ inertium est.

Palpet illos] Illis blandiatur. construiturque cum accusativo et cum dativo. Juven. 'Quem munere palpat Charus.' Horat. 'Cui male si palpere, recalcitrat.'

In isto pulvere] In exercitio militari. q. d. indigni sunt, qui in militia versentur.

236 *Non excitat*] Non exercet.

Truci ære] Terribili tuba.

237 *Virtus tepefacta*] Fortitudo, quæ debet esse ferventissima.

Resolvit] Evirat, enervat.

238 *Jecur gelidum*] Nam cum in fervore jecoris sit vis amoris, pudicitia frigescat ea parte necesse est.

239 *Pietatis opus tenerum*] Religionis quæ in timore est Dei, videturque homines facere formidolosos.

Sudatur] Exercetur.

240 *Virtus conscia*] Vires, quarum nobis ipsis sumus conscii.

242 *Dextram*] Nostrum robur.

Cum choreis virgineis] Cum virtutibus, quæ virgines finguntur, ut pudicitia, pietas.

243 *Justitia egens*] Quia viri justi non possunt ditari.

Honestas pauper] Quia qui in sola honestate ponit beatitudinem, pauper sit necesse est, cum bona fortunæ non numeret in bonis.

244 *Sobrietas arida*] Cum e contrario ebrietas sit madida.

Albo] Pallido.

245 *Tenui sanguine*] Subaudi, tantum in facie, ubi est sedes puderis.

246 *Simplicitas aperta*] Quia nullam habet duplicitatem.

Ad omne vulnus] Quia quilibet potest illam decipere.

247 *Prostrata in humum*] Unde dicitur humilitas.

Nec libera] Sed serva.

248 *Trepidatio*] Conscientia proprii timoris.

Prodit degenerem] Facit degenerare.

249 *Faxo ego*] Faciam.

Sub pedibus] Conculcando, non ferro percutiendo.

250 *Perstringere*] Vulnerare.

251 *Sanguine algenti*] Hostium ignavorum.

252 *Imbuere*] Intinguere.

Fragili triumpho] Ex tam parva materia.

253 *Rapidum cornipedem*] Equum velocem.

254 *Laxis frenis*] Solutis. Virg. 'Laxas sciret dare jussus habenas.'

255 *Impulsu umbonis equini*] Clypeo, sive cetra ex corio equino.

256 *Ruinam*] Humilitatem ruentem.

257 *Fraus callida*] Quæ pro parte superbiæ in pugna stabat.

258 *Æquore interciso*] Campo medio effosso, ut in illo compleretur quod Psalmographus scribit: 'Incidit in foveam, quam fecit.'

259 *Detestandis pestibus*] Inter pestes detestandas.

260 *Versuta*] Callida et astuta, sed in malum.

Belli] Gerendi inter Superbiam et Humilitatem.

261 *Violaverat*] Effodiendo corruperat.

264 *Deprendere*] Quasi quod lateret furto.

265 *Oras*] Fossarum.

Virgis] Arborum ramis.

266 *Cespite*] Herbis congestis, cum revera esset fossa.

267 *Quamvis ignara*] Sc. latentis fossæ.

268 *Ulteriore loco*] Citra fossam.

Ad opertum fraudis] Ad scrobem, quam fraus foderat: in quam humilitas non incidit, quia suo præcipitio superbia loci fraudem patefecerat.

270 *Equæ illa*] Superbia obequitans.

271 *Incidit hunc*] In hunc hiatum. *cæcum*, i. e. ramis et cespitibus opertum.

272 *Prona involvitur*] Præceps dejicitur.

Cervice equi] Super equi cervicem.

273 *Sub impressu pectoris*] Sc. equi, qui super ipsam sestricem cecidit.

Fracta] Dissipata et lacerata.

Inter crura] Sc. equi.

274 *Virtus placidi moderaminis*] Humilitas vitæ humanæ moderatrix.

275 *Levitatem monstri*] Superbiam sibi contrariam; quod est quasi monstrum quoddam.

276 *Intendit gressum*] Properat.

Erigit os parce] Quod superbia quassanti capite atque erecta cervice fecisset.

277 *Vultu comi*] Festivo et hilari.

278 *Cunctanti*] Dubitanti quid faceret; vel quod humilitas nihil præcipitanter agit.

279 *Laudis*] Victoriæ.

280 *Hostem*] Superbiam.

281 *Supinat faciem*] Quia prona erat.

Leva revocante] Illam resupinante.

282 *Orantis*] Misericordiam victricis suppliciter implorantis.

283 *Colla*] Sc. cum capite.

284 *Spes*] Humilitatis comes: quia ipsa humilitas nihil sublime aut minax dicit.

285 *Grande loqui*] Quod antehac faciebas.

286 *Magna cadunt*] Lucanus: 'In se magna ruunt.'

Inflata crepant] Rumpuntur tumescendo.

Tumefacta premuntur] Idem dicit aliis verbis.

287 *Supercilium*] Superbiam. Juven. 'Si cum magnis virtutibus affers Grande supercilium.'

289 *Sententia Christi*] Lucæ cap. XIV. 'Qui se exaltat, humiliabitur: et qui se humiliat, exaltabitur.' Atque unus ex septem sapientibus interroganti Æsopo, quid faceret Juppiter, respondit: 'Extollit humiles atque superbos deprimit.'

291 *Vidimus*] Quod de superbia dixit: Spes exemplo Goliæ ex primo Regum libro demonstrat.

Membris] Erat quippe procerus.

Animis] Animositate grandiloquus.

292 *Invalida manu*] David pueri debilis, comparatione Goliæ; cum alioqui robustissimus esset.

293 *Stridore fundali*] Missum ex funda cum stridore.

294 *Cavo vulnere*] Quia lapis descendit ad intimum cerebrum.

295 *Amarus*] Amarulentis utens verbis.

296 *Indomitum et formidabile*] Nomina sunt pro adverbiis.

297 *Dum territat auras*] Ex Virg. Æn. XI. 'Cælum territat armis.'

298 *Ludicra pueri*] Quia funda rem aliquam figere, puerorum ludus est.

299 *Bellator turbidus*] Præcipitanter omnia atque ex perturbatione faciens.

Teneris armis] Puerilibus: quia ætas tenera est.

300 *Secutus me*] Sc. spem majora indies exequendi.

Pube virtutis] Adolescentia sub virtutum exercitio educata.

301 *Tetendit*] Direxit.

Idola] Deorum gentilium cultus.

380 *Cedere*] Vinci.

Saltatrix ebria] Luxuria.

381 *Memores vestri*] Virtutis pristinæ.

382 *Vestra tribus*] Ex quo genere estis orti.

Quæ gloria] Quia 'non oportet gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi.'

Quis Deus et Rex] Quia solus rex regum et dominus dominantium.

383 *Germen Judæ*] Ad illum referendum est, quod dicit: 'Quæ sit vestra tribus.' Et est ordo: gloria David celeberrima excitet vos germen.

384 *Ad Dei genetricem*] Quia ab Abraham per Isaac, Jacob, Judam et cæteros Patriarchas propagata est genealogia materna Salvatoris.

385 *Longo sanguine*] Stemmate nobili, hoc est, adoptati estis in familiam Christi per baptismum.

386 *Excitet exemplis*] Hortatur suos milites Sobrietas ad pugnam capessendam contra Luxuriam, et primo de David rege, qui bellis gerendis omne tempus contrivit.

388 *Samuel*] Hoc ex primo Regum libro cap. xv. sumtum est, ubi Saul jussu Samuelis profectus contra Amalechitas, illos usque ad internecionem cecidit, nisi quod pepercit illorum regi Agag, et partem prædæ servavit contra præceptum Dei.

389 *Regem victum*] Sc. Agag.

390 *Præda superstes*] Aliquis, qui ex ea pugna fuisset reliquus.

391 *Victorem placidum*] Saul.

In prælia rediviva] Quæ inde postea renascerentur. Juven. 'Redivivus pullulet arca Nummus,' i. e. renascens.

392 *Tyranno capto*] Quia nihilominus Samuel jussit illum occidi. Contra, quam fecerunt David et Samuel.

394 *Per si qua*] Per jurantis est. Et est ordo: per reverentiam summi Numinis, i. e. Dei, si qua reverentia Dei movet nos.

396 *Proditione*] Quia proditis Deum vestrum: *sequentes dulce malum*, i. e. luxuriam.

397 *Pænituit Jonathan*] Ex eodem primo Regum libro cap. xiv. quomodo in pugna contra Philisteos Jonathan contra præceptum Saul patris, quod non audierat, gustavit mellis favum.

399 *Male gustato*] Quia contra patris adjurationem.

Regni voluptas] Quia in eadem agebatur de summa regni.

400 *Resolvit*] Violavit. Virg. Æn. iv. 'Quam te violem aut tua jura resolvam.'

402 *Patrias secures*] Quia Saul jubebat filium ex lege occidi.

403 *Conspirare*] Subaudi, mecum.

404 *Malesuada*] Quæ ad malum suadet. Virg. Æn. vi. 'Malesuada fames.'

407 *Ferventibus quadrigis*] Equis ardore percitis in pugnam.

408 *Lignum venerabile*] Adorandam crucem.

409 *Feroces*] Equi.

410 *Cornibus*] Brachiis, duo enim brachia crux habet extenta.

411 *Fusi*] Equi consternati perterrefactique objectu crucis.

412 *Per prærupta*] Loca aspera et in præcipitium posita.

413 *Auriga*] Quæ moderabatur currum Luxuriæ.

Reductis loris] Quia frustra retinebat contrahebatque lora.

415 *Dominam excussam*] Sc. ipsam luxuriam ex curru dejectam.

418 *De parte rupis*] Partem rupis ad magnitudinem lapidis molaris.

419 *Vexillifera*] Sobrietati signum Crucis pro vexillo ferenti.

Hunc ictum] Sc. lapidis molaris.

420 *Belli insigne*] Vexillum Crucis.

421 *Casus*] Fortuna, imo providentia quædam divina.

Spiramen oris] Quia spiramus ore.

422 *Palato recavo*] Ipsius ore cælo concavo.

423 *Resolutis*] Dissipatis et confusis intra oris inanitatem.

Gulam resectam] Ingluviem, qua ci-

bos glutimus, ictu lapidis pertusam.

425 *Crudescit*] Ex cruditate redundat.

426 *Colliquefacta*] Fracta et comminuta.

Offas] Frusta sanguinis, ossium, et carnis.

427 *Proprium*] Tuum.

428 *Virgo*] Sobrietas.

Hæc fercula] Sensus est: 'Oportet eos, qui ætatem in deliciis consumserunt, exitus vitæ tristis sequatur.'

429 *Præteriti sub luxibus*] Transacti in voluptatibus.

430 *Gustus amaræ mortis*] Et quod idem est, *sapor ultimus*.

Illecebras] Blanditias.

431 *Asperat haustu horrifico*] Asperiores reddit et exacerbat.

432 *Cæde ducis*] Morte luxuriæ.

433 *Nugatrix*] Vana et nihil agens.

Et petulantia] Quæ et ipsa in comitatu Veneris sive Luxuriæ est.

434 *Talibus armis*] Sc. cymbalis.

435 *Meditantes vulnera*] Exercentes prælia. Juven. 'Statua meditatur prælia lusca.'

Sistro] Tuba proprie in sacris Isidis.

436 *Amor*] Et ipse Veneris filius in comitatu quoque Luxuriæ versatus.

Tela] Sagittas.

437 *Arcum et pharetram*] Quæ sunt illius insignia.

439 *Ostentatrix*] Quæ non ad veritatem, sed ad ostentationem, et ad id, quod videtur ad præsens, vivit.

440 *Exuitur peplo inani*] Veste, qua prius videbatur sibi pudenda tegere; quæ tamen in fine denudantur.

441 *Venustatis*] Veneris, sicut e contrario Venus pro venustate.

Aurum colli et verticis] Monilia et discriminalia ex auro.

442 *Discordia*] Tumultus et trepidatio in castris, quia nihil est tam dissonum, quam sunt vitia inter se.

443 *Per fruteta*] Per loca fruticosa et vepribus aspera.

Pedibus attritis] Cùm antea non nisi mollia calcarent.

445 *Fugam*] Fugæ labores et difficultates.

446 *Perdurat*] Active, i. e. duras et tolerantes laboris reddit.

Cruciabile] Crucians, active.

447 *Agmen fugax*] Exercitus Luxuriæ fugitivus.

448 *Damna jacent*] Spolia sparguntur.

Acus crinalis] Qua crines discriminantur.

449 *Flammeolum*] Velamen, quod novis nuptis ante faciem prætenditur.

Strophium] Quod tum capitis diadema significat: ut Virg. 'Necte caput strophio:' tum fasciam pectoralem; ut Catul. 'Non tereti strophio luctantes vincta papillas.'

451 *Exuviis*] Spoliis ex hostibus.

452 *Scandala*] Offendicula; sic enim scandalum Græce, Latine interpretatur: sunt enim omnia hujusmodi ornamenta occasiones quædam ad vitia.

453 *Connivente*] Saltem annuente.

454 *Fertur Avaritia*] Certamen Misericordiæ vel potius Liberalitatis cum Avaritia: et quia dixerat paulo ante, post victoriam partam de Luxuria, 'campum relictum hostium exuviis plenum;' dicit nunc Avaritiam eo descendisse, sinusque spoliis implevisse.

Præcincta gremio] Ita ut ex sinuosa veste amplum receptaculum faceret.

455 *Luxus edax*] Omnia consumens: ut Virg. 'Ignis edax.'

Unca] Ad rapiendum habens digitos aduncos.

456 *Ad ludibria pulchra*] Ad dicta spolia, homines ludentia.

457 *Inhians*] More nimis cupientium.

459 *Infarcire*] Inculcare, id quod alioqui jam plenum; sc. loculos et crumenas.

460 *Distendere*] Implere atque infarcire. Virg. 'Distentant ubera vaccæ.'

Fiscos] Fiscinas sive fiscellas ex sparto; in quibus reponebantur pecuniæ ex ære, præsertim ex publicis vectigalibus. Juven. 'Et ærata multus in arca Nummus.'

461 *Tegit*] Proprium avaritiæ occultare divitias.

462 *Oprimento*] Syncopam fecit pro operimento.

463 *Ungues ahenos*] Rigidos et duros acutosque ad rapiendum.

464 *Cura*] Quos habeat comites Avaritia.

466 *Eumenides furiæ*] Quibus exagitatur.

Monstri] Avaritiæ.

467 *Nec minus*] Quid Avaritia in bello cogat mortales facere.

468 *Grassantia*] Sævientia.

Campo] In quo pugnandum est.

469 *Nigro lacte*] Cum alioqui sit album.

470 *Ceraunis*] Species pro genere; neque enim Ceraunus lapis adeo est preciosus.

471 *Germanus commilito*] In eadem parte exercitus; quod execrabilius est.

472 *Exerere*] Stringere in fratrem.

Socio] Ejusdem partis fautori; quod, ut diximus, magis est impium.

475 *Cingula fulgentia bullis*] Balthea.

477 *Civilis discordia*] Quia hæc avaritiæ crimina in bellis maxime civilibus contingunt.

Prædam cognatam] Ex spoliis cognatorum.

478 *Propriis pignoribus*] Etiam propriis filiis.

479 *Suos natos*] Idem dicit, sed aliis verbis.

480 *Victrix orbis*] Quæ totum orbem suis moribus infecerat.

Funera] Crimina.

482 *Vulneribus variis*] Quia alios alia via decipit. Unde subdit: 'Nunc lumine ademto.' obcæcat enim illum, ut nesciat distinguere turpe ab honesto.

483 *Effossis oculis*] Sc. mentis.

484 *Offensacula*] Obices, quibus incurrat, et in quos pedes impingat.

485 *Baculo*] Si non oculis ducibus, saltem baculo. itaque omni ope illum destituit, ne possit cernere verum.

486 *Intuitu videntem*] Faciens ea, quæ videat, ut appareant meliora appetibilioraque, quam sint.

488 *Excipitur telo*] Quasi ex insidiis. Virg. Æn. VI. 'Æmulus exceptum Triton.'

Incautus] Nihil tale timens.

Sub occulto cordis] Sub occulto corde.

489 *Suspirat saucius*] Videns jam se sub Avaritiæ dominio: sed jam non posse redire in pristinam libertatem.

Adactum] In intima pressum.

490 *In aperta incendia*] In manifesta pericula.

491 *Æstuat*] Ardet.

492 *Speculator avarus*] Qui videt res preciosas incendio perire.

494 *Occupat interitu*] Interimit.

495 *Terrarum*] Hominum in terra viventium.

Ævum populi mundani] Vitam hominum.

496 *Gehennæ*] Morti æternæ.

498 *Sacerdotes domini*] Quos sacerdotes significet, non ausim dicere; an Heli, cujus filios corrupit? nam de Samuele, Achimelech, Abiathar, Sodoc, non est dignum credere. Post Judam Asmonai, i. e. Machabæum, quod interpretatur pugnax, omnes Avaritia prope subegit.

499 *Pro laude virtutum*] Non pro sua gloria.

500 *Classica*] Tubas ad prælium animantes.

501 *Et fors*] Forte fortuna.

Tinxisset ferrum] In sententiam suam illos traxisset.

502 *Ratio armipotens*] Imo quæ po-

tentior est omnibus armis.

Una comes fida] Quæ sola semper comitata est sacerdotes.

Gentis Levitidis] Sacerdotum, qui erant de genere Levi. A Levita namque pro genere feminino Levitis, Levitidis, dicimus.

504 *Ab incursu atræ hostis*] Invasione turpis avaritiæ.

506 *Fortes animi*] Subaudi, sacerdotes.

In cute summa] Quia vulnus non descendit ad vivum.

507 *Perstringens*] Leviter tangens.

Paucos] Sc. ex sacerdotibus, qui aliquando in parvis ab avaritia corrumpuntur.

508 *Lues improba*] Hominum pestis.

Castis] Non corruptis.

509 *Sua tela repelli*] Repercuti et non admitti.

Heroum] Sacerdotum, semideorum, de quibus scriptura dicit: 'Ego dixi, dii estis.'

511 *Vincimur*] Quia hoc genus hominum non possumus superare.

512 *Vim solitam*] Qua antehac omnes superabamus.

513 *Sueverat*] Consueverat.

514 *Ferrea*] Dura et impenetrabilis.

515 *Rigor*] Duricia.

Æra] Pecunias.

516 *Nostro auro*] Quo omnes expugnare consuevimus.

517 *Neci dedimus*] Usque ad internecionem profligavimus.

Pectora tenera] Quod in genere dixit: 'Ingenium omne neci dedimus:' nunc per partes enumerat.

519 *Patuerunt*] Exposita et aperta fuerunt meis telis.

520 *Sola*] Quasi non et alia vitia plures demerserint in inferos: sed loquitur ex arrogantia, quod 'prope sola;' cum plures quam alia vitia in Styga detruserit.

Styx] Palus apud inferos, 'Dii cujus jurare timent et fallere numen.'

Avaris gurgitibus] Quia quæ semel voravit, nunquam remittit.

521 *Ditissima tartara*] Quippe in quæ omnia terminantur; unde et Pluto, Deus inferorum, Dis, i. e. dives appellatur.

Debent nobis] Quia ego illos transmisi illuc.

524 *Qui fit*] Quomodo fieri hoc potest?

Gloria pollens] Qua antehac ego pollebam.

Vires] Meas pristinas.

525 *Ludit lacertos*] In quibus nullæ mihi sunt vires ad torquenda tela, in Christianos præcipue.

526 *Effigies monetæ rutilantis*] Moneta aurea habens effigiem impressam.

527 *Emblemata argenti*] Vasa argentea, in quibus sunt imagines cælatæ; nam argumentum cælaturæ dicitur emblema.

528 *Honore nigrante*] Quia thesauri non habentur in precio apud illos.

529 *Docta fastidia*] Homines, thesauros fastidientes.

531 *Convivia Dei*] Christi contubernalis.

532 *Haut ignarum*] Conscium eorum, quæ Judas subripiebat.

533 *In nostrum telum*] Cum acceperit triginta argenteos, proditionis precium.

534 *Mercatus agrum*] Non ipse, sed illi, quibus ipse precium restituit.

Infamem agrum] Testem infamis proditionis.

De sanguine] De precio sanguinis Christi.

535 *Luiturus*] In pœnam soluturus.

Jugera] Precium, quo ager ille est emtus.

Collo eliso] Quia se suspendit laqueo.

536 *Viderat Jericho*] Ex Josue cap. VII. quomodo Achan fuit lapidatus a populo propter furtum ex præda hostili.

537 *Nostra manus*] Quia superavi Achan.

Victor] Expugnata urbe Jericho.

539 *Succubuit*] Victus a me.

540 *Legens anathema insigne*] Furto subripiens pallium coccineum, ducentos siclos argenti, &c. quæ erant domino consecranda, et separanda ab usu profano.

Vetitis] A Josue cap. VI.

541 *Haurit*] Subripit Achan.

543 *Juda*] Erat enim Achan ex tribu Juda, qui numeratur in genealogia Christi.

544 *Tali nepote*] Christo.

545 *Quis placet*] Pro, quibus placet: 'exemplum generis,' sumentis exemplum a suis majoribus.

Placeat forma] Quam ex illis imitentur.

546 *Eadem pœna*] Æque peccantes æque puniantur.

547 *Populares Judæ*] Ex qua tribu fuit Achan.

548 *Sacricolæ*] Aaron, qui fuit ex tribu Levi.

549 *Impar*] Ego.

552 *In habitum honestum*] Cum in proprio non posset fallere.

554 *Virtus frugi*] Frugalitas. Et totum hoc sumtum est ex Juvenale: 'Fallit enim vitium specie virtutis et umbra. Nec dubie tanquam frugi laudatur avarus, Tanquam parcus homo, et rerum tutela suarum.'

555 *Tanquam nil raptet*] Sed non satis est abstinere ab alieno, nisi etiam de proprio benefeceris.

556 *Ceu sedula*] Quasi diligens custos.

Artis adumbratæ] Virtutis non veræ, nam *virtus* et *ars* pro alterutro accipiuntur.

557 *Hujus specie*] Aut frugalitatis aut parsimoniæ.

558 *Non ut avara lues*] Pestilens avaricia.

Sed virtus parca] Parsimonia, quæ a liberalitate paululum declinat ad avaritiam.

559 *Pietatis tegmine*] Sub colore acquirendi filiis; in quos est patrum pietas.

560 *Crines anguineos*] Quos Avaricia quasi Furia habet.

561 *Furori*] Acquirendi.

562 *Rapere*] Rapinam.

Clepere] Furtum: nam 'clepo' est furor.

563 *Jactat*] Fingit.

Dulci] Honesto.

564 *Corda male credula*] Quod malum est, credentia.

565 *Monstrum ferale*] Avaritiam.

566 *Impia Erinnys*] Furia, h. e. avaricia.

567 *Manicis*] Improprie pro vinculis posuit.

Consensu faciles] Consentientes se vinciri, quasi sit figura synecdoche, quæ non consuevit fieri per verbum activum; Sed melius est, ut legas, *consensu facilis.*

569 *Nutabat*] Dubitabat.

Biformis portenti] Avaritiæ sub honesta specie ad malum suadentis.

571 *Letum versatile*] Subaudi, erat. quia dubitabat acies virtutum, pro qua parte occumberet.

572 *Lubricat visus*] Huc atque illuc volvit oculos; quod ipsum dubitantis est, quid faciat.

573 *Miseratio*] Quam autor opponit Avariciæ.

574 *Auxilio sociis*] In auxilium sociorum.

575 *Postrema gradu*] Sed in hac pugna futura victrix.

576 *Triste*] Timendum ab hoste.

577 *Omnibus ibat*] Nimirum quæ omnia pauperibus bona sua elargita est.

Onus] Divitiarum.

578 *Fasce*] Onere. Virg. 'Ego hoc te fasce levabo.'

580 *Libera*] Expedita et exonerata.

581 *Bene prodiga*] Quia etsi prodigalitas vitium est atque vituperabilis; hæc tamen laudanda est.

582 *Loculos inanes*] Facta pauper, sed dives fide.

583 *Numerans summam æternam*]

Expectans, quasi rem jam manibus teneat.

Fenore redituro] Quia pro simplis centena reddentur.

584 *Fulmen invictæ virtutis*] Miserationis impetum animique vigorem.

586 *Certa mori*] Præ desperatione vincendi.

Quæ via fraudis] Nullus est relictus locus dolo.

Ut ipsa calcatrix mundi] Divitiarum contemtrix.

588 *Spreto auro*] Quo solo avaricia alios consuevit superare.

589 *Virtus fortissima*] Miseratio.

590 *Nodis ulnarum*] Comprimens illam inter brachia.

591 *Exanguem*] Mortuam.

592 *Vincla lacertorum*] Eadem vincula et comprimebant lacertos, et guttur sub mentum, et extinguunt animam.

593 *Nullo vulnere*] Sed tantum vinculorum compressione.

594 *Palpitat*] Per partes corporis tremit.

Intercepto aditu] Intercluso meatu spirandi.

595 *Carcere venarum*] Quia non exhalavit animam per fauces: sed intercluso spiramento quasi in carcere extincta est; et loquitur de anima non qua sentimus, vivimus, et intelligimus, quæ immortalis est: sed de anima, qua spiramus et respiramus. Persius: 'Pulmo animæ prælargus anhelet.'

596 *Reluctanti*] Avaritiæ.

597 *Perfodit*] Transverberat.

Ilia anhela] Nam partes illæ potissimum spiritu intenduntur et remittuntur.

598 *Sordida spolia*] Turpiter acquisita.

599 *Frusta auri rudis*] Non formati in nummos aureos. Et est appositio ad id, quod dixit, 'spolia.'

600 *Marsupia exesa*] Corrupta et nimia attritione consumta.

601 *Nummos virides*] Quia pecuniæ ex ære contrahunt æruginem quandam viridem.

602 *Diu servata*] Ab avaritia.

603 *Dissipat*] Dividit.

Tenues] Pauperes.

Munere captivo] Quod ex hoste avaritia cepit.

604 *Coronam*] Milites suos in circuitu assistentes.

608 *Ingluvie*] Voracitate pecuniarum in avaricia.

609 *Summa quies*] Maxima tranquillitas animi.

Super] Ultra.

610 *Simplex alimonia*] Quæ sufficit intra naturæ fines viventi.

Una vestis] Ex Evangelico consilio: 'Qui habet tunicas duas, det unam non habenti.'

611 *Recreet*] Ad id, quod dixit, *simplex alimonia*, refertur.

612 *Non trahat extra*] Quisquam non transgrediatur.

Modum naturæ expletum] Finem; cum natura habet, quod satis est ad necessitates victus et vestitus.

613 *Peram ne tollito*] Consilium quoque Evangelicum.

616 *Redeunt cum sole*] Quod fit providentia quadam divina.

617 *Cras cogitet*] De crastino solicita sit.

618 *Non anxia*] Sine cura.

Credat se pascendam] Quod non deficiet sibi cibus.

619 *Viles*] Parvi precii.

620 *Subest fides*] Credunt.

Modico asse] Ad illud, quod Evangelista dicit: 'Duo passeres asse veneunt.' Et alius: 'quinque passeres veneunt dipondio.'

622 *Tu cura Dei*] Cujus peculiarem curam habet Deus.

Facies Christi] Ad cujus similitudinem factus es.

624 *Vitæ dator*] Et hoc de jure naturali.

625 *Luciferum*] Cælestem et spiritalem.

Dogmate cælesti] Ex Salvatoris nos-

tri sententia, qui ait: 'Operamini cibum, qui non perit.'

626 *Multiplicans spem*] Quia omnis illius spes ex futuro sæculo pendet.

628 *Indiga*] Indigentia cibo, potu, et vestitu.

629 *His dictis*] Hemistichion est Virg. Æn. VI. 'Metus et labor,' &c. hæc in comitatu avaritiæ erant.

630 *Inficiatrix*] Negatrix et adversa.

Fidei placidæ] Quæ conciliat homines inter se ut placide vivant.

631 *Vertere solum*] Fugerunt; quanquam vertere solum, proprie est fugere ob debita.

Pax] Quæ secuta est post victoriam.

632 *Discinditur*] Dissipatur.

633 *Exfibulat ilia*] Pro refibulat et resolvit quasi loricam.

634 *Vestis defluit*] Quod in pace fit. nam in pugna vestes præcinctæ sunt. Virg. Æn. I. 'Vestis pedes defluxit ad imos.'

635 *Privata modestia*] Privatam vitam agens, i. e. non ductans exercitum.

636 *Placabilis*] Qui prius erat iratus.

Implet vaginam] Reponitur.

638 *Suda*] Serena. Virg. Georg. IV. 'Ergo ubi ver nactæ sudum.'

Liquidæ] Puræ et defæcatæ.

640 *Vultum tonantis*] Deum adesse.

641 *Arridere*] Pro arridebant invicem.

642 *Gaudere*] Pro gaudebant.

643 *Aperire arcem et portum profundum*] Quia portus quo profundior, eo securior est. Ponit autem 'portum' pro regno cælesti, quo omnes tendimus.

644 *Dat signum*] Jubet canere receptui.

645 *Cogi*] Plicata reponi.

646 *Tanta species*] Victoriæ pulchritudo.

Nec par decus] Æqualis honore.

647 *Bifida agmina*] In duas partes divisa, peditum et equitum.

648 *Duceret*] Concordia.

650 *Non aliter cecinit*] Comparatio est, quod post victoriam partam de avaritia sic cecinit Dei laudes victor exercitus; quemadmodum Israël, cum vidit insequentes Ægyptios in mari submersos. Exod. XV. cap. 'Tunc cecinit Moses et filii Israël,' &c.

Hiantem rabiem ponti] Pontum in duas partes fissum.

653 *Litora ulteriora*] Quæ erant ex adverso litoribus Ægyptiorum.

Per extima calcis] Extra pedes Hebreorum. nam extimus, a, um, ab extra deducitur in forma superlativi.

654 *Mons aquæ pendentis*] Virg. Æn. I. 'Insequitur cumulo præruptus aquæ mons.'

655 *Nilicolas*] Ægyptios, qui fere omnes habitant juxta Nilum.

657 *Arenas nudas*] Cum apertum erat mare.

658 *Plectro*] Quo tympana pulsantur.

659 *Turba Dei*] Israël.

660 *Liquidas*] Puras et purgatas: et posuit 'ripas' pro litoribus.

661 *Subsistente procella*] Pendenti procelloso mari, facto hinc inde pariete.

662 *Crescere*] In longum, qua ituri erant, aperiri.

Globos] Maris undas globosas.

663 *Resultant*] Resonant.

665 *Ventum erat*] Exercitus post victoriam venerat.

Ad fauces] Ad angustias.

Portæ castrensis] Portam prætoriam dicit, et erat *decumana et principalis.*

666 *Bifori cardine*] Quia valvæ duæ sunt ostiorum plærunque.

667 *Inopina*] Subita et non prævisa.

Astu] Astutia et dolo discordiæ.

668 *Invida turbatrix*] Ea erat discordia, quæ invidit paci, quæ secuta est victoriam superiorem.

670 *Inter confertos*] Inducit pug-

nam Concordiæ cum Discordia.

Confertos cuneos] Condensatos ordines militum.

671 *Concordia stipata*] Ab omni parte armatis circumdata.

Manibus] Aut castrorum, aut alicujus urbis, in qua triumphaturi erant.

672 *Excipit occultum mucronem*] Vulnus accipit ab ictu.

Vitii latitantis] Discordiæ.

673 *Texta squalentia*] Thoraces sive loricæ in modum squamarum contextæ.

674 *Catenato sub tegmine*] Contexto conflamine, ut sic dixerim.

675 *Vulneris*] Ensis sive teli.

Hamis] Ex quibus lorica contexta erat.

Sutis] Contextis. Virg. Æn. v. 'Lævibus huic hamis consertam auroque trilicem Loricam.'

676 *Respuerent*] Repellerent.

Fila tenacia] Quibus hami loricæ connectebant per nodos.

677 *Impactum*] Viribus adactum et impulsum.

678 *Commissura rara*] Qua parte loricæ membra committuntur, i. e. conjunguntur.

Transmittere calybem] Diloricare juncturam illam.

Puncto tenui] Levi punctura.

679 *Qua sese*] Exponit, qua parte lorica admisit vulnus.

Extrema squama] Loricæ ora.

680 *Sinus conserit oras*] Medium illud jungit extremitates.

681 *Pugnatrix subdola*] Sc. discordia.

682 *Incautis*] Nihil tale caventibus.

683 *Culparum*] Vitiorum.

684 *Sociam*] Nobis amicam.

685 *Structum serpente multiplici*] Textum ex implicatis serpentibus.

687 *Ipsa læta*] Simulans se lætam.

Olea frondente] Quæ in tutela pacis est; atque pacem petituri illam præferebant.

691 *Petens fraude tristi*] Ab effectu; quæ tristiciam victoribus attulit.

692 *Extima*] Exterior, non interior.

Summo tenus tactu] Leviter perstringens. Virg. 'Summo tenus attigit ore.'

695 *Latet hic*] Sc. in castris pacificis.

696 *Vibrat*] Torquet jaculaturque.

697 *Sedasse*] Pacasse et ad tranquillitatem reduxisse.

698 *Omne sanctum receptum*] Omnes virtutes a periculis liberatas et restitutas.

700 *Convertere oculos*] Sc. ad verba Concordiæ.

Index vulneris] Appositive; i. e. qui cruor signum erat vulneris.

701 *Ferrata de veste*] Lorica ferrea.

Hostem] Discordiam.

702 *Pallor conscius*] Ex conscientia sceleris peracti proveniens.

703 *Reatus*] Pro, culpæ, ut juniores accipiunt: cum reatus sit ejus, qui postulatur coram judice sive juste sive injuste.

704 *Manus depressa*] Sc. in crimine.

Albens] Ad albedinem vergens, i. e. ipsa pallida tremit.

705 *Strictis mucronibus*] Evaginatis ensibus. Virg. 'Stat ferri acies mucrone corusco Stricta parata neci.'

707 *Et genus et nomen*] Quinque sunt, quæ a discordia quæruntur, genus, nomen, patria, religio, quis illam misit. Ad quæ omnia respondet.

708 *Cujatis jussu*] Pro, cujus; derivativum pro primitivo.

709 *Discordia dicor*] Ecce nomen.

710 *Heresis*] Ecce genus. nam cognomentum commune est multorum.

Discolor] Varius.

713 *Numen*] Verus Deus; sed cum ludit, non cum revera fatetur.

716 *Regina virtutum*] Quia illarum est fundamentum.

717 *Pilo*] Telo Romanorum proprio, cujus ferri acumine illius transfixit linguam.

719 *Carpitur*] In partes laceratur.

720 *Frustatim*] Per frusta.

722 *Cloacis immundis*] Quæ sunt emunctoria, per quæ sordes urbis expelluntur, partim ex latrinis, partim aliarum sordium colluvione. Columella: 'Immundis quæcunque vomit latrina cloacis.'

723 *Monstris marinis*] Maris piscibus ad devorandum. sed appellat monstra, quia diversarum formarum quotidie in mari reperiuntur aquatilia.

724 *Fœdis animalibus*] Carnivoris et feris.

727 *In commune*] Ordo est: 'Contingit, sensus pacificos plebis tranquillæ frui hac statione,' i. e. vigilia sive loco in castris, ubi milites stant expediti.

728 *Foveri vallo*] Recreari intra castra, vallo, fossa, propugnaculisque munita.

730 *Tribunal*] Suggestum unde concordia ad populum concionatura erat.

731 *Tumulus excitat in speculam*] Erigit in cacumen, sive montis verticem, unde specular in omnes partes quispiam posset.

732 *Unde*] Ex qua specula.

733 *Liber*] Expeditus.

735 *Juratæ*] Conjuratæ.

736 *Hunc apicem*] Hunc montis verticem.

737 *Par sanctum*] Quia ambæ inter se pares erant. Sanctum quoque et charum sibi dixit, quia de duobus inter se certantibus proprie dicitur. Horat. Ser. I. 'Rupili et Persi par pugnat.'

Supereminet tribunal] Eminet super tribunal.

739 *Conspicuæ*] Ab omnibus conspiciendæ.

Frequentes] Crebros et condensatos.

741 *Nulla latet*] Sensus est: Usque adeo omnes alacri animo concurrebant ad concionem; quod nulla erat animi pars, quæ non gestiret in lætitiam.

Iners] Ociosa.

742 *Intersepta*] Circumclusa.

Ullo sinu corporis] Quæ animæ pars aliquando solet recipere se ad intima, cogitandi aliquid aut contemplandi gratia.

Tegat sese] In tanta celebritate recolligat sese.

Per conceptacula] Per interiores recessus.

743 *Languore degeneri*] Inertia.

744 *Velis*] Tentoriorum tabernaculorumque.

745 *Ne quis marceat*] In tanta solennitate dormiat in loco abdito.

746 *Concio*] Qui venerunt ad concionem quasi concilium.

748 *Virtutibus*] Sc. aliis atque illarum studiosis.

749 *Prima*] Prior; quia de duobus loquitur.

750 *Cumulata*] Cumulate parta.

751 *Pignora*] Filii.

753 *Barbaries*] Vitiorum barbarus exercitus.

Sanctæ urbis] In qua boni habitant.

754 *Indigenas*] Incolas ibidem genitos.

755 *Publica requies*] Sensus est, quod concordia publica constat ex amicitiis privatis.

Publica requies] Civitatis tranquillitas.

Rure et foro] Intra urbem et extra urbem.

756 *Scissura*] Discordia.

757 *Quod dissidet intus*] In domibus privatis discordat.

Titubat foris] Fluctuat in Repub.

759 *Sensibus in vestris*] Intra nos.

Exotica] Extranea et peregrina opinio.

Odiis tectis] Occultis inimicitiis.

760 *Nascatur*] Et quod est consequens, invalescat.

Voluntas scisa] Non uniformis, sed discors.

761 *Biformia*] Ambigua et incerta.

Fibris variis] Intimis præcordiis variantibus.

762 *Conjungat amor*] Christi caritas conciliet et consentire faciat.

Quod vivimus] Tota vita nostra.

763 *Uno studio*] Quia idem velle et idem nolle, ea est vera charitas.

764 *Utque homini*] Similitudo est; quod quemadmodum Christus, mediator Dei et hominum, conciliavit nos Patri, ita Spiritus debet conciliare partes intra nosmetipsos dissidentes.

765 *Mortale*] Genus humanum, vel potius humanam naturam.

Nec carnea distent spiritui] Humanitas a divinitate.

768 *Unimodis compagibus*] Juncturis utraque unum facientibus.

770 *Belli exacti*] Finiti, et pericli subevitati.

771 *Sidera pace*] Quia in cælo nulla est perturbatio, sed summa quies atque constantia.

Terrea] Homines in terra habitantes.

Consistunt pace] Quemadmodum dissipantur discordia.

772 *Sine pace*] Sine animi tranquillitate et odii vacuitate.

773 *Non probat*] Sc. Deus. Ex Matth. cap. v.

774 *Impacati*] Non habentis pacem cum proximo.

Antro] Recessu cordis penetrali. et accipit pacem pro caritate.

775 *Ignibus flammivomis*] Quod Apostolus: 'Si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.' 1 Corinth. XIII.

776 *Servans inamabile votum*] Non habens charitatem.

777 *Bile sub obliqua*] Iratus proximo.

Prosit] Nec prosit IESU Christo vitam dedisse.

778 *Clausula*] In qua includitur omnis Christiana virtus, quæ sola meritoria est.

Pax] Pro, charitate; ut sup.

781 *Offensacula donat*] Remittit offensas.

782 *Præcurrere occasum*] Anteaquam Sol occidat. Ex Apost. Eph. IV. 'Sol non occidat super iracundiam vestram.'

783 *Anxia*] Solicita.

Sol conscius] Tu, Sole teste, non relinquas irasci.

784 *Litare Deo*] A Deo aliquid sacrificio impetrare: nam illud est *litare.*

787 *Liquido odore*] Alludit ad Judæorum holocausta, ex quibus incensis ascendebat fumus ad dominum, quasi illum oblectaturus. Liquidum vero appellat odorem, ex flammis resolutum. Pers. 'Tot tibi cum in flammas junicum omenta liquescant.'

788 *Columbis niveis*] Ex Evangelio Matth. x. 'Estote prudentes sicut serpentes,' &c.

789 *Colubrum plumatum*] I. e. prudentiam serpentis.

Tenera veste pennarum] Sub mollibus plumis columbarum.

790 *Ingenio rimante internoscere*] Inquirente dignoscere.

Mixtum] Quod se vult immiscere, ut decipiat.

793 *Rictus agninos*] Cum rictus proprie sint ferarum et carnivororum animalium.

794 *Fotinus et Arrius*] Insignes hæretici.

795 *Discrimina nostra*] Quando paulo ante vulnerata sunt.

797 *Dedit gemitum*] Recordata vulneris a Concordia accepti.

799 *Hæc subdidit*] Cœpit loqui.

Secundis] In pacificis.

801 *Defensa fide*] Quia illam tutata sum.

802 *Sua vulnera ridet*] Nihili facit, me comite.

803 *Sola salus*] Quia, hac sospite, ego ero sospes.

Hac recepta] A periculo liberata, ut supra.

804 *Unum opus*] Sc. constructio et dedicatio templi, sive cælestis Jerusalem: quæ non ex lapidibus manu quadratis, sed ex beatorum animis construenda est.

805 *Quod*] Scil. opus, i. e. templum; per quod significabatur templum hoc spirituale.

Heres regis belligeri] David viri in bellis exercitatissimi, ut in primo et secundo Regum legitur.

807 *Solomon pacifer*] Hoc enim Solomon interpretatur, i. e. pacificus.

Genitoris anheli] David in bellis defatigati.

808 *De sanguine calido*] Atque ideo noluit Deus, ut ab eo templum ædificaretur. Unde 1 Paralip. c. XXVIII. ‘ Non ædificabis mihi domum, eo quod sis bellator, et sanguinem multum effuderis.’

809 *Fundatur*] Fundari debet.

810 *Domus Christi*] Familia Christianorum.

811 *Hierusalem diva*] Cælestis, quæ terrenam designat.

Templo quieto] Pacifico: quia Hierusalem visio pacis interpretatur.

812 *Suscepit Deum*] Ut in ea, i. e. animis fidelium, habitaret.

Arca circumvaga] Habitans ex Philistinorum tabernaculis in domo Obededon, quoad templum est illi ædificatum a Solomone. 2 Regum cap. VI. et VIII.

815 *Sanctorum sancta*] Sicut arca in templi sacrario fuit posita.

816 *Phalanges terrigenas culparum*] Vitiorum exercitum, qui ex terra habet originem nihilque sapit cæleste.

818 *Illapsus*] Descendens de cælo.

Purgati corporis] Quia non satis est, animam a vitiis purgatam esse, nisi ornetur quasi sponsa sponso.

819 *Egenus templi*] Non quod eget Deus tali templo, juxta illud Psal. XV. ‘ Bonorum meorum non eges.’

820 *Sudatum est*] Elaboravimus in profligandis vitiis.

Alternis] Diversarum partium.

821 *Toga*] Vestis, cujus erat usus tempore pacis.

823 *Regina*] Fides.

825 *Metatura*] Graphice descriptura more eorum qui ædificaturi sunt.

Templum novum] Juxta illud Apocal. XXI. ‘ Hierusalem novam descendentem de cælo.’

826 *Arundo*] Hæc metiendi templi ratio ex Apocal. tota sumta est.

827 *Quadrent*] In formam quadrati consentiant.

828 *Angulus impar*] Acutus et obtusus, i. e. major et minor recto.

Commissuris distantibus] In distantia commissurarum, ubi duo latera in angulos coëunt.

829 *Mutilet normam*] Defraudet non consentiendo cum illa. Est autem norma Hispane *el Cartabon*.

Argutam] Ingeniosam; quia deprehendit errata.

Symmetra dissona] Commensurationes discordantes.

830 *Aurora*] Clara est descriptio ternarum a quatuor mundi lateribus portarum.

834 *Saxum structile*] Quale aliorum ædificiorum.

835 *Sed gemma cava*] Ut ex foratura in ædificio possit colligari.

837 *Vestibulum penetrabile*] Per quod introitus est ad templi penetralia.

839 *Nomina bissena*] Duodecim Apostolorum.

840 *Spiritus his titulis*] Quid sibi velint nomina duodecim Apostolorum, ostendit, dicens, quod spiritus, i. e. sensus spiritualis, &c.

Arcana] Secreta quædam mystica.

His titulis] Sc. duodecim nominum.

841 *Ambit*] Inquirit.

Vocat in præcordia] Ad intimam cogitationem reducit.

Electos] Exquisitos.

842 *Quaque hominis*] Ordo est: ‘ Spiritus adit aram cordis;’ quia ‘ sacrificium Deo spiritus contribulatus, et cor contritum.’

Qua viget natura hominis] Quia a corde est fons et origo totius vigoris.

843 *Trinis ingressibus*] Subaudi, ab unoquoque quatuor laterum, ut ter quatuor reddant numerum Apostolorum.

845 *Agat*] Regat.

Ephebos] Adolescentes.

846 *Ævi consummabilis*] Ætatis consummatæ et perfectæ.

847 *Ætas Boreæ*] Senecta, quæ respondet illi parti diei, in qua Sol ab occasu tendit ad septentrionem. Sed posuit anapestum pro spondeo sexto loco.

848 *Ad pia sacra*] Quia ætas senilis religioni vacare debet.

849 *Trinum*] Portarum.

Ad quadrina compita] Quatuor laterum concursus.

851 *Totidem gemmarum*] De quibus in Apocal. cap. XXI.

852 *Animas colorum viventes*] Colores vivos, per quos animæ designantur.

853 *Profundo liquido*] I. e. fundamentis, medio et diaphano et pellucenti.

854 *Interlitus auro*] Habet enim Chrysolitus maculas aureas; unde et nomen.

856 *Distantes honores*] Pulchritudines, i. e. ex varietate colorum. Virg. Æn. I. 'Lætos oculis afflarat honores.'

857 *Hebes*] Subobscurus.

Perfunditur] Ejus color excitatur.

859 *Lapis*] Sc. cyaneus. hic est, quem sæculo nostro 'turchium' dicimus, propter stagna cyanea quæ sunt in Ponto sive in Sicilia; unde dictus lapis, ut vult Poëta.

Ostro aquoso] Purpura marina.

863 *Lux herbida*] Coloris herbacei lapis.

Fluctus vagos] Colores fluctuum marinorum, qui virides sunt. Martial. 'Duasque similes fluctibus pares gemmas,' de smaragdis loquitur.

865 *Chrysoprase*] Gemma viridis, maculas habens aureas: unde nomen habet.

Sidus] Sideris splendorem. Columella sic dixit: 'Terrestria sidera flores.'

866 *Machina funalis*] Trochlea et epagon dicitur a Græcis.

Vinclis gravibus] Crassis et robustis funibus.

869 *Crystalli algentis*] Quia crystallus est aqua congelata, et lapis, qui ex mediis nubibus eruitur.

Rupe vitrea] Nivibus et glacie congelata.

870 *Quarum edita*] Altitudinem columnarum, i. e. culmen.

871 *Casus in conum*] Formatus in cacumen; quod a Græcis epistylium; Hieronymus capitellum interpretatur.

872 *Subductum capita*] Habentem capita subducta, i. e. a parte inferiori excavata: et sinuosa, in speciem conchæ, i. e. striatæ: petasum Græci vocant partes, quæ ex columnæ epistylio propendent.

Quem] Sc. calculum albentem.

874 *Fides pararat*] Comparavit. Hic est ille calculus, qui in Evangelio dicitur 'pretiosa margarita, quam qui invenit homo, abiit et vendidit omnia quæ habuit, et eam emit;' per quam Christus intelligitur.

875 *Hoc solio*] Templo, in quo est solium.

877 *Tutandi hominis*] Humanæ Reip. conservandæ.

878 *Sceptrum*] Insigne regium.

879 *Lignum vivum*] Semper virens.

880 *Humor alat*] Per radices.

881 *Viret fronde*] Habet frondes virides.

Sanguine incolumi] Vigente et non corrupto; ut rosæ imitentur sanguinis vivi colorem.

882 *Miscet lilia*] Cum sceptri frondibus.

883 *Collo marcenti*] Languido; quod fit cum lilia flaccescunt.

884 *Forma hujus sceptri*] Virga Aaron fuit similis huic sceptro.

885 *Quod*] Sc. gestamen Aaron, i. e. virga.

Trudens] Emittens. 'Germinavit virga Aaron, et turgentibus gemmis eruperant flores, qui foliis dilatatis in amygdalas deformati sunt.'

886 *Explicuit tenerum decorem*] Sparsit flores teneros nimia pulchritudine.

Spe pubescente] Flore, in quo est fructus, germinante.

887 *In novos fetus*] Sc. amygdalinos.

888 *Reddimus*] Conclusio est operis, conveniens principio.

Reddimus] Agimus atque repetimus.

Indulgentissime] Qui nos molliter et delicate tractas.

889 *Meritos*] Debitos.

890 *Nam cor*] Q. d. corde non possumus, quia indigni; igitur ore.

891 *Tu nos*] Sensus est: tu fecisti, ut cognoscere possemus hanc compugnantiam animæ secum: id quod intra nosmetipsos sentimus. Ordo est: tu voluisti nos agnoscere.

Pericula latebrosa] Unde imminet nobis periculum latens.

Operti corporei] Quod occultum intra nos latet, de quo Psal. 'Ab occultis meis munda me.'

892 *Luctantis*] Secum compugnantis.

895 *Crescere*] Vincere rationem.

896 *Ad juga deteriora*] Vinci et trahi sub jugum peccati.

900 *Animam incaluisse Deo*] Cum superavit vitia.

Tepefactum] Ex ardore illo divino remissum.

902 *Cessisse*] Fuisse victum.

Stomacho tetro] Turpi sensu, i. e. male sentiendo.

903 *Ossibus*] Intra nos ipsis medullis.

904 *Non simplex*] Quia ex altera parte rationalis, ex altera irrationalis pugnat.

Viscera] Pars irrationalis, quæ corporis contagio tendit in malum.

906 *Æditus afflatu sereno*] Cælestem habens originem.

908 *Lux et tenebræ*] Ratio et appetitus.

909 *Duplex substantia*] Idem dicit.

Distantes] Diversas atque contrarias.

910 *Deus adsit*] Quia sine Dei gratia ex tali pugna non possumus evadere victores.

911 *Sede piata*] In regno cælorum.

912 *Peccatum regnaverat*] Sc. in homine.

913 *Atria templi*] Ut Deus in illo habitet.

Spectamine morum] Moribus spectatis, i. e. virtutibus perfectis.

914 *Oblectata*] Sc. animæ ornamentis: ut cum illa ineat nuptias.

915 *Sapientia*] De qua dicitur Proverb. IX. 'Sapientia ædificavit sibi domum.'

Æternum] Nomen pro adverbio. Virg. Æn. VI. 'Sedet æternumque sedebit.'

IN AURELII PRUDENTII CLEMENTIS,

VIRI CONSULARIS,

CATHEMERINON SCHOLIA

PER JOHANNEM SICHARDUM.

Præf. 18 *Jus civile bonis reddidimus*] Totam Juris civilis vim hoc carmine est complexus. Nam quum in civitate bene instituta certum oporteat esse respectum eorum, qui bene de Reipub. mereantur, et ob id sint beneficio digni; necesse est his leges esse amicas. In eos autem duriores, qui scelere se aliquo nobilitant; qui non tam dedecoris sui causa, quamvis id etiam, plectuntur, quam ut illis sublatis e medio, boni in ocio vivant. Verissime ergo Solon ille duabus maxime rebus Respublicas contineri dixit: Præmio et Pœna.

Hymn. xii. 115 *Quem te furoris præsule*] Vetus exemplar non *præsule*, sed *præside* habebat; quod Prudentio magis convenit.

ΠΕΡΙΣΤΕΦΑΝΩΝ.

Hymn. ii. 22 *Jam Xistus adfixus cruci*] Hic est Xistus, qui sextus a Petro Episcopatum Romæ sortitus erat, post Alexandrum, tempore Hadriani Cæsaris, anno ab hinc MCCCCV. ut testatur Eusebius in Chronicis.

Hymn. x. 1 *Romane, Christi fortis*] Supplicium Romani Martyris, quod Aldus seorsim Tragœdiæ nomine impresserat, ex industria inseruimus Coronatis, ne quis hoc putet negligentia factum. Nam quum exemplaria, quæ vidi, omnia ita haberent, modo quæ essent paullo vetustiora; tum etiam res ipsa cum argumento Coronatorum bene convenit. Quid autem Aldo in mentem venerit diligenti alioquin homini, sed in novandis facili, ipse viderit. Movit, opinor, id, quod alicubi Tragœdiam ipse appellat. sed hoc quam conveniat ad inscriptionem, non satis video.

165 *Pulset puellas verbere ictas*] Evandrum ex Arcadia instituisse ludicrum, Titus Livius scribit, ut nudi juvenes Lyceum Pana venerantes, per luxum atque lasciviam currerent, atque obvias puellas scuticis per jocum pulsarent, quibus stulte creditum est vulgo fecunditatem procurari. Meminit totius ludicri Ovidius in libris Fastorum.

177 *Ut tecum adorem feminas, ac mille mares*] Longum est recensere stupra eorum, qui olim sunt pro Diis culti. Lactantius Firmianus multas enumerat myriades, quibus factum fuit, ut Deorum numerus antiquitus pene creverit in immensum, fueritque major cœlitum quam hominum: id quod Plinius ridens testatur lib. ii. Veteres enim quum urbium suarum conditores, aut generis autores, max-

imos vellent exteris videri, eos in numerum Deorum mox referebant: atque ita demum accidit, ut quum vel stuprorum, vel male consultorum colorem quærerent, ne vel putidas facerent origines suas, ac stultitiæ arguerentur, si quando res secus quam putabant accidisset, ad Deos referrent. Ita Romulus ex Marte nobis prodiit: et Alexander Magnus ex Jove Hammone, dum non invenit, quo matris adulterium celet, se genitum mentitus est.

203 *Laqueis minacis implicatus Juliæ*] Merito Jovem, si in jus vocetur, pœnam daturum scribit legi Juliæ, quæ in adulteros scripta fuerat. Vix enim alterius non modo Dei, sed ne quidem profligatissimi nebulonis tot reperias libidinis exempla, dum nunc in Dianam, aliquando in taurum, arietem, aquilam, cycnum, Satyrum, Amphytrionem, pastorem, serpentem, hominem, atque demum ubi his artibus non procedit, in ignem et aurum se transformat.

206 *Quid aureorum conditorem temporum*] Saturnum intelligit, qui dum Jovem filium fugit, Latio nomen indidit, eo quod isthic tutus a filii insidiis latuisset. Regnante autem Saturno, tam bene fuit actum de mortalibus, ut nullus tum sit inventus, qui furti argui posset. Unde et factum est, quemadmodum Macrob. testatur, ut Rom. ærarium in templo Saturni esse voluerint, tanquam a furibus, si ob nullam aliam causam, certe Saturni numine, tutum.

346 *Ædem sibi ipse mente in hominis condidit*] Hoc est nimirum, quod toties a Paulo nobis occinitur: 'Nescitis, quia templum Dei estis?' Non est enim ubi magis coli velit Christus, quam intra nosmetipsos: id consequimur, si sanctimoniæ studuerimus, sine qua nemo placebit Deo.

401 *O fas priorum motis, o prisci status*] Legendum est, *moris o prisci status*.

408 *Pompiliorum nostra carpunt secula*] Primus enim Numa Pomp. Romanos, bellis sanguineque gaudentes ad humanitatem reduxit, quam ex sacrorum ritu conatus est primum suis conciliare. Testis est T. Liv.

APOTHEOSIS.

201 *Consule et hircosos Cynicos*] 'Cynicos hircosos' dixit, ob barbitium, quod cum capris commune habebant, eo tamen tanquam insigni aliquo peculiari, maximi sibi sunt visi Philosophi. Pulchre ergo ei qui in hunc modum se jactabat, A. Gellius respondet: 'Pallium video, et barbitium, Philosophum vero non video.'

PSYCHOMACH.

Non ab re est, quod Prudentius Clemens pugnas descripturus animi contra vitia, a fide principium sumit: tum quod prima semper coitio sit asperrima: tum ut intelligamus, salvi nihil esse usquam, nec præterea opis esse quicquam reliquum, quo putemus defugiendum, nisi idololatria debellata: hoste tanto, ut capitalior ne quidem fingi possit alius. Siquidem hic non solum, quod fere alias fit, possessione deturbat, aut fortunis exuit: sed quoties sit nobis cum eo congrediendum, toties de ipso capite, rerumque summa statuamus dimicandum, ut succumbentibus nihil faciat reliqui, nisi 'Væ victis,' id quod proverbio veteres dixere. Ei enim cum semel cesseris, aut incauto si quando obrepserit, nequicquam certamen cum libidine, avaricia, superbia, atque reliquis id genus pestibus suscipies, quæ non tam suis viribus fretæ, negocium nobis exhibere contendunt, quam idololatriæ radicibus nixæ: quæ non secus satellitibus, per se parum sibi fidentibus, vires suppeditat, quam olim poëtico illi Antheo Terra mater, ut quo lucteris magis, hoc minus proficias, nisi semel malorum segetem, ipsam dico idolo-

latriam succideris. Ne vero sine exemplo hoc certaminis genus quis existimet, Abrahamum nobis elegantissimus Poëta ob oculos statuit, eumque senem adeo, et quod ad corporis robur attinebat, viribus jam exhaustum, ne esset omnino quod inertiæ prætexeremus: aut statione relicta, susceptique muneris difficultate deterriti, ad hostem deficeremus, dum tantis rebus homo senex non adfuerit modo, sed præfuerit etiam. Nequaquam vero placet, quod inepte quidam diligentes, septem illos congressus, quos describendos Prudentius susceperat, septem hominum ætatibus student accommodare, ita ut primum, qui est Fidei cum Idololatria, vendicent infantiæ: Pudicitiæ et Libidinis tribuant pueritiæ: tanquam ulla ætas esse possit, in quam non cadat ulla superstitionis aut idololatriæ labes: et magis sit pueris negocium cum libidine, quam adolescentibus, ipsisque adeo senibus, qui nonnunquam ad tres illas Plautinas literas tanquam postliminio reverti solent. Quin magis hoc crediderim Prudentium voluisse, septem esse potissimum vitia, quibus præter alia vitia fere hominum plurimum esset obnoxia, et ea ejusmodi, ut a nulla ætate essent aliena: dandam ergo operam, ut quod in nobis sit, quam minimum iis loci detur. Itaque sit omnis nostra vita instituenda, ut scuto fidei, gladio verbi Dei instructa, magno animo pugnam contra hostem ineat, qui mentem nostram, ut quæque Christo est addictissima, e statu suo pristino dejicere studeat. Nam quod de septenario numero hic quidam argutantur, stultius est quam ut repetendum duxerim. Tametsi non iverim inficias, esse præcipue hunc in sacris receptum, et forte non omnino sine causa a Prudentio usurpatum. Sed quicquid hoc est rei, in medio relinquam, ad hoc nos quod suscepimus accingentes.

PRÆF. 5 *Senile pignus qui dicavit victimæ*] Isaac intelligit, quem quum unicum filium, et posteritatis quodammodo obsidem Abraham unice diligeret, tanti tamen non fecit, ut eum sibi amorem pateretur apud Deum obesse. Quin magis ita se gessit, ut dum patriis affectibus, quos in animo non nisi maximos fuisse inducimus, paulo in immolando filio abrenunciet. documentum dedit, quid sacrificantes spectare debeamus posteri, nimirum quod sit cordi præcipue, i. e. nosmetipsos.

12 *Deo placentem*] Vetustiora exemplaria non *placentem*, sed *parentem* habent; nec abludit quod sequitur, 'Matre Virtute editam.' Ut matrem Virtutem, et parentem Deum, eo modo fere accipias, quo Cicero 'Laborem se suæ nobilitatis parentem habere' subinde, repetit, contra eos qui, cum nihil dispicerent quod in tanto viro calumniarentur, Novitatem, si Dîs placet, ausi sunt vitio vertere.

57 *Si quid trecenti*] Quid sibi velit mysterium, sic enim Prudentius appellat, trecentorum bis novenorum ab Abraham armatorum, nondum a quoquam, quod modo sciam, traditum est. Suspicor autem concilii Niceni significationem esse, in quo autoritate CCCXVIII. Episcoporum, fidei nostræ sunt certa quædam, ut sic dixerim, descripta pomeria, cum antea in incerto pleraque posita, et hæreticorum calumniis exagitata, huc illuc pro cujusque libidine torquerentur. Ut vero in hanc sententiam eam, cum alia, tum maxime vetustissimi exemplaris, quo sumus usi, effecerunt vestigia quædam. Non repugnarim tamen, si alio quis referat. quamvis non video, quid hic cuiquam in mentem venire possit aliud.

PSYCHOMACH. 21 *Prima petit campum*] Commissurus ingeniosissimus Poëta Fidem cum Idololatria, utriusque vires atque armaturam describit, ita ut ex primo Fidei aspectu

facile tibi victoriam pollicearis. Alacritate enim, qua vel maxime opus est in congressu, tanta fuisse dicit Fidem, ut armorum oblita, ultro se hosti objecerit, nihil verita ne hosti omni armorum genere instructissimo succumberet. Eam vero 'nudam humeros, exertisque lacertis quod fingit, huc pertinet, ut intelligas ad officium obeundum fide nihil esse promptius:' eamque si semel in te transtuleris, nequaquam desidem esse, aut ignavam, aut pugnam quamlibet plenam discriminis detrectantem. Expedimus enim tum maxime manus, atque nudamus brachia, cum operi alicui magno studio intenti nihil spectamus potius, quam ut quoque primo momento supremam liceat manum imponere, simulque circumspicimus necunde præter opinionem accidat, quod conatus nostros refringat aut debilitet.

42 *Quam patrias succincta faces*] Furias finxit vetustas facibus armatas, videlicet quod impellendorum ad quodvis flagitium hominum istas animos facere traderent. Re autem vera conscientiæ sunt hominum, alicujus sceleris sibi consciæ. 'Quemque enim sua fraus impellit, ac de sanitate mentis deturbat:' ut in Pisonem Cicero dicit. Libidinem vero qui potuisset Poëta magis e dignitate sua armasse, quam cum ei facem tribuit, non secus ac Furiæ cuidam, qua speret se, postquam videt aliis armis nihil profici, depulsuram e pristino mentis statu pudicitiam: Quid enim aliud auderet elumbis libido, stupris perdita, in ea maxime, quam ob accuratiorem apparatum non videbat ullis telis fore præterea obnoxiam?

107 *Catholico in templo*] More dixit veterum, qui sicubi res bene processisset foris, reversi incolumes, arma soliti sunt suspendere in fanis Deorum: vel ut essent ad virtutem posteris documento, vel ut gratos se erga Deos exhiberent, quorum beneficio rem bene cecidisse sibi persuaserant.

163 *Egregio comitata viro*] Quid, quæso, accommodatius potuit fingi, quam patientiæ, ei inquam, quæ semel sibi quicquid humanitus accidisset, imperarit infracto animo perpeti, addere satellitem Job, laborum periculorumque omnium, tanquam fidum aliquem Achatem? Cujus tantam legimus incommodorum omnium fuisse tolerantiam, ut quum a fortuna miris exagitaretur modis, nihilo tamen secius placeret, quam re integra: quippe occallere didicerat animus, malorum jam subinde aliorum usu, et quodam veluti commercio. Videbat autem hac una in re homo mire perspicax, non esse ullum victoriæ genus plausibilius, quam quum hostes vel desperatione, vel pœnitudine adductos, cogimus patientia nostra sibi tandem inferre manus: quemadmodum Iram ultro tandem in telum incumbentem Poëta describit.

217 *Totum hominem, et calidos*] Enarrans superbia opum, virium, fortunarumque genera, quibus contra hostem affatim instructa veniat: hoc etiam non præterit, quod ad deterrendam a congressu humilitatem vel maxime valeret. Nimirum eam se esse perhibens, cujus non modo non sit recens invecta autoritas, aut quæ jam nunc demum regina esse incipiat, sed quæ a teneris, ut sic dixerim, unguiculis hominem in possessione detineat. Simul enim atque est aliquis in lucem editus, quædam præ se fert non obscura superbiæ argumenta, etiam tum, quum ne quidem satis vagire dedidicerit.

145 *Ira ubi truncati mucronis*] Prodeat Apelles aliquis, qui tam penicillo exprimat iracundiam, quam suis coloribus semel est ob oculos posita ab elegantissimo poëta. Ensis enim fractus in minutas partes, quid aliud præ se fert, quam iratorum consilia plerunque obesse, quum pro magna aliqua laude aut victoria decertent?

Neque injuriam esse creditum, in mediis quoque armis esse animo locum placidiori: qui nisi adsit, accidere sæpenumero, ut adducti iracundia aliquo nos præcipitemus, unde re nostra integra emergere non liceat: fallantque nos non raro, cladisque sunt causa, quibus confisi potissimum in harenam descendimus. Huc etiam pertinet, quod suo semet fingit telo incumbere, dum dicit: Ipsa sibi est hostis vesania, seque furendo Interimit.

553 *Fit virtus specie*] Hoc est quod Sallustianus Cato conqueritur, 'Vera rerum vocabula interiisse; eoque veniri, ut vitia quædam magnificis quibusdam titulis vulgo se pro virtutibus venditent: ut sordidus qui sit, frugi dici velit: profusor vero, liberalis: timidus, cautus: demum vix reperies scelus tam immane, quod non reperiat, quo se honestam in speciem palliet, adeo ut non modo imperitis, quibus non ita magno negocio imponitur, sed et eruditis oculos præstringat.' Recte ergo Horatius: 'Est modus in rebus, sunt certi denique fines, Quos ultra citraque nequit consistere rectum.'

610 *Summa quies, nil velle super quam postulat usus*] Magnam tollunt sibi humanarum calamitatum partem, qui ita se instituunt, ut naturam in omnibus tanquam ducem sequantur. Ea enim cum et alibi, tum et quærendarum divitiarum nobis modum præscribit, intra quem qui vixerint, eorum non admodum retulerit, an centum jugera, an arent mille, ut elegantissimus Poëta cecinit. Contempta vero natura, quam rationem ipsi vitæ ex habendi libidine inimus, necesse est semel in vitam nostram accersi quicquid potest uspiam fingi malorum. Et dum falso nobis persuademus quæri aliquod tanquam perfugium, quo tutam speremus senectutem, facimus ut ne maximis quidem periculis vacare possimus: a quibus cum omnem ætatem, quod in nobis erat, tum maxime ingravescentem oportebat esse immunem. quod fieret haud dubie, si quod usus postularet, consideraremus.

ENCHIRIDION.

1 *Eva columba fuit*] Inscriptionem hujus libri vulgatam mutavimus, nixi exemplaribus veteribus, quæ non habebant Dittochæum, sed Enchiridion; cui plane titulo liber convenit. Nam Veteris et Novi Testamenti summa quædam est, perstricta verius, quam descripta. An autem hunc librum Prudentio adjudicare conveniat, nondum satis mecum constitui; præsertim cum vetustissima quæque exemplaria in eo mire conveniant, ut Prudentio adscribant. quamvis dictio ejusmodi sit, ut facile probet alterius fuisse, et forte Sedulii: nisi malis Amœnum quendam credere autorem fuisse, cujus nomen in vetusto codice Argentoratensi erat præfixum.

ERASMUS ROTERODAMUS

CASTISSIMÆ PUELLÆ MARGARETÆ ROPERÆ

S. D.

Toties jam provocor tuis sororumque tuarum literis, optima Margareta, tam sanis, tam argutis, tam modestis, tam candidis, tam amicis, ut etiamsi quis titulos detrahat, Thomæ Mori γνήσια τέκνα possim agnoscere. Ne vero semper videamini cecinisse surdo, studiis quibus obruor, paululum ocii suffuratus, hisce diebus Natalitiis, paravi munusculum, quod spero vobis non ingratum futurum. Quod felix faustumque sit, Guilielmus Roperus, eo morum integritate, suavitate, modestiaque præditus, ut ni sponsus esset tuus, germanus videri posset, dedit tibi auspicatissimas conjugii primitias: aut, si mavis, tu illi dedisti: vel, ut verius dicam, uterque dedit alteri παιδίον, quod dissuavietur. En mitto tibi et alterum puerum, multo auspicatissimum, Jesum nascentem Judæis, et mox illucescentem gentibus, qui connubii vestri proventum bene fortunabit, quique studiorum vestrorum verus erit Apollo, cujus laudes pro fescenninis tuis infantulis lyræ poteris occinere. Solus enim hic dignus est, qui fidibus, qui fistulis, qui voce, qui musices omni genere, sed præcipue modulatis piæ mentis affectibus jugiter celebretur. Non dedignabitur a talibus conjugib. decantari, quorum ea est vitæ totius puritas, concordia, tranquillitas, simplicitas, ut ægre reperias virginitatis professores, qui se ausint comparare. Rarum exemplum hoc præsertim sæculo, sed quod video brevi ad plures permanaturum. Habetis isthic reginam, velut istius sanctissimi chori Calliopen. Sunt et in Germania familiæ non obscuræ, quæ neutiquam infeliciter meditantur, quod vos hactenus felicissime præstatis. Bene vale, non infimum ævi Britanniæque tuæ decus, et totum istum chorum mihi saluta diligenter. Basileæ, ad Christi natalem: Anno MDXXIII.

COMMENTARIUS

IN HYMNUM PRUDENTII,

DE NATALI PUERI JESU,

PER ERASMUM ROTERODAMUM.

Carmen Iambicum primum conviтiis repertum est, quod brevis syllaba addita longæ, velut exprimat ictum ferientis, ac subinde repetentis: quemadmodum Pyrrhichius tumultum accurrentium ad pugnam. Verum posteriores quodvis argumentum accommodarunt Iambis: quemadmodum et Elegis, qui primum inventi sunt querimoniis. Ambrosius hoc genere potissimum est delectatus: in quo illud a nobis observatum est, quod plerunque penthemimeris finit dictionem, et ab hac dictio trisyllaba claudit dimetrum. Quæ compositio carmen facit mollissimum: ut, Deus creator, hæc est penthemimeris. Sequitur dictio dactylica, omnium. Rursus, Polique rector: sequitur, vestiens. Item, Diem decoro: sequitur lumine. Rursus, Noctem soporis: sequitur, gratia. Id frequentius fit apud Ambrosium, quam ut casus videri possit. Nec infrequenter idem observat noster Prudentius. Certe in primis quinque versibus continenter observavit. Quid est quod arctum: post hanc penthemimerim, quæ finit dictionem, addit dactylum, Circulum. Quanquam in genere carmen omne mollius est, quoties penthemimeris finit dictionem. Non est ignota libertas hujus carminis. Recipit enim in locis imparis numeri, hoc est primo ac tertio, pro Iambo Tribrachyn: utpote respondentem Iambo, non in syllabarum, sed in temporum numero; nam longa geminum habet tempus. Præterea spondæum, et huic in temporibus respondentes, Dactylum et Anapæstum. In locis vero paris numeri, hoc est secundo et quarto, non recipitur nisi Iambus, nisi quod secundus admittit etiam Tribrachyn. Nam quartus non patitur nisi Iambum aut Pyrrhichium. Ambrosius tamen hac libertate verecundius est usus. Anapæstus gratiam habet primo loco, in tertio non item. Dactylus utroque; loco durior est. Veteres Iambicum ex meris Iambis contexebant, quemadmodum Spondaicum ex meris Spondæis. Posteriores, quo carminis celeritatem temperarent, Spondæum admiscuerunt. Et hoc carminis genus putant esse mollissimum, quod alternat Spondæis et Iambis, qualia pleraque sunt Ambrosiana et Prudentiana. 'Jam lucis orto sidere:' 'Jam Sol recurrens deserit.' Est autem vividum et affectui congruens exordium, a dubitatione: 'Quid est quod

arctum.' Porro subitum illud convenit Poëtæ, velut afflato Prophetico spiritu, quo nihil addubito, quin afflatus fuerit, quum hæc scriberet. Est autem illud hominis vere pii, nihil non vertere in occasionem pietatis. Itaque Prudentius, quod a Solstitio brumali dies incipiunt crescere, torquet ad conjecturam pueri Jesu, jam properantis ad exortum, quum idem fiat singulis annis. Nec enim ideo dies increscebat, quod Jesus nasceretur, sed quod Sol ingressus Capricornum, citius relinquat oculos eorum, quorum Orizon est sub sphæra obliqua, extra æquatorem habitantium: quemadmodum ubi Sol accedit ad Cancrum, iisdem dies est longior. Quoniam autem in rebus divinis nihil fortuito geritur, non sine causa tempus hoc anni delectum est nativitati Jesu. Refrixerat ubique charitas. Ignorantiæ tenebris, et caligine vitiorum obductus erat mundus. Philosophos tradiderat Deus in reprobum sensum: quoque sibi magis videbantur sapere, hoc erant stultiores. Pharisæi suis cupiditatibus crassis excæcati, non perspiciebant quid sibi vellet lex spiritualis. Reges ac monarchæ, quorum arbitrio res humanæ temperabantur, lapides et ligna pro Deo colebant: quosque mortales adorabant ut diis proximos, hi majestatem suam mutæ statuæ submittebant, supplicantes his qui mente vacabant: opem implorantes ab his qui sibi ipsi non valebant opitulari. Quædam gentes eo vesaniæ devenerant, ut simias, canes, serpentes, boves ac cepe pro numinibus venerarentur. Erant, apud quas pium haberetur, mactare parentes, et horum vesci carnibus. Erant, apud quas religiosum erat, infantes incendio tradere. Annon hæc erat altissima nox? Annon lux illa naturæ, quam Deus primum asperserat homini, sic in arctum erat contracta, ut pene fuerit extincta? Annon et legis Mosaicæ lucerna, qua Deus rursus conatus est nostris tenebris succurrere, per Pharisæorum cæcorum cæcos duces erat propemodum obruta sensu carnali? Habes noctem, et quidem brumalem. Frequenter autem in mysticis literis Dominus Jesus 'lucis' vocabulo designatur. Sic enim Esaias: 'Populus, qui sedebat in tenebris, vidit lucem magnam: et habitantibus in regione umbræ mortis, lux orta est eis.' Et Zacharias: 'Visitavit,' inquit, 'nos oriens ex alto: illucescere his qui in tenebris et in umbra mortis sedent.' Quin et ipse Dominus se vocat 'lucem mundi.' Quod enim Sol est in hoc mundo visibili, hoc Christus est in mundo spirituali: quo qui caret, quantumvis doctus, quantumvis ingeniosus, quantumvis eloquens, cæcus est. In universa vero mundi fabrica, nihil admirabilius Sole, qui fons est luminis, omnia gignens, alens, provehens, confirmans, vivificans, vegetans, omnia exhilarans, omnia prodens et arguens, omnibus reddens suum colorem, suamque faciem restituens. Idem efficit exorta veritas Evangelica, qui est Jesus Christus. Ignorantia veri nox est, peccatum mors est. Qui vivunt, in luce versari dicuntur: et qui vitam relinquunt, sub tenebras abire vulgo dicuntur. Nox autem somno data est, et somnus mortis imago est. Itaque mortales noctu quodam modo mortui sunt, donec exortus Sol expergefaciat omnes ad vitam. Quemadmodum Sol hic, quem oculis corporeis cernimus, nunquam amittit lucem suam, sive cernatur, sive non cernatur: sed tamen nobis nox est, quoties interjectus terræ semovet illum ab oculis nostris: ita Christus nunquam mutatur in sese, verum quorundam animis exoritur, atque ibi dies est: quorundam non exoritur, ibi nox est. Quemadmodum autem Sol, quum abditur, dicitur occidere: quum exoritur, nasci (sic enim Flac-

cus, 'Aliusque et idem Nasceris:') sic Christo oriri nasci est. Semper autem a Patre nascitur, veluti radius æternus a Sole sempiterno. Nobis autem exortus est alio modo, condita hujus mundi mirabili machina. Rursus piis mentibus frequenter exoritur, ac in diversum mutatis occidit. Sed visibiliter exortus est, prodiens homo factus ex utero castissimæ virginis. Hæc enim erat illa mystica porta spectans ad Orientem, unde emersit unicus ille Sol, illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum. Hic nobis sit modus præfationis, licet non extra rem. Nunc ipsum Pindarum nostrum audiamus.

1 *Quid est quod artum circulum Sol jam recurrens deserit? &c.*] Omnia corpora cælestia, ut sunt sphæricæ figuræ, quæ putantur esse perfectissima, ita motum habent sphæricum. Quæ proxima sunt polis, auctiore circulo circumaguntur. Circulus brumalis non habet nisi octo horas diei in Orizonte nostro: quum circulus solstitialis alicubi habeat sedecim, alicubi octodecim: unde vocat arctum, non quod Sol minus conficiat spacii, sed quod quibusdam paucioribus horis appareat, ob sphæræ obliquitatem. Recurrens, apto verbo est usus, quasi Sol gestiat ac festinet augere diem ob exortum pueri.

5 *Heu quam fugacem gratiam Festina volvebat dies*] Quum fugax significet fugientem, tamen juxta nominis rationem magis videtur dictum a fugando, quam a fugiendo. Venuste dixit, gratiam, lucem, qua nihil lætius, quum nox adferat mœrorem. et fugacem dixit, properantem abire. Est grata emphasis et in volvendi verbo. Sensim recisa, quod in sensibilibus gradibus Sol ascendat aut descendat in Zodiaco. Subductam facem εἰδικῶς dixit. Nam hoc ipsum est extinguere diem, subducere facem. Est autem non injucunda phantasia poëtica. Fax circumfertur, ac paulatim decrescit, donec plane deficiat. Exaggerat autem molestiam diei tam brevis, ut amplificet gratiam diei crescentis.

9 *Cælum nitescit lætius, Gratatur et gaudens humus*] Habet et cælum suam quodammodo faciem. obductum nubibus, triste dicitur: quum sudum est, dicitur lætius: hoc est enim proprie nitescere.

11 *Gradatim*] Nam signa per quæ Sol ascendit ac descendit, per gradus distinguuntur ab Astrologis.

12 *Lineas*] Translatum est a stadiis, ubi linea præscribitur, unde cursus incipit. Sic et Astrologi lineas quasdam imaginantur in cælo, per quas Sol feratur sic, ut nobis nunquam eadem redeat linea. Priores autem dixit, pristinas. Nam prius nonnunquam dicitur quod potius est, ac melius.

13 *Emerge, dulcis pusio, Quem matris edit castitas*] Jam velut avidus exorituræ lucis, per apostrophen invitat infantem, ut emergat e virginei corporis latebris. Dulcis, epitheton est filiorum. Sic Flaccus: 'Domum atque dulces liberos.' Pusio, diminutivum est a puero, aptum blandienti. Edit, pro parit. Et matris castitas, dictum est tropo, pro casta mater. Juxta naturæ vulgarem cursum, mulier non concipere potest, nec parere, nisi violata membranula, quæ virginem distinguit a corrupta. Sed Dei filius sic illapsus est per aurem virginis in sanctissimum uterum ejus, ut nullam corporis partem violaret. Nascens tamen prodiit ex ea parte corporis, qua solent et cæteræ mulieres parere. Quamvis autem hoc non palam exprimunt Evangelistæ, partum hunc non aperuisse virginis uterum, sed illæso pudoris signaculo prodiisse, sine dolore nixus, sine diductione partis qua fœtus emergit, sine repurgamentis quæ fœtum comitari solent: tamen plausibilius est, ac magis pium, mea sententia, credere,

quod a doctissimis simul ac sanctissimis patribus traditum est.

15 *Parens et expers, &c.*] Hi duo versus duriuscule cohærent cum superioribus. Sic autem ordinandi sunt: Castitas, h. e. virginitas: parens, i. e. genitrix: pro eo quod erat absque tropo, virgo parens, hoc est mater, et tamen expers conjugis, id est intacta marito. Jam mediator et duplex genus, referendum est ad id quod præcessit.

16 *Mediator, &c.*] Mediator apud Latinos autores non invenitur. Sed nos exprimimus Græcam vocem, qua Apostoli usi sunt, μεσίτης, a verbo μεσεῦν, quod Latini nesciunt. Conjungit autem in utroque duo miranda: in matre fœcunditatem conjunctam virginitati, in puero divinam naturam cum humana copulatam in eadem hypostasi, unde et duplex genus appellatur. Decebat autem, ut, qui genus humanum Deo reconciliaret, utriusque naturæ particeps esset. Oportet enim intercessorem utrique parti familiarem esse.

17 *Ex ore quamlibet patris Sis ortus, et verbo editus*] Esaias ita loquitur de Christo: 'Generationem ejus quis enarrabit?' Quod non solum de nativitate divina dictum videtur, verumetiam de humana. Est autem quadruplex Christi nativitas. Juxta eam quæ nec cogitabilis est homini, sine initio, sine fine semper a patre nascitur, semper natus fuit, Deus ex Deo, omnipotens ex omnipotente. Quod enim est homini sensus aut cogitatio tacita mentis, hoc filius Dei est patri. Est enim æternæ mentis æterna cogitatio. Mens autem gignit cogitationem: et cogitatio jam in animo concepta, sermo quidam mentis est, quo homo sibi loquitur. Hæc imago utcunque nobis adumbrat nativitatem illam quæ nec initium habuit, nec finem est habitura: quia sic filius nascitur a patre, ut de patris substantia nihil decedat: sic pater producit filium, ut tamen filio non sit prior. Cæterum condito per filium mundo, pater nobis velut eloquutus est verbum, et quodammodo rursus idem genuit, nobis illud reddens aliquo pacto visibile quod erat invisibile. Conspicitur enim in rebus conditis admirabilis Dei sapientia, qui est Dei filius, et Dei sermo.

Ex ore] Deus nec os habet, nec ullum membrum humani corporis, quemadmodum somniabant olim Anthropomorphitæ, quod in divinis literis crebra sit de membris Dei mentio: 'Ne avertas faciem tuam a me:' 'Auribus percipe clamorem meum:' 'Nonne manus tua fecit hæc omnia?' 'Inveni virum secundum cor meum:' 'Oculi Domini super justos:' 'Fecit potentiam in brachio suo.' Et, 'Cælum mihi sedes est, terra scabellum pedum meorum.' Quoniam autem de sermone loquitur, qui est Filius Dei: quatenus filius est, nasci dicitur: quatenus sermo, proferri. Ex corde nascitur, ex ore profertur, quum cor et os Dei nihil aliud sit, quam ipse Deus, gignens ac proferens.

Quamlibet] Recte docet Valla, quanquam et quamvis solere præponi in oratione quæ constat duabus partibus, ut: 'Quanquam alienus es, tamen te ut Christianum amo.' 'Quamvis sis dives, non ideo jus habes in nos.' Contra fit in Quamlibet, quæ proprium verbum non habet, sed subjicitur: sic tamen, ut oratio possit in geminam resolvi. 'Non enim pili facit te; quamlibet divitem, vel quamvis divitem.' Nam Quamvis utranque naturam obtinet. Hanc annotationem Vallæ videtur neglexisse Prudentius. Et haud scio, an alicubi reperiatur etiam apud probatos autores. Certe apud Aurelium Augustinum reperio.

18 *Et verbo editus*] Non est accipiendum, sermonem sermone esse prolatum, quasi duo sint sermones, alter proferens, alter prolatus, quod ab hæ-

reticis quibusdam somniatum est: sed verbo dixit, pro ipsa prolatione. Quemadmodum enim sensus in animo nostro conceptus, qui prius διάνοια dicebatur, ipsa pronunciatione fit λόγος: sic sermo Dei ante conditum mundum semper nascens ex corde patris, nec inde recedens, sapientia erat: ea deprompta per mundum conditum, sermo nobis esse cœpit, per quem pater nobis loquutus est.

Sis ortus] Pertinet ad primam illam generationem, ac perpetuam: Quod sequitur, et verbo editus, pertinet ad mundum conditum, ad quem refertur prius adverbium.

19 *Tamen paterno in pectore Sophia callebas prius*] In Sophia produxit syllabam mediam, sequutus accentum Græcum: quemadmodum et alicubi idem corripit mediam in idola, et penultimam in paraclitus. Callebas, ut legas per geminum ll. metri ratio cogit. Positum est autem callebas, pro sapiebas: non quod in filio Dei prius sit sapere, quam nasci; sed quod ante mundum conditum, sermo Dei latebat in corde patris, æterni patris sapientia. Proinde Prudentius aut omittit hoc loco generationem illam, quæ nescit initium, de qua tamen alibi loquitur in hymno Trochaico, 'Corde natus ex parentis Ante mundi exordium:' aut prior pars.

21 *Quæ prompta cælum condidit, Noctem diemque, &c.*] Prompta, i. e. prolata sive deprompta. Sic enim legis: 'Fiat lux, et facta est lux.'

Condidit] Per verbum pater condidit mundum, non tanquam per instrumentum, quemadmodum faber dolabro utitur ad fabricam, sed filius una cum patre condidit. Patri tamen tribuitur autoritas, quod ab hoc sit Filius et Spiritus Sanctus. Virtute verbi. ita Paulus ad Hebræos: 'Per quem fecit et sæcula.' Potens est regum sermo, sed sermo Dei est omnipotens. Proinde non mirum, si mundum hunc condidit. Nam sermo hic sic manat a Deo, ut sit et ipse Deus: et sic depromitur ex ore patris, ut non recedat a corde patris. Ex rebus enim conditis nihil accedit aut decedit naturæ divinæ, quæ prorsus est immutabilis. Docet hoc Prudentius in his quæ sequuntur:

25 *Sed ordinatis sæculis, Rerumque digesto statu*] Scriptura sacra subinde sæcula vocat, quicquid in tempore conditum est: et ante sæcula, quod ante mundum conditum.

Ordinatis] Alludit ad Chaos, in quo confusa erant omnium rerum semina. Sic et Naso: 'Rudis indigestaque moles, Nec quicquam nisi pondus iners, congestaque eodem Non bene junctarum discordia semina rerum.' Sic in Genesi dividitur lux a tenebris, dividuntur aquæ ab aquis, segregantur aquæ, et existit arida. Distinguuntur species rerum e terra nascentium, distinguuntur animantium formæ, et suus cuique locus, sua cuique vis tribuitur: h. e. quod ait, Rerumque digesto statu.

27 *Fundator ipse et artifex*] Qui fundat incipit, artifex perficit et regit. Prov. VIII. 'Quando appendebat fundamenta terræ, cum eo eram, cuncta componens.' Per filium sunt initia mundi, per filium digestus est, per filium gubernatur, per filium restitutus est, per filium consummabitur. Ipse dixit, pro idem: ut digesto, pro distributo. Neque enim digerere est concoquere, sed in suum quidque locum disponere. Et sinum appellat pectus, sive cor. nam sinus locus est cordis, unde, 'In sinu gaudere,' 'In sinum effundere.'

29 *Donec rotata annalium Transvolverentur millia*] Semel depromta sapientia, condidit ac digessit mundum, quum non esset. Iterum prolata, restituit mundum collapsum, h. e. hominem: cujus gratia condita fuerant omnia.

30 *Milia*] Nam ab orbe condito usque ad Christum, supputantur su-

pra millia quingenta centum nonagintanovem.

31 *Atque ipse peccantem diu*] Quoniam frustra per Mosen data erat lex, frustra missi tot Prophetæ: venit ipse Dei filius homo factus. Sic enim loquitur Psal. xxxix. 'Holocaustum et pro peccato non postulasti. tunc dixi: Ecce venio.' Rursus apud Esaiam: 'Ego ipse qui loquebar, ecce adsum.'

33 *Nam cæca vis mortalium Venerans inanes nænias*] Vim appellat multitudinem. Nec enim omnes colebant simulachra. Aut vim dicit, ut vires hominis distinguat a gratia Dei. Semel collapsi per peccatum Adæ, nihil aliud quam peccabamus, semper in deteriora prolabentes.

Inanes nenias] Nenias appellat simulachra, quibus veteres tribuebant mentem divinam, quum nec humanam habeant, tametsi gerunt speciem hominis.

37 *Hæc dum sequuntur perfidi, Prædonis in jus venerant*] Christus Dominus est omnium. Diabolus tyrannus est, et prædo, qui sibi vindicavit quod erat alienum. Ille primus pellexit ad peccandum. Per peccatum autem regnabat, et per peccatum invecta est mors. Porro quisquis perpetrat peccatum, servum se facit peccati. Et qui peccato est obnoxius, transit in jus et potestatem Satanæ. Atque hoc chirographo totus mundus erat obnoxius diabolo. Perfidos autem vocat, quod desciscentes a conditore et rege Deo defecissent ad muta simulachra.

40 *Vitam barathro*] Hoc notat quod dixi, per peccatum invasisse mortem. Per justiciam regnum est Dei, et per justiciam vita. Per peccatum tyrannis est diaboli, per peccatum est mors. Barathron Græca dictio est, significans locum profundum et obscurum, in quo servantur nocentes: sive voragines, quæ fluvios absorbebant, aut maria. Potest accipi de inferis, quo tum migrabant etiam piorum animæ, aut de morte æterna.

41 *Stragem sed istam non tulit Christus cadentum gentium*] Stragem, a bello ductum verbum, a sternendo. Nam late patebat tyrannis Satanæ, ac velut impune regnabat totas nationes detrahens ad inferos.

43 *Impune*] I. e. nemine vindicante, seu defendente. Frustra conditus erat mundus si periret homo, cujus gratia conditus fuerat. Causam aperuit, cur Deus homo nasceretur.

45 *Mortale corpus induit, Ut excitato corpore*] Inscrutabile consilium est Dei, quare sic passus sit hominem labi in peccatum, et quare sic voluerit illum a peccato liberare. Conveniebat autem ut homo redimeret hominem, et per mortem mors tolleretur. Quod mortuus est, erat humanæ naturæ: quod resurrexit, erat virtutis divinæ. Per mortem Christi abolitum est peccatum: per resurrectionem, data est nobis spes immortalitatis.

48 *Hominemque portaret patri*] Alludit ad duas parabolas Evangelicas. altera est de ove erratica, quam pastor reportavit humeris suis. Pro nostris enim peccatis afflictus, cæsus, ac moriens, nos suis humeris impositos reddidit patri. altera est de Samaritano, qui saucium imposuit jumento suo, Jumentum, h. e. corpus assumtum.

49 *Hic ille*] Nam erant et alii dies natales, ut ita loquar. Hic est dies, qui nos asseruit Patri. Per apostrophen, sermonem vertit ad Filium.

50 *Creator*] Dicitur et sapientia Dei creata, pro eo quod est, genita: quanquam hic creator mundi potest intelligi.

51 *Animavit*] Notat adversus hæreticos, hypostasin Christi tribus constare naturis, divina, anima humana, et corpore mortali, quod hic limum appellat: eo quod primus ille parens e limo factus sit, cui Deus in-

sufflavit spiritum vitalem.

52 *Sermone carnem*] Sermonem appellat Filium Dei, quod vocabulum illi proprie convenit juxta naturam divinam. Inter corpus mortale et divinam naturam, quasi glutinum fuit anima Christi.

53 *Sentisne virgo*] Rursus a Filio sermonem flectit ad Virginem gravidam. Et interrogatio facit ad affectus alacritatem.

Nobilis] Sola enim virgo peperit, et Deum peperit. Quanquam juxta carnem quoque genus duxit e stirpe David.

54 *Matura per fastidia*] Matura dixit, tempestiva. A fastu et tædio dictum apparet fastidium. Hoc quoties ad animum refertur, sonat in vitium. De gravida vero dixit Virgilius: 'Matri longa decem tulerint fastidia menses.' Tumorem uteri fuisse in Maria, dubium non est: an senserit et gestationis tædium, incertum. Probabilius est, non sensisse: quemadmodum nec cruciatum in partu. Evæ veteres pariunt cum dolore, quoniam cum pruritu libidinis concipiunt; Eva nova, quoniam in conceptu voluptatis titillationem non sensit, jure creditur ab omni gestandi pariendique molestia fuisse immunis.

55 *Pudoris intactum decus*] Virginitati etiam apud ethnicos suus est habitus honos. Est enim veluti præcipuus decor ac flos humani corporis. Conjugatis autem ut probro dabatur sterilitas, ita gloriosum erat marito similem prolem edere. Sola Maria laudem utramque tulit, et integritatis inter virgines, et fæcunditatis inter conjugatas. Nam ut multæ numerosius pariant certe nulla peperit felicius. In aliis honor materni nominis ita succedit virginitati, quemadmodum fructus succedit flori. In Maria virginitatis gratia non est violata, sed cumulata dignitate partus.

57 *O quanta rerum gaudia Alvus pudica continet*] Multi putant Sibyllam Cumanam, vaticinium quod Virgilius in Bucolicis alio detorsit, de Christo prodidisse. Ex poëtarum fabulis discimus, sub Saturno, quoniam mores hominum erant incorrupti, sæculum aureum fuisse: huic successisse argenteum, moribus longe deteriorib. Deinde venisse ferreum, omnib. ita corruptis, ut ne vestigia quidem extarent priscæ probitatis. Jesus autem natus, renovavit omnia et auream ætatem nobis reduxit. Sic Virgilius ex sententia Sibyllæ: 'Magnus ab integro sæclorum nascitur ordo: Jam redit et virgo, redeunt Saturnia regna: Jam nova progenies cælo demittitur alto.'

O quanta rerum] Rerum, addidit festivitatis causa, quasi muta quoque et inania senserint voluptatem, nascente Jesu.

59 *Novellum sæculum*] Vetus Adam docuit suos peccare: novus Adam, i. e. Christus Jesus, docuit innocentiam et obedientiam. Paulus jubet ut exuamus veterem hominem, h. e. affectus malos, et induamus novum, h. e. agnum illum immaculatum, qui in Apocalypsi loquitur: 'Ecce ego nova facio omnia.' Et apud Esaiam dicitur: 'Pater futuri sæculi, princeps pacis.' 'Non est autem pax impiis, dicit Dominus.'

60 *Et lux aurea*] Alludit ad aureum sæculum, quanquam solis fulgor proprie dicitur aureus. Luna habet lucem, sed non auream. Eximiam autem lucem vocat auream.

61 *Vagitus ille exordium Vernantis orbis protulit*] Vagitus nomen et a sono fictum, quod hujus dictionis primam syllabam fœtus masculus prorepens ab utero matris soleat edere. Nam fœminæ voce tenuiore magis sonant Ve. parum felix auspicium hujus vitæ, tot malis obnoxiæ. Qua de re vide Plin. VII. 1. In Christo contra vagitus indicabat mundum renasci; quandoqnidem qui baptizan-

tur in Christum, per illum renascuntur: ac deposita vetustate prioris malitiæ, quasi modo geniti infantes, lac animi concupiscunt.

62 *Vernantis orbis*] Habet et annus senium suum. Extremus autumnus respondet senectæ decrepitæ, siccus ac frigidus. Bruma veluti fovet in utero fœtum humidum et calidum. Eum ver velut edit, donec adolescat. Æstas, virilis est ætas anni: unde dixit, vernantis orbis, quasi renascentis. Cæterum in illis regionib. ubi natus est Christus, hyems multo brevior est, quam apud nos. Quandoquidem et Romæ post sextumdecimum diem Januarii, jam terra meditatur repubescere.

63 *Nam tunc renatus sord.*] Nondum renatus erat mundus, quia nondum passus fuerat Christus: verum is natus erat, per quem omnes renasceremur. Veternus, morbus est senibus familiaris, qui somnolentiam inducit, ac sitim. Unde Terentius 'veternosum' dixit senilem eunuchum, ac flaccidum. Addidit sordidum, quod juventus habeat nitorem. Allusit autem ad hyemem in qua squalent ac torpent omnia: unde et ignava dicitur a poëtis, quod tum cessent agricolæ.

65 *Sparsisse tellurem reor Rus omne densis floribus*] Non est fabulosum, Jesu nativitatem plenam fuisse gaudiorum. Conceptionem blando alloquio nunciat angelus. Nato puero cœlestis auditur musica. Ostenditur subita lux, pastoribus annunciatur gaudium magnum, ad stellæ fulgentis indicium accurrunt Magi. Cæterum quod hic narrat Prudentius, juxta tropologiam est intelligendum, quemadmodum et illa quæ scribit Esaias consimili tropo: 'Habitabit lupus cum agno, et pardus cum hœdo accubabit, vitulus et leo et ovis simul morabuntur: vitulus et ursus pascentur simul, requiescent catuli eorum. Et leo quasi bos comedet paleas. Et delectabitur infans ab ubere super foramen aspidis, et in caverna reguli, qui ablactatus fuerit, manum suam mittet.' Item propheta Johel: 'Stillabunt montes dulcedinem, et colles fluent lacte, et per omnes rivos Judææ fluent aquæ,' &c. Similiter et Amos: 'Et stillabunt montes dulcedinem, et omnes colles culti erunt.' Hæc enim in speciem non videntur admodum dissimilia his quæ scribit Virgilius: 'At tibi prima, puer, nullo munuscula cultu, Errantes hederas passim cum baccare tellus, Mixtaque ridenti colocasia fundet acantho. Ipsæ lacte domum referent distenta capellæ Ubera, nec magnos metuent armenta leones: Ipsa tibi blandos fundent cunabula flores. Occidet et serpens, et fallax herba veneni Occidet, Assyrium vulgo nascetur amomum.' Cæteraque quæ prosequitur ille ex Sibyllæ vaticinio. Ad hæc nimirum allusit Prudentius, rus appellans homines incultos, nullis florentes virtutibus; Syrtes, barbaras nationes, quarum feritas et immanitas vix ullis disciplinis videbatur posse mansuescere. Hæ per Christum factæ bonus odor Deo in omni loco, quemadmodum, inquit Paulus, pietatis fragrantia superant nectar ac nardum.

69 *Te cuncta nascentem, puer, Sensere dura et barbara*] Aperit allegoriam. Sentit de Scythis, Gothis, Hybernis, olim saxis ac scopulis similiores quam hominibus. Hinc occasio veteris fabulæ de Amphione, qui testudine sua movit saxa: et Orpheo, qui cithara sua quercus post se traxerit. Fortassis hinc et Saxonibus inditum olim nomen. Nulla natio tam aliena fuit ab omni humanitate, nulla tam bruta et effera, quam Christi jugum non emollierit ac cicurarit. Hoc enim est quod promiserat per Oseam prophetam, 'ut ex non populo fieret populus Dei:' et juxta Paulum, 'vocentur ea quæ non sunt, tanquam sint.'

71 *Saxorum rigor*] Rigidum dicitur, quod frangi possit citius, quam flecti. Unde et Saxorum rigor dicitur, et hyemis rigor, quod gelu reddat omnia fragilia. Erant olim gentes adeo feræ, ut nec legibus, nec armis, nec Græcorum disciplinis possent mansuescere. Solus Christus ex silicibus fecit homines. Nimirum hoc erat quod Dominus minitabatur Judæis, quod Deus potens esset de lapidibus suscitare filios Abrahæ. Quod minatus est, fecit.

72 *Obduxit herbam*] Hoc verbum est ex eorum genere, quibus in eodem sensu bifariam utimur. 'Aspersit illi labem,' et 'aspersit illum labe:' 'induit illi tunicam,' et 'induit illum tunica.' Sic 'obduxit herbam cotibus,' et 'obduxit cotes herba.' Cotibus dictum est, pro cautibus: quemadmodum plostrum, pro plaustrum. Et haud scio an Prudentius scripserit, *cautibus*. Traxit et Virgilius hinc comparationem duræ mentis, et implacabilis: 'Quam si dura silex, aut stet Marpesia cautes.'

73 *Jam mella de scopulis fluunt, Jam stillat ilex arido*] Plus dicit quam Virgilius: 'Et duræ quercus sudabunt roscida mella.' Scopuli madent potius aspergine salsi maris. Ilex est genus glandiferum, et poëtæ frequenter abutuntur specie pro specie.

75 *Sudans amomum*] Amomum et frutex dicitur, et fructus fruticis, uvæ labruscæ similis. unde dixit, sudans. Est enim unguentum, quod sic redditur ab amomo, quemadmodum thus aut gummi resudat e sua arbore. Est autem hoc plerisque commune. Unde et stacte odoramenti genus Græcis, stilla dicitur.

76 *Jam sunt myricis*] Myrica humilis virgulti genus est, cujus meminit Virgilius in vaticinio Sibyllæ: 'Non omnes arbusta juvant, humilesque myricæ.' Inter omnia vero unguenta, prima laus est balsamo. Vide Plin. lib. XII.

77 *O sancta præsepis tui, Æterne rex, cunabula*] Conjungit inter se diversissima. Quid humilius cunabulis et præsepi? Quid sublimius æterni regis nomine? Sic visum est illi, qui novavit mundum, ex humillimis et contemptis reddere sublimia: contra, quod altum erat, dejicere.

79 *Populisque per sæcla*] Non omnia templa omnibus populis olim erant veneranda. Unaquæque gens suos habebat Deos. Tum autem et tempora variabant religionem; Jovi cessit Saturnus. Hæc cunabula, quæ nobis dederunt regem æternum, cunctis orbis nationibus veneranda sunt, idque per omnia sæcula. Regis æterni, cultus est æternus. Et omnium regem, omnes merito venerantur.

80 *Mutis et ipsis credita*] A priscis usque sæculis manavit ad nos pictura, quæ Jesu præsepi addit bovem et asinum, quod tamen in sacris literis nusquam aperte proditum est. Sed occasio sumta videtur ex Esaiæ prophetia, quæ dicit: 'Cognovit bos possessorem, et asinus præsepe Domini sui: populus autem Israël me non cognovit, et populus meus non intellexit.' Certe huc spectavit Prudentius. Bos enim et asinus nihil crediderunt: sed barbaræ gentes, servientes dæmoniis et cupiditatibus suis, ac brutorum in morem viventes, credidere Christo, quum populus Israëliticus etiam hodie Christo rebellet.

82 *Indocta turba*] Turba, dixit contemtim, quum populus Israël esset populus electus, ac Deo peculiaris.

Indocta] Quia, quod est omnium præcipuum, nesciebat Deum. Soli Judæi per legem noverant unicum Deum. Unde et Christus insedit asino, qui gentium figuram habebat. Brutum pecus non sapit. Indocta, propter ignorantiam legis.

84 *Vis cujus in pastu sita est*] Ob luxum et libidinem, cui serviebant more brutorum animantium: 'quæ

natura prona, et ventri obedientia finxit.' Excors, quia nondum habebat, quod optat David: 'Cor mundum crea in me Deus.' Unde prævaricatores jubentur redire ad cor.

85 *Sed cum fideli spiritu Concurrat ad præsepia, &c.*] Quemadmodum in distichis Elegiacis fere pentameter absolvit sensum: ita in Iambicis dimetris observatur, ut quartus absolvat: quod tamen perpetuum non est. Nam hic pendet constructio, sed ita, ut priores quatuor principale membrum absolvant. Sensus est, quum ad Jesu cunabula concurrant pastores, concurrant Magi, concurrant Scythæ, Arabes, et Indi, gens pagana, quæ nihil secum adfert præter simplicem fidem, quum nec habeat legem, nec religionem, nec benefacta (paganam vocant rusticam, et a sacris alienam, quadrupedem ob brutas cupiditates, quibus ante serviebat) tamen Judæi, ex quorum genere prodiit Christus, negant et oderunt præsentem, quem tot sæculis expectarant, clamantes: 'Veni, Domine, et libera nos. Veni, et noli tardare, relaxa facinora plebis tuæ Israël.'

91 *Credas*] Credere possis. nam modus est potentialis. *Venena* dixit veneficia, quibus inducitur dementia.

92 *Furiisve lymph.*] Lymphati dicuntur phanatici, qui furore per numen aliquod immisso agitantur. Lympha enim aqua est. Et creditum est olim, ut qui nympham vidissent in fonte, furiis agerentur. Sunt et fontes, qui gustati dementiam adferant.

93 *Quid prona per scelus ruis*] Apostrophe ad Judæos. Agnoscimus, quod prius cognitum noscitamus et amplectimur, prophetæ et legis figuræ Christum depinxerant. Talis venit qualis erat promissus, et tamen Judæi nolunt agnoscere. Resedit, pro reliquum est. Et integræ dixit pro sanæ.

96 *Ducem tuorum principum*] Haud scio, an Prudentius scripserit principem, ut dux princeps intelligatur primarius ac summus. nam et Moses, et Jesu nave, et David duces erant: sed hic erat omnium dux. Ille eduxit Mosen ex Ægypto. ille deduxit per desertum, comitante illos petra: petra autem, ut scribit Paulus, erat Christus. Ille afflavit Samuelem ac Prophetas, ille David. Quanquam enim Christi vocabulum pertinet ad naturam humanam, tamen ob hypostaseos singularitatem de homine prædicantur, quæ peculiaria sunt naturæ divinæ, et contra.

97 *Hunc quem latebra et obstetrix*] Rursus pendet post quartum dimetrum ordo. Duos depingit adventus Jesu: alterum quo venit humilis, ut servator omnium: alterum quo veniet sublimis, judex vivorum et mortuorum. Qui hic contemserunt humilem, illic formidabunt sublimem.

Hunc] Eundem. Veniet enim idem visibili corpore.

Latebra] Quia in obscuro oppidulo, in abjecto loco diversorii.

Et obstetrix] Mulier contemta.

98 *Virgo fœta*] Quo nihil incredibilius videbatur.

Cunulæ] Præsepe.

99 *Et imbecilla infantia*] Nihil ea ætate contemptius. Hæc tam abjecta, tamque contemta, regem dederunt universis. A tam humilibus initiis Deus æternum illud regnum voluit exoriri.

101 *Peccator*] Qui noluisti credere.

Intueberis] Videbunt in quem compunxerunt. A resurrectione non exhibuit se conspiciendum, nisi discipulis. In extremo die sese exhibebit omnibus.

102 *Celsum coruscis nubibus*] Sic ipse promittit in Evangelio: 'A modo videbitis Filium hominis venientem in nubibus cum majestate Patris.'

Coruscis] Sicut fulgor emicat ab una cæli parte erumpens in diver-

sum, ita subito videbitur.

103 *Dejectus ipse*] Tunc versis rerum vicibus, ille sublimis erit cum suis, cum quibus hic erat dejectissimus: et erunt dejectissimi, qui hic videbantur sublimes.

Irritis fletibus] Tum enim sera erit pœnitentia, sed quisque metet prout seminavit.

105 *Cum vasta signum buccina*] Magnifice dixit, vastam buccinam, quæ nusquam non audiatur. Sic Paulus: 'Canet enim tuba.'

106 *Terris cremandis*] Ut per diluvium olim purgatus est mundus, ita tum per incendium purgabitur. Somniarunt hac de re nonnihil et poëtæ ex vaticiniis Sibyllæ, quæ multa refert Lactantius. Quanquam idem dicit Petrus Epist. 2. cap. III. 'Cæli autem qui nunc sunt, et terra, eodem verbo repositi sunt, igni reservati in diem judicii, et perditionis impiorum hominum.' Ac paulo post: 'Adveniet autem dies Domini ut fur, in quo cæli magno impetu transient, elementa vero calore solventur: terra autem, et omnia quæ in ipsa sunt opera, exurentur,' &c. Nam sat est indicasse locum, ad quem allusit poëta.

107 *Et scissus axis*] Orbeis cælestium corporum per suos quique polos volvuntur, non aliter quam rota volvitur per axem.

113 *Judæa tunc fulmen crucis Experta, quid sit senties*] Hoc carmen a sciolo depravatum restitui. Sic enim habebatur: *Experta quæ sit senties, Quæ te furoris præsule Mors hausit, et mors reddidit.* Sensus hic est: O Judæorum incredula natio, quæ Christum priori adventu noluisti agnoscere, sed clamasti: 'Crucifige, crucifige, non habemus regem nisi Cæsarem:' tunc quum videbis triumphale signum crucis e sublimi, fulminis ritu perstringens oculos impiorum, per hoc agnosces, quis et qualis sit ille pridem contemtus, ac ludibriis affectus, quem mors absorbuit, te præsule furoris, h. e. te autore mortis, quæ Pilatum invitum adegisti ad impium facinus, et mors reddidit: quemadmodum Jonam absorbuit cetus, ac tertio die revomuit.

ERASMI ROTERODAMI

COMMENTARIOLUS,

IN HYMNUM PRUDENTII DE EPIPHANIA JESU NATI.

CHRISTUS, qui servandis omnibus venerat, unamquamque gentem captavit occasione rerum quibus delectabatur, quibusque fidebat. Judæos allexit miraculis: Magos Astrologiæ deditos attraxit indicio stellæ, peculiari luce fulgentis: Græcis misit Paulum eloquentia pollentem, et appositum ad congrediendum cum philosophis. Venit autem humilis, ut nos eveheret ad amorem rerum cælestium. Ascendit in cælos, ne per illum resuscitati ad vitæ novitatem posthac rerum humilium amore teneamur, sed eo ferantur studia nostra, quo præcessit caput nostrum. Itaque

1 *Quicunque Christum quæritis, Oculos in altum tollite*] Stella Magis indicabat Christum, sed nobis Christum repræsentat. Ille prævius in columna nubis et ignis, eduxit filios Israël ex Ægypto: idem no-

bis prælucens avocavit a tenebris peccatorum, ac viam nobis aperuit in patriam lucis æternæ. Descendit ad nos, ut dux esset in cælum: Magi, nisi sustulissent oculos in altum, non vidissent stellam: nos, nisi cordis oculos erigamus in cælum, non inveniemus Christum. Qui scrutantur venas auri et argenti, quorum animus semper est in scriniis, aut in patinis: qui latifundia jungunt latifundiis, quoniam oculos habent in terram defixos, non vident hanc stellam. Visere proprie est ire ad videndum, tametsi nonnunquam usurpatur pro videre.

4 *Signum perennis*] Sola gloria Jesu perennis est. Alioquin omnis caro fœnum, et omnis gloria ejus quasi flos fœni. Proinde qui gloriatur, in Domino glorietur. Signum erat ejus, qui lux est mundi. Stella corpus est lucidum. Ita Christus, quo nobis esset visibilis, carnem induit.

5 *Hæc stella*] Exponit, quare dixerit signum.

6 *Vincit decore ac lumine*] Non est verisimile, stellam illam fuisse majorem sole, sed gratia lucis antecelluisse. Sol enim sua luce perstringit ac percellit oculos obtuentium. Christus autem divinitatis suæ lucem, cujus humana natura capax non erat, humani corporis familiaritate temperavit, ut possimus intueri. Et ideo subjicit Prudentius: 'Cum carne terrestri Deum.' Quoniam enim Deus vidit homines nihil amare posse nisi quod viderent, fecit se nobis visibilem, ut vel sic amaretur. Et quoniam omnino confidere volebant homines hominibus, dedit eis unum hominem, ut alienati a fiducia cæterorum hominum, totam fiduciam suam transferrent in hunc unum hominem, qui neminem esset destituturus, quod idem esset Deus.

9 *Non illa servit noctibus Sequuta lunam menstruam*] In exordio mundi sol conditus est, ut præesset diei: luna, ut nocturnis tenebris aliquod luminis solatium præberet: non quod luna non luceat aliquando interdiu, sed quod obscuretur claritate solis, quemadmodum et cæteræ stellæ, quæ non sequuntur lunam, sed luna lucente tamen apparent, alioqui luna majores. Ut autem videantur minores, facit longius intervallum ab obtutu nostro, quum luna sphæram terræ proximam obtineat. Menstruam autem vocat, quod intra triginta dies peragat cursum suum in zodiaco, quem sol peragit anno, cæteri quidam etiam tardius. Quoniam autem lumen habet mutuum a sole, quum est illi proxima, nulla videtur: ac paulatim recedens a sole, magis illustratur, donec adversa soli toto orbe luceat. Inde rursus accedens ad solem, decrescit. Unde in literis mysticis rerum humanarum gerit typum, in quibus multum est caliginis, nihil stabilitatis. 'Stultus,' inquit Sapiens, 'mutatur ut luna.' Sol autem Christum designat, qui est sapientia patris, nullis obnoxia mutationibus aut vicissitudini. Quemadmodum dicitur annuum, aut diurnum, ita et menstruum.

11 *Sed sola cælum*] Quia sola apparebat. Cælum appellat aërem; nec enim creditur illa fuisse in numero stellarum fixarum, aut errantium quæ vocantur, nec ulli affixa orbi: sed recens in hoc condita, ut per aërem incedens, magis indicaret æternam illam stellam Jesum Christum, in quem hæc vere congruunt, quæ dicit Prudentius.

12 *Cursum dierum*] Juxta historiam, non semper prælucebat Magis stella, sed quoties opus erat. Juxta allegoriam Christus est stella sola possidens cælum, dux et autor omnis divinæ veritatis. Hic est dies animorum, qui nescit occasum. De hoc vaticinatus est Balam: 'Orietur stella ex Jacob.'

14 *In se retortis motibus*] Quoniam

volvuntur circa polum, minimum conficiant spacii, sed videntur mox redire unde venerant. Non occidunt, tamen plerunque fit ut non videantur, videlicet obductæ nubibus. Christus autem neque novit occasum, nec ullis tenebris occultari potest. Hoc Prudentius ἀλληγορικῶς.

17 *Hoc sidus æternum manet, Hæc stella nunquam mergitur*] Sidus ex pluribus constat stellis, ut ursa, ut taurus. Stella singularis est. Aut igitur abusus est voce sideris, quod apud poëtas non est infrequens : aut sidus appellat Christum, secum trahentem sua membra.

21 *Tristis cometa intercidat, &c.*] Præter septem præcipuas stellas, quas Græci planetas vocant, Latini errones, præter stellas fixas, quas innumeras habet octava sphæra, frequenter apparent novæ stellarum species, insignem aliquam felicitatem aut calamitatem mortalium generi denunciantes. Græci cometas vocant, Latini crinitas, horrentes, ut inquit Plinius, crine sanguineo, et comarum modo in vertice hispidas. Sunt et pogoniæ, acontiæ, ceratiæ, lampades, aliæque complures, ex forma quam ostendunt nominibus inditis, de quibus tractat præter alios Plinius II. 25. Dubitatum est autem, an hæ perpetuæ sint, an ex tempore nascantur, humore vim igneam concipiente, et post occidant. Neque enim semper apparent in orbibus ipsis, sed frequenter in aëre hoc nostro, veluti Castores, qui videntur insidentes antennis, faces et bolides. Nec desunt qui putant nostras animas habere cognationem cum stellis, ut sua cuique sit peculiaris, quæ pariter cum homine nascatur et occidat. Hæc utcunque habent, probabile est hanc stellam recens creatam fuisse, nec orbibus affixam fuisse, sed angeli ductu per aërem commonstrasse viam Magis.

Tristis cometa] Juxta sensum allegoricum id accipiendum est. Nam et post Christum natum frequenter apparuerunt cometæ. Sed post exortam stellam illam Evangelicæ veritatis, non est quod quisquam timeat pestiferas Satanæ stellas. Sive bellum, sive famem, sive pestilentiam minitantur cometæ, nihil est periculi his qui sequuntur ductum hujus stellæ, quæ est Christus Jesus.

22 *Et si quod est astrum*] Sunt et sidera parum prospera rebus humanis, quum occidunt aut exoriuntur : ut Orion, hyades, ac pleiades, quæ tempestatem adferunt : canicula, cujus exortu solis fervor accenditur, fervent maria, fluctuant in cellis vina, moventur stagna, incrudescunt pestilentiæ, canes toto eo tempore in rabiem aguntur. Ea dicitur Sirius, a flammæ candore : quanquam qui Græcarum vocum etymologias contraxit, tot recitat opiniones, ut me pigeat referre. Juxta tropologiam vero Sirius est Satanas, qui mentes hominum ad insanos amores, ad bella insidiasque concitat. Has stellas extinguit Christus exortus, ac prælucens mentibus nostris. Nec caret gratia, quod abusus est appellativo pro epitheto, Sirio vapore, q. d. Italos mores, pro Italicos. 'Vaporem' autem dixit, exhalationem calidam.

25 *Ea Persici ex orbis sinu Sol unde sumit januam*] Incertum unde venerint Magi, nisi quod leguntur ab Oriente venisse. Persis autem ad Orientem est Palæstinæ, in qua est Hierosolyma.

27 *Periti interpretes*] Mox enim ut viderunt stellam, interpretantur natum regem. Ubi est qui natus est rex Judæorum ? Porro quos Græci philosophos appellant, Persæ Magos vocant. Vetustissimæ philosophiæ erat Astrologiæ studium.

29 *Quod ut refulsit, cæteri Cessere signorum globi*] Lucifer, eadem est Venus : qua nulla stella benignior nec plus habens lucis. nam et interdiu

frequenter apparet, et sola omnium umbram jacit super terram. Nulla est gloria, sive Prophetas et Patriarchas conferas, sive Angelos, sive quicquid est in terris magnificum, quod Christi gloria non obscuretur. Globos autem dixit stellas, quod sphæricam habeant figuram, etiamsi nobis videantur radiis inæquales, ob intervalli magnitudinem.

33 *Quis iste tantus, inquiunt*] Describit stellam Christum, ex significatione stellæ.

34 *Astris imperans*] Quia cadunt et obscurantur.

35 *Tremunt*] I. e. venerantur.

36 *Lux et æthra*] Æthra est purior cæli pars: habet enim et cælum ipsum lucem suam.

37 *Illustre quiddam cernimus, &c.*] Nullum imperium humanum fuit aut erit perpetuum. Hæc stella significabat regem, cujus nec initium ullum fuerit, nec finis sit ullus futurus. Unde et divinam naturam intelligunt. Nihil enim principio caret simul et fine, juxta Theologos, nisi solus Deus.

40 *Antiquius cælo et Chao*] Chaos fuit ante mundum conditum. Hoc itaque nihil antiquius.

41 *Hic ille rex est gentium*] Omissa persona Magorum, quos fecerat loquentes, ipse persequitur sermonem. Rex gentium et Judaici populi. Judæi Deum appellant Abraham, Isaac, et Jacob: sed Evangelium docuit illum esse regem omnium gentium. Abraham enim pater est omnium credentium: et hujus posteris præstatur, quicquid illi promissum. Judæi sunt, quicunque profitentur nomen Jesu, et mentem habent a terrenis cupiditatibus circumcisam.

45 *Æquanda nam stellis sua Cognovit olim germina*] Attingit historiam, quæ refertur Genes. XXII. 'Posteaquam Abraham paratus erat immolare filium unicum Isaac, dixit illi Deus: Per memetipsum juravi, dicit Dominus, quia fecisti hanc rem, et non pepercisti filio tuo unigenito propter me: benedicam tibi, et multiplicabo semen tuum sicut stellas cæli.'

49 *Jam flos subit Davidicus Radice Jessea editus*] Refert prophetiam, quæ est apud Esaiam c. XI. 'Egredietur virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet.' Cujus allegoriam exponit. Ex David filio Jesse prodiit Christus. Virga autem gestamen est regum, cujus viror significat perennitatem regni: flos, insignem eminentiam. Ex humilibus initiis natum est regnum Evangelicum: sed rectitudine veritatis increscens, occupavit totum orbem. Sequitur enim in eadem prophetia: 'Et percutiet terram virga oris sui:' videlicet virgam indicans Evangelicæ veritatis. 'Subit' autem dixit, pro, emergit: quemadmodum Virgilius dixit 'subjicit,' pro in altum jacit.

52 *Exin sequuntur perciti Fixis in altum vultibus*] Exin, i. e. postquam apparuerat stella. 'Perciti,' flagrantes amore videndi pueri. Stella signum erat, sed vis quædam occulta afflarat illorum animos.

55 *Sulcum*] Navis dicitur poëtis sulcare mare. ita stella videtur sulcare aërem.

57 *Sed verticem pueri supra Signum pependit imminens*] Prona face, velut adorabundum. Caput sacratum, i. e. puerum. Synecdoche est, quemadmodum charum aut lepidum caput dicentes, totum hominem intelligi volumus.

61 *Quod*] Subaudi caput.

65 *Agnosce*] Apostrophe est ad puerum.

67 *Puero*] *Puer o*, legendum est. Aliquis superscripserat *o*, ut indicaret vocandi casum esse: id scriba adjecit dictioni.

Trinam indolem] In hypostasi Christi tres erant substantiæ, sive naturæ: divina natura, anima humana, et corpus humanum. Verum hic aliud annotat, tres velut personas fuisse in

Christo: Dei, regis, et hominis; h. e. sacerdotis. Quatenus erat homo, mortuus est: h. e. immolavit seipsum pro peccatis mortalium. hujus rei typum habebat myrrha. nam et sacerdotum erat, incendere thymiama: et defunctorum corpora myrrha oblinebantur, ne putrescerent. Rex erat, quoniam ipse dicit: 'Data est mihi omnis potestas in cælo et in terra.' id indicabat aurum. Deus erat, edens miracula, seipsum revocans in vitam. ejus rei figuram habebat thus, dicatum rei divinæ.

73 *Hoc est sepulchrum, quod Deus Dum corpus extingui sinit*] Exponit allegoriam sepulchri. Quod animabus defunctorum est tartarus, hoc sepulchrum est exanimatis corporibus. Christus ut homo, mortuus est, ac sepultus: ut Deus, revixit, clauso sepulchro. Item hujus anima, ut hominis, descendit ad inferos: sed ut divinæ naturæ conjuncta, reversa ab inferis, liberavit illic detentas.

77 *O sola magnarum urbium Major Bethleem, cui contigit*] Apostrophe est ad Bethleem, patriam Iesu. Allusit autem ad prophetiam, quæ est apud Micheam cap. v. 'Et tu, Bethleem Effrata, parvus non es in millibus Juda.' 'Major magnarum' dixit, pro eo quod erat, inter magnas maxima.

79 *Cælitus incorpor.*] Non quod corpus venerit e cælo, sed quod absque viri semine, cælesti opificio fœtus ille conceptus sit.

81 *Altrice te, summo patri Hæres creator unicus*] Allusit ad prophetiam Psalmi: 'Dominus dixit ad me, Filius meus es tu, ego hodie genui te. Postula a me, et dabo tibi gentes hæreditatem,' &c.

83 *Homo ex Tonantis spiritu*] Homo erat, sed ex Spiritu Sancto conceptus. Deus erat, sed sub humano corpore: ita in uno, summa imis erant conjuncta.

85 *Hunc et prophetis testibus Iisdemque signatoribus*] Persequitur quod dixerat 'Hæres unicus.'

87 *Sator*] H. e. genitor erat Deus pater. Idem testator, quia instituit hæredem filium. Unde et testamentum vocatur novum ac sempiternum. In testamento adhibentur testes ac notarii, quo magis sit ratum. Hi sunt prophetæ, testes hujus promissi, ac velut obsignatores testamenti divini. Neque enim liberum, ut ita loquar, erat Deo rescindere testamentum, posteaquam per prophetas erat proditum. Quid igitur supererat, nisi ut quod erat legitime promissum, præstaretur: et institutus hæres juberetur adire hæreditatem. Id quod factum est, quum natus est Dominus Jesus. Tum enim missus est, ut regnum assereret patri, cui ipse consors esset. Et cernere opinor dictum, pro decernere. Devincendus enim erat tyrannus Satanas.

89 *Regnum quod ambit omnia Diva et marina et terrea*] Regnum inquam, non qualia sunt hujus mundi, angustis circumscripta terminis, sed quod omnia complectitur. 'Diva' dixit, pro cælestibus. Sub dio, sub cælo. Et suspicor dia fuisse scriptum. Tartara infra terram sunt, angeli supra cælum. Et huc usque porrigitur hoc regnum.

93 *Audit tyrannus anxius Adesse regum principem*] Christus rex erat, satanas tyrannus. Is per Herodem belligeratur adversus Christum. Audit ex Magis, et Scribis convocatis.

Anxius] Sic enim legis: 'Turbatum regem Herodem.'

97 *Nuncio*] Nuncium dixit, rem nunciatam.

98 *Successor*] Christus instat, quia jam natus.

Pellimur] Aliud erat regni genus, quam credebat Herodes: de quo elegantem hymnum canit chorus Ecclesiasticus: 'Herodes, hostis impie, Christum venire quid times? Non arripit mortalia, Qui regna dat cælestia.' Nemo non execratur Herodis

crudelitatem. Sed quicunque dediti sunt opibus aut honoribus hujus mundi, similem exercent crudelitatem in innocentes, quoties imminet periculum, ne pereat illis quod amant.

105 *Suspecta per Bethleem mihi*] Ne qua, ne aliqua puerpera. Ita metri ratio postulat. Alioqui 'Ne qua' possit accipi, pro ne qua via.

111 *Effusa nuper*] Nuper nata.

112 *Animas novas*] Nam infundendo creantur.

Rimatur] Quia lethali vulneri locus quæritur.

113 *Locum minutis artubus Vix interemptor invenit*] Mire tractat hunc miserationis affectum.

116 *Juguloque major pugio est*] Quum pugio sit gladiolus brevior, tamen jugulo major. Est autem epiphonema rei narratæ.

117 *O barbarum spectaculum*] Ad exaggerandam rei atrocitatem, ponit ob oculos varia mortis genera.

120 *Oculosque per vulnus vomit*] Ex impulsu prosiliunt oculi. 'Lacteum cerebrum,' nullis adhuc pituitis, aut alioqui vitiosis humoribus corruptum.

121 *Aut in profundum palpitans Mersatur infans gurgitem*] Quoniam infantis est tenerum corpus, et calore foveri solitum, palpitat ad sensum aquæ frigidæ.

124 *Singultit unda*] Ob fletum sæpe singultiunt pueri. Hic frigus aquæ, et interclusus halitus movet singultum.

125 *Salvete flores martyrum*] Flos initium et spes est fructus sequuturi. Sic pueritia flos est ætatis. Sequuti sunt post uberrimi fructus martyrum adultorum. Hoc genus apostrophe convenit epilogo generis Encomiastici.

129 *Vos prima Christi victima Grex immolatorum tener*] Christiana victima est, mactare carnem cum suis concupiscentiis, quæ rebellant spiritui: quemadmodum scribit Paulus Roman. cap. XII. 'Exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem, et rationabilem cultum vestrum.' Sed præcipua victima est, ubi totum corpus pro Christi gloria impenditur. Ita Paulus ad Timoth. 2. cap. IV. 'Ego jam delibor, et tempus meæ resolutionis instat.'

132 *Palma et coronis*] Dabantur et coronæ victoribus. Mire servavit decorum personæ. Puerorum est ludere. 'Ludunt ante aram,' in qua mactati sunt, sed ludunt palma et coronis: prius exempti e vita, quam scirent se vivere.

133 *Quid proficit tantum nefas*] Adversus divina consilia nihil valet humana vigilantia. Nihil non est factum ab Herode, ne Christus elaberetur. Solus elapsus est.

137 *Inter coævi sanguinis Fluenta*] Graviter dixit, fluenta sanguinis: festiviter autem coævum sanguinem ejusdem ætatis infantium.

Orbabat nurus] 'Nurus' dixit sponsas. Orbatur, qui liberis privatur, aut alioqui re charissima. Nec sine tropo, 'ferrum' dixit gladium.

141 *Sic stulta Pharaonis mali Edicta quondam fugerat*] Confert historiam Veteris Testamenti, cum historia Evangelica. Pharao rex Ægypti, videns increscere populum Hebræorum, jussit ut omnis fœtus masculinus exponeretur. Moses tamen expositus in Nilum, Deo volente, servatus est, inscio rege. Confert igitur Pharaonem cum Herode, Jesum cum Mose. Jesus captivos, ac diaboli tyrannide oppressos, liberavit, ac cælestis Jerusalem cives fecit: Moses suos cives eduxit ex Ægypto. 'Receptorem' dixit, restitutorem.

145 *Cautum et statutum jusserat*] 'Cum pondus alvi absolverent,' i. e. cum emitterent fœtum. Absolvitur, quod perficitur: absolvitur, quod dimittitur.

148 *Puerile*] A puero dixit. nam masculum intelligit.

149 *Mens obstetricis sedulæ*] Exodi

cap. II. narratur hoc factum a matre Mosi.

151 *Ad spem petentis*] Nam infantis indoles insigne quiddam præ se ferebat.

153 *Quem mox sacerdotem sibi Assumpsit orbis conditor*] Moses dux, dux et Christus. Sacerdos Christus, et Moses sacerdotium instituit. Moses legem tulit saxeis tabellis inscriptam: Christus autor est legis Evangelicæ, quam cordibus credentium inscribit per Spiritum Sanctum.

157 *Licetne Christum noscere*] Aperit collationem. Moses destinatus dux populi, quum videret Hebræum injuria affici ab Ægyptio, occiso qui parabat injuriam, liberavit Hebræum. Quod tum faciebat in uno, mox factum est in toto populo, via patefacta per mare Rubrum, in quo periit Pharao cum suis.

161 *At nos subactos jugiter*] Ægyptus Hebræis sonat tenebras, unde in mysticis literis gerit typum vitæ, vitiis et erroribus obnoxiæ. Hæc vera longeque miserrima servitus est, servire vitiis. Ab hac liberavit nos dux noster Jesus, non per legis opera, sed per gratiam, ac per fidei lucem depulit tenebras errorum.

165 *Hic expiatam fluctibus Plebem marino in transitu*] Baptismum designabat mare Rubrum, quod per sanguinem Jesu Christi servat Hebræos, ac transmittit in libertatem, Pharaonem cum exercitu toto mergit. Vitia malæque cupiditates sunt exercitus Ægyptiorum. Hebræis per noctem prælucebat columna ignis. Nobis ad pietatem resipiscentibus perlucet Evangelica veritas.

173 *Hic nempe Jesus verior*] Jesus Nave perduxit Israëlitas in terram promissam, expulsis indigenis. Verum is nihil aliud erat quam typus nostri Jesus: qui devicto Satana perducit suos in regnum cæleste.

174 *Post longa dispendia*] Quoniam Israëlitæ per annos quadraginta variis casibus agitati sunt in deserto, quum via sit non admodum longa ab Ægypto in Syriam.

175 *Suis tribul.*] Fratres Christi sunt, qui illi per fidem copulantur.

177 *Qui ter quaternis denique Refluentis amnis alveo*] Historiam quam legis Josue capite tertio et quarto, accommodat ad allegoriam. Quum Israëlitæ pedibus transissent Jordanem, inferiore parte fluminis defluxu suo relinquente siccum alveum, et superiore semet in altum agglomerante. Josue jussit, ut e singulis tribubus singulos viros eligerent: qui rursus ingressi Jordanem, e medio alveo tollerent singulos lapides durissimos, quos in ejus facti memoriam reponi jussit. Hos viros interpretatur duodecim Apostolos, per quos Christus fundavit Ecclesiam suam, quemadmodum legis Apocalypseos capite vigesimoprimo. Et murus civitatis habens fundamenta duodecim, et in ipsis duodecim nomina duodecim Apostolorum, et Agni.

Ter quaternis] I. e. duodecim.

178 *Refluentis*] Ita Psalmus: 'Jordanus conversus est retrorsum.' 'Stemmata' dixit monumenta.

182 *Vidisse testantur Magi*] Aiunt enim: 'Ubi est qui natus est rex Judæorum?'

183 *Cum facta*] 'Vidimus,' inquiunt, 'stellam ejus.' In signo viderant Jesum, quemadmodum Judæi viderant Jesum in figurarum ænigmatis, et oraculis Prophetarum, priusquam nasceretur. Nimirum hoc est quod ait: Cum facta priscorum ducum Christi figuram finxerint: quemadmodum modo declaravit de Mose et Josue. 'Finxerint' dixit, pro designarint.

185 *Hic rex priorum judicum Rexere*] Christus in medio seculorum natus est, sic ut utrunque tempus complectatur, et præteritum, et sequens. Rex erat synagogæ, rex est Ecclesiæ. Rex erat Patriarcharum, Regum ac

Judicum Israël: Rex est et posterorum idem Jesus Christus. 'Dominam' Ecclesiam vocat, quod huic se submittat orbis. 'Templum novellum,' dixit Ecclesiam, hoc est templum spirituale. Et 'templum pristinum' dixit templum Solomonis, quod Ecclesiæ gerebat imaginem. Idem Christus utrisque imperabat, sed aliter: illis destinatus, his exhibitus: illis adumbratus figuris, his palam declaratus: illis promissus, his datus: illi servabantur, quia credebant venturum: nos servamur, quia credimus venisse.

193 *Quin et propago degener Ritum secuta inconditum*] Germani Judæi sunt, qui genus ducunt ab Abraham, Isaac, et Jacob, ac duodecim Patriarchis. nam hi coluerunt unum Deum. 'Degenerem propaginem' vocat eos, qui genus duxerunt ab Agar, Moab, et Ammon: unde gentium origo, Deos multos colentium 'Quæcunque dirum f. b. c. cox.' De Baal idolo, quod colebatur olim ab impiis, multa est mentio in libris sacris. Aram Baal demolitus est Gedeon, una cum luco, ac novum extruxit altare. Quoniam autem variæ gentes erant, colentes simulachra, ideo dicit: Quæcunque natio coxit dirum Baal, hoc est execrabile simulachrum, fervidis caminis.

197 *Fumosa avorum*] 'Fumosa' dixit, vel ob vetustatem, vel ob fabrorum officinas.

198 *Sax. metal. stip.*] Tres materias refert Deorum, lapidem, æs, lignum. Opificium item triplex: metallum raditur lima, saxum secatur, lignum dolatur.

201 *Gaudete quicquid gentium est*] Invitat omnes orbis nationes ad laudandum Jesum, qui rex est omnium, per quem unum omnes ad vitam revocantur.

205 *Laudate vestrum Principem Omnes beati ac perditi*] Quibus res sunt prosperæ, beati dicuntur: perditi, qui variis malis affliguntur. Sed sæpe beatiores sunt afflicti, quam beati. Utrique tamen laudare debent Principem suum Jesum.

206 *Beati*] Quod successu rerum ex ipsius benignitate fruantur. Afflicti, quod per illius misericordiam emendantur ac purgantur, ne pereant in æternum.

207 *Vivi, imbecilli*] 'Sive morimur,' inquit Paulus, 'sive vivimus, Domini sumus.' Qui vivit ac valet, vivat Principi suo, qui in hoc vitam largitur, ut reddatur melior: qui ægrotat, laudet regem suum, qui nostro bono morbos immittit: qui moritur, laudet principem suum, quoniam transfertur ad vitam feliciorem. Neque enim jam mors dicenda est, quæ recta perducit ad vitam æternam, per Jesum aperto regno cælorum. Non enim moriuntur, sed obdormiscunt, qui moriuntur in Christo, ad angeli vocem et corporibus experrecturis.

IN AURELII PRUDENTII CLEMENTIS,

CÆSARAUGUSTANI, V. C.

DE MIRACULIS CHRISTI, HYMNUM AD OMNES HORAS,

JACOBI SPIEGELII SLESTADIENSIS

INTERPRETATIO.

In hymnum] Menander rhetor 'non aliud hymnum *esse*' tradit, 'quam Dei cujuspiam laudem.' Hymnorum tria genera in Lectionibus antiquis apud Cœlium referuntur, Prosodion, Hyporchema, Stasion. Prosodion λιτανεία, sive supplicatio dicebatur, cum hymno, ubi Deos adirent, ac sacrificium ad altare proferrent. Hyporchemata vero concinebant saltantes in altaris ambitu, ubi jam igni admota forent sacra. Mox autem cum quiescentes canerent, vocabantur stasima. In Scholiis quæ adjecimus Iambico rhythmo in laudem Annæ aviæ Jesu Christi, a Roterodamo dicto. Cui summo in Theologia viro, Theologista gloriosior infantiorque lubens concedit eloquentiæ magnitudinem et doctrinam secularium literarum, interim scientiam legis Dei subtrahens. Cantus divinis accommodatos laudibus dici quidem universim hymnos, privatam vero non unam esse ejus rei nomenclaturam, annotavimus obiter. Siquidem Dianæ hymnus dicitur Hypingos: Apollinis Hyporchema, vel Pæan: Dionysii Dithyrambus: Cereris Julus: Linus vero et Litierses, agrestium sunt cantilenæ. Venerii hymni Erotici sunt appellati, tanquam amatorii: Vinolentorum hymnus dicitur Crepalocomos, quia Crepalem vocant vinolentiæ tremorem. Porro hymnorum alii Cretici dicuntur, qui Deorum habent advocationes: Apodemetici alii, qui peregrinationem Dei alicujus complectuntur. aut Physici, qui Jovis aut Apollinis, aut cujusvis naturam explicant. Mythici, ut nomine apparet, fabulis constant, et per tenuem progrediuntur allegoriam. Genealogicos cum Mythicis eosdem putavere quidam, discernuntur tamen interstitio certo. In Genealogicis parentes recensentur. Peplasmeni sive ficti, quando confingimus Deum aut Deorum vel dæmonum prolem. Enctici votum habent, et preces: sicut rejicientis deprecationem, qui vocantur Apeuctici. Sed sciteturforte aliquis, suntne hæc concessa poëtis solum, anne rejiciuntur quidem ab hoc genere laudis prosæ orationis conditores? Respondet Rhodiginus, qui ait: Qui Platonis, non sciendi modo, sed etiam dicendi magistri eminentissimi, sacraria quandoque adierit, illum comperiet tum in Symposio, tum in Phædro his omnibus usum. His palam fit, hymni

nomen variis tributum fuisse rebus agentibus. Et cantatos quoque hymnos rebus turpibus, in Poëtica scribit Aristoteles. Et Græcos Heroico carmine hymnos texuisse constat. Quin Moses primus hexametro genere usus est in Dei laudem, cum demerso Pharaone canticum edidit: ut Josephus, Hieronymus, et alii produnt. Apud Latinos heroico carmine qui divinas laudes heroicis versibus concluserit, præter orationem Ausonii et Claudiani Epigramma nullum arbitratur Picus adhuc innotuisse. At Lyricis pedibus utraque lingua plurimi laudes et divinas et humanas cecinere. Quid autem hymnus indicit, varia quoque produntur. Nam et laudare significat ὑμνεῖν, unde Homerus, Ἑρμῆν ὕμνει, μοῦσα: et Orpheus Crotoniata, σὴν ἀρετὴν ὑμνῶ. Sed per antiphrasim hymnum usurpavit Æschylus in malum. Justum vero navigationis sermonem hymni appellatione declaravit Hesiodus. Idem nomen pro oraculo posuit Euripides, et paraphrastes Dionysii Libys pro munere et retributione sumsit hymnum: sed pro divina laude verius accipitur: quod et Eustathius voluisse videtur, tametsi aliis modis sumptum affirmet, atque pro prece quoque ipsis carminibus a Dionysio positum fuisse fateatur. Sunt qui malint hymnum semper, vel proprie, divinas laudes significare. Laudem vero hominis in Græcorum doctrina dici quandoque Epænon, alias Encomion. sed disparantur a nonnullis hæc, ut in artibus docuit Menander. Siquidem Epænon vocitari aiunt testimonium de aliquo, ab singulari virtute: veluti cum Aristidem, justi cognomento decoramus. Encomion vero, ex virtutibus compingitur omnibus. In hoc per omnia excurrimus, genus commemorantes, necnon educationem, gesta, et id genus alia. Nonnulli sic discrevisse malunt, ut dicatur Epænos, ubi quem ita laudamus, ut judicio consensuque nostro laudandum censemus. Encomion vero laudem habet, sed non utique assensum animi verum: veluti si ollam laudes, vel ut Lucianus muscam: aut calculos, ut Polycrates: non quia hæc admireris, sed ingenii vegetandi, exercendique gratia. Quidam ita finierunt, Epænon esse orationem virtutis magnitudinem explicantem: Encomion vero gesta præclara illustrare. Encomion, i. æ. ἐγκώμιον, dici interpretantur παρὰ τὸ ᾄδεσθαι ἐν τοῖς κώμοις καὶ συμποσίοις, quod in convivio concineretur, et bacchanalibus, comessationibusque, quas dicunt Comos: vel διὰ τὸ ἐν ταῖς κώμαις ᾄδεσθαι, i. e. quia in vicis caneretur: quod tunc vicatim habitaretur Græcia. Periautologian vero statuunt vocari, ubi quis seipsum laudat. ut est illud Achillis apud Homerum: οὐχ ὁρᾷς, οἷος ἐγὼ καλός τε μέγας τε; 'nonne vides quam pulcher ego et quam magnus?' Sed et Maro noster: 'Sum pius Æneas, fama super æthera notus.' Fuere autem multi, qui res divinas carmine prosecuti sunt. Ex Græcis, præter hymnos Dionysii (quos ab eo editos scimus, sed quonam genere, minime novimus) sunt: Gregorius Nazianzenus, cujus et prosa et carmine multa ejus opera leguntur: Nonnus Panopolitanus, qui Paraphrasim in Evangelium Johannis carmine composuit heroico: Amphilochius Iambos: Apollinaris Juliani temporibus gesta Hebræorum heroico versu, in Juliani invidiam quatuor et viginti libris complexus est, autore Sozomeno, et præterea comœdias Menandri, et lyram Pindari felicissime dicitur æmulatus. Stephanus item de Christi cruciatu tragœdiam, Ambrosius præterea Alexandrinus, Sophronius, Joannes Damascenus, Christodorus Thebanus Ægnatius Constantinopolitanus, Methodius, qui Porphyrii errores metro redarguit, et alii non parum multi, in omnium

carminum genere celebres: Latine autem cecinerunt, Juvencus, Sedulius, Arator, Prudentius, Lactantius, Paulinus: quorum libri notissimi. Hieronymus etiam epitaphia quædam, et de Psalterio hexametros quoque versus concinuit. Hilarius Pictaviensis hymnorum librum, auctore Hieronymo: et magnus Ambrosius hymnos quoque lyricos edidit. Severinus item in Consolatione philosophiæ varia carmina cecinit. præterea Damasum, Licentium Bedam, Rhabanum, Hydalbertum Cenomanensem, et alios. De hymnis canendis et Salvatoris et Apostolorum habemus exemplum. nam et ipse Dominus hymnum dixisse perhibetur, Matthæo Evangelista testante cap. XXVI. 'Et cum hymnum cecinissent,' h. e. cum dixissent laudes (ut intelligas Apostolos dixisse hymnos, non tantum Christum, ut pulchre Erasmus adnotavit) 'exiverunt in montem olivarum.' Et Paulus ad Ephesios cap. V. 'Et ne inebriemini vino, in quo luxus est: sed impleamini Spiritu, loquentes vobismetipsis per psalmos et hymnos et cantiones spirituales.' Quem locum exponens D. Hieronymus, sic ait: Quid autem intersit inter psalmum et hymnum, et canticum, in psalterio plenissime discimus. Nunc autem breviter hymnos esse dicendum, qui fortitudinem et majestatem prædicant Dei, et ejusdem semper vel beneficia vel facta mirantur. Quod omnes psalmi continent, quibus Alleluja vel propositum vel subjectum est. Psalmi autem proprie ad ethicum locum pertinent, ut per organum corporis, quid faciendum et quid vitandum sit, noverimus. Qui vero de superioribus disputat, et concentum mundi omniumque creaturarum ordinem atque concordiam subtilis disputator edisserit: iste spiritale canticum canit. Vel certe, ut propter simpliciores manifestius quod volumus eloquamur, psalmus ad corpus, canticum refertur ad mentem. Et canere igitur, et psallere, et laudare Dominum, magis animo quam voce debemus. Hoc est quippe quod dicitur: Cantantes et psallentes in cordibus vestris Domino. Audiant hæc adolescentuli, audiant ii quibus psallendi in ecclesia officium est, Deo non voce sed corde cantandum, nec in tragœdorum modum guttur et fauces dulci medicamine colliniendas, ut in ecclesia theatrales moduli audiantur, et cantica: sed in timore, in opere, in scientia Scripturarum. Quamvis sit aliquis, ut solent illi appellare, κακόφωνος, si bona opera habuerit, dulcis apud Deum cantor est. Sic cantet servus Christi, ut non vox canentis, sed verba placeant quæ leguntur, ut spiritus malus qui erat in Saule ejiciatur ab iis qui similiter ab eo possidentur, et non introducatur in eos qui de Dei domo scenam fecere populorum. Porro explosa est et confutata eorum sententia, qui hymnos non esse recipiendos putabant, quia non existerent de scripturis sanctorum Canonum, vel Apostolica traditione. Habes singulare caput de hymnis apud decreta patrum De consecratione, distinctione prima. De hymnorum autoribus extat libellus avunculi mei ad Vigilium nostrum. Tanta vero apud Hebræos hymnis est majestas, ut eorum autores prophetæ nomen sortiantur.

Aurelii Prudentii Clementis] Habes vitam ejus per Aldum Romanum, a quo Vir Consularis dicitur reclamante Alciato, qui male sentire eos putat, qui has notulas, V. C. vel Quintæ Cohortis, vel Virum Consularem interpretantur. Nam capite quarto libri quarti Dispunctionum, Claudiani inscriptionem adnotans: 'Abolita,' inquit, 'ea ætate erat consuetudo, qua quis Consularis diceretur.' Floruit autem Prudentius temporibus Valentiniani secundi, et Theodo-

sii Magni, et filiorum ejus Arcadii et Honorii Imperatorum. Quibus et Ausonius et Claudianus poëtæ, item Hieronymus, Ambrosius, Augustinus, divi Ecclesiæ sanctæ doctores floruerunt. Opinatur non Alciatus modo, sed tradit etiam, notulas prædictas demonstrare Virum Clarissimum. Ipse vero haud discedendum putarim ab Aldina lectione: si modo, qui Consulem agere desiit, Consularis est. Fuit Prudentius Consul, quod de seipso attestatur in præfatione Cathemerinon, his verbis: 'Hæc dum vita volans agit, Irrepsit subito canicies seni Oblitum veteris Messaliæ consulis arguens.' Quod Aldus admonet, dispunge in dictione Messaliæ primæ syllabæ e, et repone a. nam ἡ μασσαλία Græce. Sed et plurimis aliis dignitatibus perfunctum periisse in summa senectute, intelligitur cum aliis argumentis, tum præcipue his carminibus Prudentii: 'Frenos nobilium reximus urbium, Jus civile bonis reddidimus, terruimus reos: Tandem militiæ gradu, Evectum pietas principis extulit.'

Cæsaraugustani] Ut ex Sapphico hymno colligimus, quem in laudem duodeviginti martyrum Cæsaraugustanorum scripsit. Cæsaraugusta ad Iberum sita Ptolemæo, Strabo Augustam Cæsaream nominat. Pomponius Mela lib. II. scribit: 'Urbium de mediterraneis in Tarraconensi clarissimæ fuerunt Pallantia et Numantia, nunc est Cæsaraugusta.'

De miraculis Christi] Exemplaria titulum hujus hymni variant. Aldina sic habent: *Hymnus ad omnes horas.* alia, *Ode de gestis et miraculis Christi.* quædam conjungunt, quod mihi magis placet. Commendantur autem hymni præsentis, ut et de natali Domini, carmina, ut refert Crinitus. Sidonius Apollinaris, haud omnino contemnendus autor in legendis atque observandis antiquis scriptoribus, cum loquitur de Prudentio, minime veritus est illum Horatio adjungere.

Ad omnes horas] Huic titulo codex Peutingeri obsoletæ vetustatis accedit, his verbis, *Hymnus omni hora:* quod ob argumentum omni tempore dici possit, cæteris suis horis dicendis, quas inscriptiones ipsæ indicant, ut 'Ad galli cantum,' 'Ad matutinum,' et sic de aliis. Cæterum præsens hymnus carmine Trochaico contexitur, Alcmanio et Euripidio alternatim currens. Est autem Trochaicum carmen, in quo Trochæus frequentius locum et sedem occupat, quam alii pedes, locis imparibus, ut primo et tertio, Trochæum fere semper habens: locis vero paribus, ut secundo et quarto, etiam Spondæum admittens. Alcmanium autem Trochaicum carmen est. Trochaicum Tetrametrum Acatalecticum, obtinens quatuor integros pedes, ita constitutos, ut dictum est, cui neque deest, neque superfluit syllaba aliqua ad suam mensuram, sed integra est completa. Alcmanium autem (et non, ut vulgus, Alemanicum, vel Alcimanicum) ab Alcmane Poëta Lyrico, cujus Papinius meminit in Sylvis. Euripidium vero, ita ab Euripide inventore suo cognominatum (ut fere omnia carmina a primis suis auctorib. nomina sortiuntur) carmen est Trochaicum Tetrametrum Catalecticum, complectens treis pedes, eodem ritu ut in superiore carmine dispositos, et unam syllabam. Quare deest illi, ad quarti pedis complementum una syllaba. Quamvis me non latet, alios hujus carminis pedestrem rationem aliter tradere. Sed modo Prudentium ipsum jam canentem audi.

1 *Da puer plectrum*] In foribus hymni summatim perstringit rerum capita, de quibus cantaturus est; nempe gesta Christi insignia, et eximia, ne solennia dixeris: ut in marginali veteris exemplaris spacio non satis Latine, ut et multa ejusdem pul-

veris adnotata vidimus. Nam Solenne, quo verbo eleganter est usus divus Hieron. lib. II. adversus Jovinianum dicitur, quod ex more fit. Unde ridicule quidam solennes doctores vocant, quos eximios volunt significare: quod ante me princeps ille omnis eruditionis et invidiæ pariter victor, Erasmus admonuit. Non prætereundum hic censeo, quod diversi diversa suis hymnis posuere principia. Ad tria genera maxime celebrata initiorum reducuntur. Aut enim statim fit invocatio, et aliquando etiam ejus ipsius qui celebratur in hymno. Sic Orpheus quandoque, sed raro, frequentius aliquanto Homerus egit. atque ita etiam, quanquam opere diverso, tum Crotoniata Orpheus, tum Apollonius in Argonauticis fecerunt, tum et Nazianzenus in carmine quod vitæ suæ gesta continet. Homerus, Orphei more, brevibus quandoque verbis proposuit, quod est secundum genus initii. Tertium a raptu mentis et abalienatione derivatur, quod Callimachus visus est aggredi, sed insano et furenti similis, ut fatidici sacerdotes et bacchæ solebant.

1 *Puer*] Vocativi est casus, a nominativo puer. Nam et puere dicitur, a nominativo, puerus, quo olim veteres utebantur. Puer polysemum vocabulum est. Hoc loco servum significat, ut apud Plautum, Terentium, et alios. Apud priscos cum nomine Domini compositum unum nomen efficiebatur, ut Marcipor, Publipor, Marci puer, Publii puer. Marciporis titulo, extabat Varronis Satyra: auctor cum Plinio Festus. Necnon et Marcellus sæpe in Marcipore Varronem advocat. Quæ 'sane nomina' (ut inquit Plinius) 'maximam præ se ferunt veterum frugalitatem, ut qui singulis modo servis essent contenti.' 'Hoc autem a servis dominandi genus intercedit,' autore Quintiliano I. 8.

Da] Offer, porrige. Melibœus apud Virgilium: 'Sed tamen iste Deus qui sit, da, Tityre, nobis:' i. e. dic. et Tullius Academicorum primo: 'Da mihi nunc, satis ne probas?' i. e. cedo.

Plectrum] A πλήττω percutio, quod a citharœdis illo fides percutiuntur.

Canam] Polysemum est, ut apud Servium. Sed quod idem præteriit, non ore modo, sed etiam qui fides organave pulsat, aut qui tibias inflat, canere dicitur. Haud inepte tamen hoc in loco Canam accipi potest, ut hodie in orbicularibus nostris choreis fieri solet, unius præcentoris verba modulationemque junctis simul vocibus referentibus. Porro Poëtarum officium est canere, aut modulari: opus vero carmen, vel poëma. Hinc Maro Homerum Poëtarum facile principem in plerisque imitatus cecinit: 'Arma virumque cano.' et alio in loco: 'Cecini pascua, rura, duces.' quod est, cantavi. Canere vero, cantare intelligi oportere, idem Poëta manifestat, qui in Bucolico de Hesiodo ita locutus est: 'Hos tibi dat calamos, en accipe, Musa Ascræo quos ante seni: quibus ille solebat Cantando rigidas deducere montibus ornos.' Quare non indocte, quisquis ita exorsus est, quod est apud Flaccum: 'Fortunam Priami cantabo et nobile bellum.' Et Boëtius et canendi et modulandi, et cantandi denique exempla suppeditat, testificans ea omnia esse Poëtarum ac vatum munera. De Philosophia enim, quam loquentem inducit, et versibus sæpe ludentem, ita ait: 'Hæc quum Philosophia dignitate vultus et oris gravitate servata, leniter, suaviterque cecinisset.' Et rursus: 'Jam cantum illa finierat, quum me audiendi avidum, stupentemque, arrectis adhuc auribus carminis mulcedo defixerat.' Ac paulo post: 'Canendi etiam jucunditate refovisti.' Cumque Philosophia quæ secum loqueretur, versus allatura esset, 'ac simul,' inquit,

ita modulata est.' Denique et alio in loco hæc verba subjecit: 'Quare necesse erit humanum genus, uti paulo ante cantabas.' et alia. Sed infinitum sit ejusmodi exempla colligere. Hæc autem idcirco ex Augustino Datho viro eruditissimo attulimus, ad eorum sententiam refellendam, qui imperiti harum rerum, ac prorsus ignari, illepide atque imperite Canere apud Poëtas volunt esse describere, nec verbi ipsius aut vim aut elegantiam complecti animo possunt. Hunc Severinum Boëtium dictum, et falsa voce Bœtium vocari, auctor est Alciatus, in Annotationibus in tres posteriores lib. C.

Choreis fidelibus] Protulit adjective, ut solet, sicut sacer autor hymni, cujus initium est: 'Vexilla regis prodeunt, Impleta sunt quæ cecinit David fideli carmine.' At divinarum rerum scriptores, substantive fideles opponunt Paganis, quo nomine comprehendunt omnes extra cultum Christianæ fidei, tanquam extra militiam veri Dei, neque veris initiatos militiis. Sunt exemplaria et vetusta et recentia, eaque in Germania excusa, quæ habent, Ut canam fidibus. At ego Aldinum exemplar hoc loco probaverim: maxime adspirante venerandæ vetustatis exemplari, admodumque fideli, quod in hujus laboris usum ex thesauro suo librario mihi liberaliter communicavit celebris ille et Jurisconsultus Cunradus Peutingerus, cujus et humanitas et eruditio omnem literarii orbis angulum implevit.

2 *Dulce carmen*] Jucundum canticum. Receptum est carmen dici, quicquid pedibus clauditur: tametsi in soluta quoque oratione apud Ciceronem et Livium, positum reperiatur pro præscripto, sententia, sive præcepto; et Plinius junior præter aliorum consuetudinem usurpavit, longum carmen, longum verborum ordinem, quo in comitiis utebantur. Quod utique de carmine non esse mirandum, Asconius Pedianus facit, qui versiculum pro verbo, quod insolentius est, usurpasse deprehenditur, quum ita scribit: 'Tribus versiculis enim ait: Accepi, dedi, reliqui.' Ne quis vero mendum putet exemplarium, id ex Cicerone est, Verrinarum actione tertia: 'Audistis quæstoriam rationem, tribus versiculis relatam.' In epistolis vero ad Brutum sic refert: 'Breves tuæ literæ, breves dico, imo nullæ: tribusne versiculis his temporibus Brutus ad me?' Et prosæ orationis esse versus (nec enim omnis versus est carmen) ex his liquet Hieronymi verbis: 'Nemo cum Prophetas versibus viderit esse descriptos, metro eos existimet apud Hebræos ligari, et aliquid simile habere de Psalmis et operibus Solomonis, sed quod in Demosthene et Tullio solet fieri ut per cola scribantur et commata, qui utique prosa et non versibus conscripserunt.'

Melodum] Gratam harmoniam. Melos est cantus modulatus, et concinnus, aures suavitate deliniens, ἀπὸ τῶν μελῶν: id est, a membrorum corporis congruentia dictus: quod a Cælio adnotatum est, et Roterodamo in Scholiis in epitaphium Nepotiani refertur. tametsi, Acrone teste, sunt qui dicant, Melos singulariter esse pastoralem cantum, atque esse indeclinabile, et genere neutrum. Melici Poëtæ dicuntur, quod dulcedine carminis utantur. Homerus melos in hymnis prima productiore protulit. quorum exemplo cecinit Capella lib. IX. 'Et melicos cantus Melica grata tulit.' Hos quoque Persius ante Capellam imitatus erat in eo versiculo: 'Cantare credas Pegaseium melos.' Reclamat Politianus, cui videtur pro melos, nectar legendum. At Baptista Pius ipsum putat in hac re nodum in scirpo quærere. Erasmus quoque melos legit. Melos autem

M. Cato refert esse bipartitam, unum quod est in assa voce, alterum quod vocant organicon.

Gesta Christi] Per appositionem: et intellige miracula, quæ sunt hujus hymni potior materia. Proprie gesta dixit, quum illa sint magnarum rerum, ut acta judiciorum, testamentorum, et consimilium. Gestus genere virili motus est ille oratorii corporis, qui debet esse magis ad sensus quam ad verba accommodatus. de quo plura Quintilianus II. 3.

Insignia] Magna, clara, illustria. Sic apud Maronem Æneas 'insignis' dicitur. Quicquid vel virtute vel vitio cæteris præstat, insigne dicitur. Quæ arma vulgo vocantur eruditioribus, insignia gentilicia dicuntur, de quibus apud Budæum in Annotationibus in Pandectas.

Christi] Hoc nomine Græci unctum significant, Hebræis Messiah idem est: quod apud illos inungi soleant, qui regni susciperent honorem, uno hoc vocabulo simul et regis et sacerdotis dignitatem explicantes. Nam utrique communis unctio, et utraque dignitas uni competit Christo, de quo nomine copiose in Commentariis nostris meminimus, quos in Staurostichon Pici scripsimus. Adde quod immortale literarum decus Roterodamus ille, tametsi leviculum videbatur, admonuit: 'Clericorum vulgus in templis primam Christi syllabam exilem sonare, hoc est per cappa, non per chy, ut quoties Christum vocandi casu compellant, cristas alloqui videantur, non Christum.'

8 *Nostra camena*] Poëtarum more, quibus familiare est Musas tanquam feminas, sibi suggerentes quæ scribant inducere. Sappho Ovidiana: 'At mihi Pegasides blandissima carmina dictant.' Boëtius: 'Ecce mihi laceræ dictant scribenda Camenæ.'

Pangat] Canat, hoc loco. Proprie autem quem dicimus versum pangere, ut orationem solutam struere. Lucret. lib. I. 'Obscura de re tam lucida pango Carmina.' Cicero: 'An pangis aliquid Sophocleum?' Gellius: 'Si versum pangis, aut orationem solutam struis.' Plinio et Columellæ pangere est plantare: facit in præterito, panxi, et pegi, et secundum Charisium pepigi. Sed auctore Quintiliano, pepigi non est a pango pangis, sed a pago pagis. Scribit enim Orat. Instit. I. 10. 'Memoria repeto convictos a me, qui reprehenderant, quod hoc verbo usus essem Pepigi. Nam id quidem dixisse summos auctores confitebantur, rationem tamen negabant permittere: quia prima positio Paciscor, cum haberet naturam patiendi, faceret tempore præterito Pactus sum. Hos præter auctoritatem oratorum atque historicorum, analogia quoque hoc dictum tuebamur. Nam cum in XII. Tabulis legerimus, Ni ita pagunt, inveniebamus simile huic Cadunt. Inde prima positio, etiamsi vetustate exoleverat, apparebat pago, ut cado: unde non erat dubium, sic pepigi nos dicere, ut cecidi.' Quid quod Cicero ad Herennium eo verbo est usus, quod Quintilianus exolevisse dicit? 'Rem,' inquit, 'ubi pagunt.'

Hunc solum] Christum, divus Hieronymus in Epitaphio Nepotiani haud sine figuræ gratia Christum dixit vocem omnium: significans eum omnium voce laudari. Secundum canticum trium puerorum, quo invitantur omnia creaturarum genera tam cœlestia quam terrestria, tam animata quam inanima, tam ratione prædita quam illius expertia, ad laudandum exaltandumque summum numen. 'Omnis autem creatura,' ipso Hieronymo autore, 'non voce, sed opere laudat Dominum, quia ex creaturis consequenter creator intelligitur, et in singulis operibus atque effectibus Dei magnificentia demonstratur,' ut inferius suo loco dicemus.

Lyra] Apte dicit. nam Deorum he-

roumque laudes lyricis versibus scribebantur, teste Horatio in Arte: 'Musa dedit fidibus divos, puerosque Deorum.' Lyra enim Latine dicitur fidis, cujus concentu carmina lyrica cantabantur. Quorum Princeps apud Græcos Pindarus, apud Latinos Horatius, inter ethnicos, ut Prudentius inter eos qui in veri Dei venerationem pietate plenos modulati sunt hymnos. Diodorus in primo autor est, 'Mercurium lyræ ex nervis trium chordarum, instar trium anni temporum, repertorem fuisse.' Tres enim instituit voces, acutam, gravem, et mediam: acutam ab æstate, gravem ab hyeme, mediam ab vere sumens. Macrobius Sat. I. scribit, 'Lyram Apollinis chordarum septem fuisse: per quas tot cælestium sphærarum motus præstat intelligi, quibus Solem moderatorem natura constituit.'

Laudet] Extollat.

4 *Rex sacerdos*] Videri mihi possent verba hæc dicta de Melchizedek, qui solus rex et sacerdos in sacris literis dictus est. De quo hoc pacto in Genesi legitur: 'At vero Melchizedek rex Salem, proferens panem et vinum (erat enim sacerdos Dei altissimi) benedixit ei, et ait: Benedictus Abraham Deo excelso, qui creavit cælum et terram: et benedictus Deus excelsus, quo protegente, hostes in manibus tuis sunt.' Et in Epistola ad Hebræos, cap. VII. Ut autem de Davide intelligam, sequentia cogunt, qui rex et psaltes, cui de Christo (ut inferius dicam, ibi, 'Emicat promissus olim') facta est promissio: de quo et in plerisque Psalmis præcinit, in lib. 2 Regum cap. XXIII. legimus: 'Dixit vir, cui constitutum est de Christo Dei Jacob, egregius psaltes Israël.' Cæterum sacerdotem non invenio vocatum, quamvis filii illius sacerdotes dicantur in eodem libro, capite octavo, et lib. 3 Regum cap. IV. de Cabal nepote David ex Nathan, quod fuerit sacerdos amicus regis, præfectus collegio sacerdotum et magnæ autoritatis in Israël. Jam constat, sacerdotes Nobes negasse primum panes propositionis David et suis, tanquam laicis et impuris. 1 Reg. cap. XXI. In reductione arcæ David Leviticum habitum induit, non Pontificalem. Unde dicitur Ephod lineo cap. VI. Reg. 2. Non video igitur quomodo infulatum dicamus. Quid si poëtice epitheton adjecerit, quia sacerdotem dixit, vocet etiam, infulatum? Ego hæc in medium attuli, nihil pronuncians, imo de iis malens doceri.

Adfuturum] Venturum.

Protinus] Adverbium est temporale, i. e. statim: autor est Caper. At per e scriptum, adverbium locale est, id est porrotenus. ut apud Maronem Ecl. 1. legendum est: 'En ipse capellas Protenus æger ago.' et hic quoque scribendum per e. Non enim statim verbum Dei caro factum est, quod tamen, ut inferius dicit Prudentius, 'Fideles paginæ Prophetarum spoponderant, Sybillæque vetustis concinebant seculis.'

5 *Concinebat*] Prædicabat, pronunciabat.

Infulatus] Ab infulæ usu: ut a diademate diadematus. Et Metellorum quendam constat Vittatum dici consuesse, quoniam quum ulcus haberet, diu frontem vitta ligatus processit in publicum. Pompeius: 'Infulæ sunt filamenta lanea, quibus sacerdotes et hostiæ templaque teguntur.' Servius in decimo, super hoc versu, 'Infula cui sacra redimibat tempora vitta:' 'Infula,' inquit, 'fascia in modum diadematis, a qua vittæ ex utraque parte dependebant, quæ plerunque lata erat et tortilis de albo et croceo.' Dicitur autem diadema βασιλικὸν ἔνδυμα, i. e. regium gestamen. Et ponitur pro fascia candida, quæ regum capitibus obligabatur. Quod insigne regium invenit primus, autore Plinio, Liber pater.

Voce] Unde vocalis dicitur is, qui concentibus est clarus. Scribit Aristoteles libro περὶ ἑρμηνείας, h. e. de interpretatione, vocem improprie dici nisi humanam scriptibilem, articulatam, et aliquid significantem. Cæteros, ut beluarum, et aliarum hujusmodi rerum, dici sonos et sonitus.

Chorda] Cithara, per synecdochen.

Tympano] Tympanum vulgo cognitum instrumentum, tripudiis et choreis accommodum: de quo Plautus intelligens, qui tympani sonum excitaret, Tympanotribam vocavit, qui et Tympanista: sicut Cymbalista, qui cymbala tractat.

6 *Hauriens*] Accipiens.

Spiritum cælo influentem] I. e. propheticum, quo futura prædicuntur, qui a scholasticis Theolog. appellatur revelatio prophetica, non bonis modo sed et malis obvenit. in sacris Numeris legimus de scelesto Balaam, qui Propheta appellatus est, quandoquidem et de Christo celebre illud prædixit: ‘ Orietur stella ex Jacob.’

Cælo] I. e. a supernis: unde secundum Jacobum, ‘ Omnis donatio bona et omne donum perfectum descendit a Patre luminum.’ Ne putes a cælo vel astris prophetiam consequi posse, ut Rogerius, Baccho, Artephilus, et alii voluerunt: ut neque ipsius naturæ ope vel adminiculo ipse cuivis spiritus hauriri potest. Quod tamen visum fuit Avicennæ, Algazeli, Averroi, Mosi Ægyptio item, et Mosi Narbonensi: quorum opinionem et confutat acerrime Aquinas in tertio libro adversus gentes, et in prima Theologici compendii parte. Cæterum appellatione spiritus, modo animum, ad differentiam corporis accipimus, ut apud Apostolum: ‘ Caro concupiscit adversus spiritum, et spiritus adversus carnem.’ Quanquam apud medicos spiritus etiam corporei sint, levissima videlicet corpuscula, et tenuissima, quibus veluti ministris utitur anima in obeundis vitæ muneribus. modo pro vento sive pro aëre, ut apud Joannem cap. III. ‘ Spiritus, ubi vult, spirat.’ Nam beatus Cyrillus hic spiritum pro flatu aëris accipi, docendique gratia adhibitum exemplum apertissime testans, hunc locum sic enarrat: ‘ Singularis docentis virtus est, ut multis ac variis auditorum animos modis attrectet. Sic enim sensim difficultas rerum tandem aperitur. Exemplis ergo et figura in cognitionem Nicodemus deducitur. Spiritus enim, ait, hic aëreus, per universum, ut vides, orbem quotidie perflat, et quovis decurrens, solo adesse sono cognoscitur, nec cernitur ulli, sed tenuissima quadam aura humana corpora tangens, operationis suæ imprimit sensum.’ Atque ita Chrysost. Homil. 25. hunc locum interpretatur: ‘ nam si hujus,’ inquit, ‘ spiritus, quem auditus sensu accipis, et tactus impetu intelligis, ne viam quidem nosti: quonam pacto divini spiritus operationem perscrutaberis?’ Spiritus item dici in nostra religione constat substantias sine corpore, quæ mortalibus se videndas præbent. Unde et Christus, cum post resurrectionem corpus suum præbuit Apostolis visendum atque palpandum: ‘ Palpate,’ inquit, ‘ et videte, quia spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere.’ Ambigebant enim illi phantasma esse, i. e. visionem, apparentiamve, et quam Latini dixissent umbram vel spectrum. Apud Hebræos et spiritus et ventus similiter appellantur. Autor est D. Hieronymus in Ecclesiasten commentario.

Influentem] Dividentem se.

Per medullas] I. e. per intimas hominis parteis; et significatur mens, quæ supernaturali lumine illustrata, sine aliquo corporalium adminiculo futura prospicit. Superhumana est enim omnis cognitio futurorum, quæ causam non habent in natura determinatam, sed a Dei voluntate et pro-

videntia dependent. Igitur solo divino instinctu abscondita hæc, et multo post tempore futura revelantur, ut quum de bellis, quæ post multos annos eveniunt, Prophetæ pronunciant; de regum item nominibus, a quibus fient, quorum nec post multa secula parentes eorum extitere. Sic apud Esaiam, de Cyro per ducentos etiam annos, antequam nasceretur, scriptum est: 'Hæc dicit Dominus christo meo Cyro, cujus ego apprehendi dexteram.' Et de Josia itidem eversore idolorum tot seculis ante pronunciatum est per alium Prophetam. Hæc certe nulla humana cognitio nosse potest, nec ulla sideralia decreta promittere.

7 *Pangimus*] Canimus.

Facta] Quæ Christus operatus est. ut enim nomen est, res gestas significat. Maro: 'Fortia facta patrum.'

Probata] Confirmata, hominumque consensu recepta pro veris. Quanquam et gentes ante Celsum, cui respondet Origenes et Judæi, falso conati sunt tribuere fallaci illi et nefastæ evocandorum spirituum arti, quæ vulgo Magia nominatur, quam junior Picus confutat in VII. lib. de Prænotione.

Miracula] Miraculum dicitur, quicquid admirationem adferre potest, quasi sit contra naturam, propter quod veteres mira et miracula pro monstris posuere.

8 *Testis est orbis*] Universum ipsum, sive mundus totus, ne singulare putes testimonium. Nam quo tempore primum divina opera Christi prædicata, tum in Evangeliorum monumentis relata sunt, multi vivebant, qui sacros scriptores accusare mendacii potuissent. Quod nunquam tamen legimus inter alias innumeras calumnias, quas in Christum et sectatores effuderunt. *Picus junior.*

Orbis] I. e. mundus. Et accipe orbem pro hominibus illum inhabitantibus, ut mundum acceptum legimus apud Evangelium Joannis: 'Et mundus eum non cognovit.' et in Canonicis: 'Ne diligatis mundum,' &c. Quem locum memoria lapsus, ut Apostoli, in Commentariis, quos olim tumultuarie scripsimus in Carmen Pici quod inscripsit Staurostichon, citavi, cum Joannis sit. Porro a figuræ rotunditate orbis, ab ornatu mundus dicta est machina hæc quam videmus, cælum videlicet et elementa, quæque eis conflata sunt. Testis modo is dicitur, qui profert testimonium, qua in significatione hic accipitur, et apud Juven. Sat. VI. 'Et luna teste moventur.' qui Græcis μάρτυρ dicitur. modo ὄρχις, i. e. testiculus, ut in Priapeio carmine, 'Magnis testibus ista res agetur.' D. Hieronymus neutro generi junxit appositive, cum inquit: 'Nec vero sopor ille fuerat, aut vana somnia, quibus sæpe deludimur. Testis est tribunal illud, ante quod jacui, testis judicium triste quod timui.' Quem locum, ut Erasmus ibidem adnotavit, memoriter tenent omnes, etiam ii, qui ne verbum quidem unquam legerunt in scriptis Hieronymianis: Vapulavit, inquiunt, Hieronymus quod Ciceronem legerit. Ac mira quadam religione sic ab omnibus bonis literis abstinent, ut nec attingant, ne forte imprudentes incidant in aliquod verbum Ciceronis, et cum Hieronymo vapulent: et tum sibi videntur Apostolis proximi, si quam spurcissime loquantur. At D. Hieronymus cum Ruffino locum hunc objicienti respondet, somnium vocat, etiamsi hic somnium fuisse neget. Nec hoc unquam sensit Hieronymus, Ciceronem non esse legendum, cum tantopere vir sanctissimus in monacho Paulino laudet eloquentiam, et Tullianam eloquentiam. At barbari isti balbi et infantes Theologi, cum per universam vitam in sophisticis et inanissimis quæstiuncularum rixis consenescant, sibi placent, quod nihil attigerint bono-

rum autorum.

Nec ipsa terra] Nempe in eam Christus semen suum seminavit, cujus una pars secus viam cecidit, alia supra petram, alia inter spinas, alia denique in terram bonam, sacro referente Evangelio. Terræ autem appellatione sacris in literis homines intelligimus, quod terram inhabitent, ut cæli nomine sæpius angelos. quod vel ipse Christus propriam sparsi seminis parabolam exponens tradidit. Nec me latet, tametsi id ad hunc locum nihil faciat, Platonicorum dogmate terram esse sensu præditam, ut humana commodius rectiusque dispenset, quæ ejus sunt muneris: atque hujus ipsius terræ animam non censeri abjecti esse cujuspiam corporis animam.

Negat] Negare est, dicere aliquid non esse. Et proprie est credita vel data negantium. Est et opere non obsequi. Lucan. lib. I. 'Summisque negatum Stare diu.' *Agricola.*

Quod vidit] Quod, causalis est particula. Quia homines id quod vident, non negant, cum ea demum certa habeant quæ conspiciunt oculis. Estque apud eos, ut Plautus dixit in Truculento, 'pluris oculatus testis unus, quam decem auriti.'

9 *Deum*] Christum. Tametsi divinitatem dissimulans, se Filium hominis appellat. Unde apud Matthæum Christus ipse mittens primum suos ad prædicandum, vetat ne cui dicerent quod ipse esset Christus. ut neque statim ab Apostolis Christus prædicatus est Deus, aut Filius Dei. Petrus enim 'virum' appellat in Actis, 'approbatum a Deo:' et Paulus apud Ephesios, 'virum' vocat 'in quo statueret Deus,' &c. Imo ne in Symbolo quidem, quod vulgus Apostolorum vocat, nominatim Dei cognomen apponitur Filio, aut Spiritui Sancto: quod Roterodamus post Origenem et Chrysostomum admonet.

Proditum docendis mortalibus] Nam ut Lactantius inquit XIII. 4. 'Cum Deus parens omnium religionum, suam transferre voluisset, doctorem justiciæ misit e cælo ut novis cultoribus novam legem in eo, vel per eum daret: non sicut ante fecerat, per hominem.' Illud nequeo non subtexere, quod mediusfidius summa cum voluptate legimus a Cælio adnotatum Antiq. Lect. V. 38. 'Ipsum lapsæ naturæ restitutorem Dei Filium Christum a Platone prius, mox et a Platonicis præsignatum.' Plato Leg. lib. IV. 'Deus,' inquit, 'omnium nobis est mensura, multoque magis, si quis, ut ferunt, homo est.' quod exponens Platonicus nobilis: 'Si Deus aliquis homo est, i. e. Si quando fiat homo, ut ferunt, oracula scilicet Prophetarum.' Platonici autem prophetam legislatorem, sed divinum putant, qui ut habeatur talis, oporteat eum manifestis quibusdam miraculis ad homines divina providentia mitti. Quem sane Prophetam humani generis ducem divinus Plato cognominat. Nam huc demum tendit in libro de Regno: 'Sicuti bestiæ nequeunt a bestiis feliciter sine homine duci, ita neque homines ab homine sine DEO.'

Proditum] I. e. datum, vel manifestatum. Interdum prodere est propagare et differre. Virg. 'Genus alto a sanguine Teucri Proderet.' Terent. 'Ut nuptiis aliquot prodat dies.' proprie autem prodi arcana dicuntur.

Docendis] Instituendis.

Mortalibus] I. e. hominibus. Sed mortales Gellius autumat longe lateque esse amplius, prolixius, fusius, in significanda totius prope civitatis multitudine, quam homines. Verba Quadrigarii sunt hæc: 'Concione dimissa, Metellus in Capitolium venit cum multis mortalibus.'

Cominus] Prope, quasi cum manu: ut eminus, longe, ac a manu. Adverbia sunt contrario significatu. Luca-

nus: 'Cominus obliquis, et rectis eminus hastis.' Cæterum cominus atque eminus, pro eo quod est modis omnibus, accipi posse, ex Chiliadibus Erasmi didicimus: ut apud idoneos scriptores omni telorum genere oppugnare, in eam formam reperitur. Fiet autem venustius, si id ad animi res transferatur. Cum hominibus habenda pax: cæterum cum vitiis cominus atque eminus pugnandum.

10 *Corde natus*] Contendebant impie nonnulli, Dei verbum tunc primum esse incepisse, cum ex intemerata virgine templum hoc hominis propter salutem nostram assumpsit. Idcirco Prudentius prælibat illam inenarrabilem, æternam Filii Dei generationem esse ex Patre, sicut ab eo dictum est: 'Ego ex Patre exivi, et veni.' De hac generatione B. Cyrillus graviter et erudite disserit. Dicit autem filium natum ex corde patris, sicut dicitur apud Psalmistam, 'Ex utero patris genitus:' et apud Ecclesiasticum, 'ex ore patris prodiisse.' Unde Prudentius in hymno de natali Christi cecinit: 'Ex ore quamlibet patris Sis ortus, et verbo editus:' h. e. verbi prolatione, ut liberum nobis facit hunc locum doctissimus Erasmus, excutiens in Annotationibus suis in Joannis Evangelium.

Natus] I. e. genitus. Præteritum verbi Nascor, quod est notæ significationis. Natus item nomen pro filio, sicut et nata pro filia. Natorum appellationem Jurisconsultus ad nepotes extendit. Participialiter vero quem tot natum annos dicimus. Exemplum Pentingeri pro hac voce habet *Fusus*: et item aliud, minus fidele tamen. At ipse et Aldinum codicem, et Daventrianam editionem nihil immutandum putavi, ob auctoritatem ecclesiastici usus.

Corde] In hoc ait Plinius habitare mentem. Plato in Timæo, summam animæ partem, quam rationalem vocant, in cerebro, veluti regem in arce collocat: Christus vero in corde, ut Plinius impius, his monstrat verbis: 'Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt,' et, 'De corde procedunt malæ cogitationes.' Et, 'Quid cogitatis nequam in cordibus vestris?' Cæterum animæ principale Hieronymus Græce dixit magis quam Latine. nam illi vocant τὸ ἡγεμονικὸν, quod gubernet reliquas animi vires, et coherceat. Aliis cor ipsum animus videtur: ex quo excordes, vecordes, concordesque dicuntur. Contra qui sapientia præstiterunt, ob id cati, corculi, apud Romanos appellati sunt: ut Nasica, et Ælius Sextus. Proditum item est veterum monumentis, cor in homine usque ad quinquagesimum annum crescere duabus dragmis in annos singulos, et post quinquagesimum ab eo tantundem detrahi, et hominem defectu cordis ultra annum centensimum non vivere: sed cum quidam centesimum annum excessisse leguntur, id rationi astrorum tribuitur.

Parentis] Patris. Antiqui masculino tantum genere dicebant etiam matrem. Medus apud Pacuvium: 'Te, sol, invoco, ut mihi potestatem duis inquirendi mei parentis:' i. e. Medeæ matris, ut exponit Sosipater referente Parrhasio. Virgilius tamen ait: 'Ecqua tamen puero est amissæ cura parentis?'

Ante mundi exordium] Audi prophetam, per quem pater Salvatoris nostri loquens de filio quasi homo, dixit: 'Ex utero ante luciferum genui te.' Ex utero: de mea substantia intellige, ut excludat filium adoptatum. Cujusmodi sunt: 'Quotquot receperunt eum, quibus dedit potestatem filios Dei fieri.' Per schema synecdoches 'Ante luciferum' dixit, una omnem designans creaturam. Cum ante luciferum, qui videtur in mundo, vera lux genita est. At aliorum sit munus, hoc tam amplum, tam

extra hominis captum mysterium explicare. Ne contingat nobis audire, supra crepidam. Quod convicii familiare est nunc magnis magistris illis, invicte rem theologicam tractantibus.

Ante exordium] Initium. Siquidem cum aliarum rerum, tum vero textilium exordium, principium dicitur.

Mundi] I. e. constitutionis cœli et terræ, et naturæ rerum quæ intracluduntur. Ita mundum Cleomedes in libro de orbium cœlestium contemplatione finit. In quam sententiam pedibus vadit Plinius: secundum quem etiam totam machinam Latine ex absoluta perfectaque elegantia mundum nuncupamus, ut ratione Græci eadem *κόσμον* videntur appellasse. Nostri tamen distinguunt, vocantes hunc, in quo degimus, mundum, superius cælum: a cælati similitudine, quod simulachris cælestibus est impressum. Omnino autem inesse dictioni laudis multum apparet, quando virum rationis tum honestæ tum moderatæ, *κόσμον* appellare Græci solent. Duces autem Homerus etiam *κοσμήτορας*, velut multitudini ordinem præfigentes. Porro de mundi constitutione Philosophi minime conveniunt: nullibi enim magis dissident. Nam, ut Rhenanus noster apposito scholio in ludum Senecæ collegit, Plato Deum in sui exemplum ait mundum affinxisse. Aristoteles sempiternum esse vult, Epicurus plane interiturum, Xenophanes sempiternum, corruptionis expertem, Pythagoras et Stoici genitum a Deo, sed ex sua quidem natura nequaquam interitus immunem. Plato quoque animantem esse mundum asseverat, seque ex tabescentibus alere Democritus, Aristoteles et Epicurus id constanter negant. Adde quod Thales unum mundum esse censuit, Democritus et Epicurus innumerabiles; ac horum discipulus Metrodorus absurdum esse dixit in agris unicam nasci spicam, unumque in infinito mundum: innumeros autem esse, quod innumerabiles sint eorum causæ. Selenes infinibilem, Cleomedes terminatum: Empedocles mundum quidem unum, sed universi tantum exiguam esse particulam.

11 *Alpha et ω cognominatus*] Hoc de seipso Christum legimus dixisse in lib. Rev. cap. I. et noviss. In primo: 'Ego sum Alpha et Ω, principium et finis, qui est, qui erat, et qui venturus est omnipotens.' In ult. 'Ego sum Alpha et Ω, primus et novissimus, principium et finis.' Quod et Prudentius expressit, cum dicit, 'Fons;' i. e. origo omnium, principium in lege Mosaica, finis in Evangelio.

Alpha] Inter literas primum obtinet locum. Inde qui primus est in re quapiam, etiam proverbio Græcis dicitur alpha: ut apud Martialem Epig. lib. II. 'Quem non lacernis Publius meus vincit, Non ipse Codrus alpha penulatorum.' Quamobrem autem alpha inter literas primum obtineat locum, Roterodamus copiosius aliquanto refert in Chiliadibus suis. ω *μέγα*, i. e. magnum, extrema ordine literarum Græcis.

Cognominatus] Appellatus. Cognominare, nomen imponere significat. Unde cognomines, quibus inditum nomen est: ut docet Servius, enarrans illud Virgilianum, 'Gaudet cognomine terra.' Utitur etiam Plautus simili dictione in Bacchidibus, et alibi: 'Illa mea cognominis fuit.'

Ipse fons] Additus articulus mire sensum aperit. Articuli magna vis est apud Græcos, ut erudite Roterodamus ostendit in Annotationib. suis ad initium Evangelii secundum Joannem.

Fons] Perennis aquæ scaturigo, a fundendo. Fontem in alia significatione pro cratere capaciori usurpamus. Hieronymus in prologo Bibliæ: 'Ut Jarcham in throno seden-

tem aureo et de Tantali fonte potantem audiret.' Pius in Commentariis in Plautum, docet fontibus antiquos sacra peculiaria dedicavisse, quæ Fontanalia vocaverunt, illuc traducens id Juven. 'Sacri fontes et delubra dicantur Judæis.' Dicuntur autem fontes ingenui, qui nativa scaturigine, et non manu humanove opere deducuntur. Astipulatur Satyrographus: 'Et ingenuum violarent marmora tophum.' Plinius autor est, 'in maris etiam meditullio scaturire aquas dulces.' Verum hoc loco fontem accipias oportet pro principio illo, quod ut Cyrillus declarat, super omnia est: unde ipsum verbum est dominicam naturaliter possidens majestatem. Cujus quidem verbi isthoc in Evangelio verba sunt: 'Ego principium, et loquor vobis.'

Clausula] Terminus, finis. Rhetorum schola aliter usurpat, nempe, pro sententia. Clausa autem nemo est qui nesciat ea dici, quæ tenebrosa et obscura: ut aperta, quæ clara sunt et lucida. propterea Poëtæ dicunt nocte cœlum claudi, matutino aperiri.

12 *Omnium*] Et omnum, per catasyneresin Lucret. lib. v. protulit: 'Imbeciliorum æquum miserier omnum.' Quod mutuatus est Ausonius sic: 'Quæ nati, generique et progeneri simul omnum.'

Quæ sunt, fuerunt] Sic Maro IV. Georg. 'Novit namque omnia vates, Quæ sunt, quæ fuerint, et quæ futura trahentur.'

Quæque post futura sunt] Per vices enim generationis et corruptionis natura creata recurrit. Hujus vicissitudinem Aristot. lib. Rhet. præceptionum 2. ait esse jucundam.

13 *Ipse jussit*] Alludit ad illud Psalmographi: 'Quia ipse dixit, et facta sunt; ipse mandavit, et creata sunt.' quem locum interpres, qui hactenus Hieronymus creditus est, sic enarrat: 'Dei jussisse, fecisse est, cujus imperium fabrica est, quia ipse dixit et facta sunt, secundum illud quod in Genesi scriptum est; Et dixit Deus, et fecit Deus. H. e. Dixit Deus pater, fecit filius. Dicat aliquis, Ergo major est ille qui jubet, et minor est iste qui jubetur? Dicunt hoc Ariani, dicunt hoc Eunomiani, et dicunt Macedoniani. Respondeo tibi secundum sensum tuum; O heretice, dicis, major est pater qui jubeat, et minor est filius in eo quod jubeatur ab illo. Si hoc secundum humanum sensum accipis, responde mihi quid est majus, jubere, an facere? dico, Fiat domus; et alius facit domum. Dicere mihi grande est, facere difficile. Major ergo ille qui facit, quam qui præcipit. Sed et hoc impium est, non enim filius major est patre. sicut enim hoc impium est de filio contra patrem credere, sic et illud impium est de patre contra filium credere; quia ipse dixit et facta sunt, ipse mandavit et creata sunt. Una natura jubet et facit. Deus jubet et facit; Jubet pictor, ut pingat pictor; et pictor pingit, quod pingi præceperat.' Hæc ille interpres.

Et creata] Id est producta absque materia præjacenti. Nihil enim aliud est creare, quam sic aliquid producere, sicut credimus Christiani Deum ex nihilo rem produxisse, quum philosophorum consensu ex nihilo nihil fiat. Unde Pers. 'Ægroti veteris meditantes somnia, gigni De nihilo nihil, in nihilum nil posse reverti.'

Dixit ipse, et facta sunt] Nempe Omnipotens: quod intellige, ut D. Augustinus accipit, 'faciendo quod vult, non patiendo quod non vult. Quod si accideret, nequaquam esset omnipotens; unde propterea quædam non potest.'

Dixit ipse] Modus hic loquendi in arcanis literis frequens est, qui perinde valet, q. d. 'Dominus dixit.' Suspicatur eruditissimus Roterodamus, Pythagoram ab Ægyptiorum vatibus

didicisse hanc figuram, prophetis familiarem. Adagium enim αὐτὸς ἔφα, i. e. ipse dixit, ab ipso Pythagora natum in Chiliadibus scribit.

Dixit] Dicere apud Oratores non est, qualiacunque verba proferre, sed quæ elegantia atque facunda sunt. Quintilianus: 'Nam mihi ne dicere quidem videtur, nisi qui disposite, ornate, et copiose dicit.' Quantum ex lib. VI. Epist. Senecæ colligere possumus, hoc differt dicere a dictare, quod dicere est continue et ex tempore orare: dictare autem, tarde et divulse enunciare, quæ alius excipiat. quanqquam dictare etiam pro continenter dicere usurpetur a Trebellio Pollione.

Et facta sunt] Mosis verba notissima sunt, in principio sacræ suæ historiæ. Aristoteles sexto Ethicorum, et nono Metaphysicorum, utitur differentia inter facere et agere, quam etiam studiosi linguæ Latinæ observant, ut facere sit rerum in materiam exteriorem transeuntium, ut Feci librum, feci opus: agere vero est rerum immanentium, ut ago fortiter, ago prudenter, ago orationem.

14 *Terra, cælum, &c.*] Allusit ad Psalmographum, apud quem scribitur de Deo, 'quod fecit cælum, terram, mare, et omnia quæ in eis sunt.' Ordinem creationis rerum Moses diserte posuit. Primum Deus lucem a tenebris discrevit, fuitque hæc omnium prima lux. Nox illi continuo juncta est. Cælum inde in sublimi constitutum, Idque firmamentum appellatum. Tertio deinceps die terra stabilita, humorque terræ circumfusus. Sol quarta luce, et luna, et stellæ mundo emicuerunt. Mox volucres et omnia natantia duobus sunt elementis data. Postremo reptantia, et ipsum quadrupedum genus attributum est: et cum iis nobilissimum animal homo, qui unus cælestem mentem est sortitus.

Terra] Dicta ab eo, ut Ælius scribit, quod teritur. Itaque terra in augurum libris scripta cum R uno. Sacræ Genesis enarratores inter se non conveniunt, quid terræ nomine, item cæli significetur. Nonnullis per terram elementum ipsum, aliis prima materia exprimitur. Pete Joannis Pici heptaplum, ubi septena expositione mundi Geneseos vir omnifariam eruditus abdita dogmata patefecit. Plato sentit hoc suppedaneum nostrum non esse elementum terræ unum, sed alteram, quæ est purgata et pura, in summo æthere collocata. Gentes terram ob multiplices effectus Deorum matrem appellarunt, vocataque est Cybele. causam Fulgentius prodit. Epitheta terræ Cælius collegit Lectionum antiq. VIII. 39. Laus terræ Pliniana notissima est. Quantum ad terræ figuram attinet, qui eam ponunt sphæricam suapte natura, ut Peripatetici Aristotelis astipulatores recte sentiunt. Quemadmodum in Physicis idem exacte comprobat. Errant autem, qui terram esse putant conoidem: i. e. in modum coni in amplum diffusam, cuiquam graciliori supereminere et inniti sustentaculo. Quemadmodum pinus truncum habet procerum, recta in alterum surgentem, in fastigio vero ramorum et frondium densitatem late se explicantem, et pleræque consimiles arbores, quæ ob id coniferæ appellantur. Et conoides, authore Sipontino, 'figura est ea quæ conum in summitate præfert atque gerit.' Non enim possent salvari astronomica experimenta de ortu et occasu signorum, de eclipsi lunæ, et motibus astrorum, si aliam quam sphæricam (ut coni) haberet figuram, quemadmodum ex rationibus Aristotelicis id cuique perspicuum evadit. Quamvis autem hæc terra solida sit, et immota stabilitate fixa: tamen in mundi consummatione a suo pristino statu demutabitur. Quemadmodum dicit Dominus noster Luc.

cap. XXI. 'Cælum et terra transibunt, verba autem mea non transibunt.' Terra vero illa supercælestis et spiritualis, quam incolunt sancti et gloriæ æternæ consortes, perpetua est et immortalis, incolas etiam habens nunquam morituros: et idcirco terra viventium appellatur, Psalm. XXVI. 'Credo videre bona Domini in terra viventium.' Ejus possessio et hæreditas mitibus et mansuetis est repromissa, Matth. cap. V. 'Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram.' Et Psal. XXXVI. 'Mansueti autem hæreditabunt terram, et delectabuntur in multitudine pacis.'

Fossa ponti] Mare. Siquidem ad Psalmographum, ut diximus, allusit. Singulatim autem in Romano Prudentius res conditas his expressit versibus, lectu certe dignissimis: 'Natura simplex pollet unius diei, Et quicquid usquam est una virtus condidit: Cælum, solumque, vim marini gurgitis, Globos dierum, noctiumque præsides Ventos, procellas, fulgura, imbres, nubila, Septentriones, hesperos, nives, Fontes, pruinas, et metalla, et flumina, Prærupta, plana, montium convallia, Feras, volucres, reptiles, natatiles, Jumenta, pecua, subjugales, belluas: Flores, fruteta, germina, herbas, arbores, Quæ sunt odori, quæque vernantes esui. Hæc non labore et arte molitus Deus, sed jussione, quam potestas protulit. Mandavit esse, facta sunt quæ non erant: Verbo creavit omniformem machinam, Virtus paterna semper in verbo fuit.' Fossa Ulpiano dicitur receptaculum aquæ, manu factum. Fossura pro fossione, vel pro tempore fodiendi usurpatur a Colum. IV. 28.

Ponti] Generaliter accipitur de omni mari: sed ibi specialiter intelligitur de mari stricto in ingressu Hellesponti, quod Euxinum appellatur: de quo aliquanto copiosius diximus in enarratione Staurostichi, ibi: 'Spumoso Cypria ponto Dispereat.'

Trina rerum machina] Dixit pro triplici principio, secundum opinionem Peripateticorum, qui autumant tria esse naturæ principia: Materiam scilicet, formam et privationem.

Machina] Proprie dicitur instrumentum omne, opusque quo in bello utimur, et item ipsa consilia quibus decipere hostem conamur: a Græco *μηχανὴ*, quæ molitio et machina dicitur: et *μηανδομαι*, invenio, molior: et *μηχάνημα*, inventum, molitio.

15 *Vigent*] Sunt, et agunt. 'Viget,' inquit Pompeius, 'ductum videtur a vi agendo.'

Alto] Sublimi.

Globo] Orbe, sphæra. Refertur et inter militaria vocabula globus, qui a sua acie separatus, vago superventu incurset inimicos. Sed quod ad hunc attinet locum, Macrob. in Comment. quos in Somnium Scipionis scripsit, globos vel orbes numerat novem, in hæc verba: 'Novem tibi orbibus vel potius globis connexa sunt omnia, quorum unus est cælestis extimus, qui reliquos omnes complectitur, summus iste Deus, arcens et continens cæteros, in quo sunt infixi illi, qui volvuntur, stellarum cursus sempiterni. Huic subjecti septem, qui versantur retro, contrario motu atque cælum. E quibus unum globum possidet illa, quam in terris Saturniam nominant. Deinde est hominum generi prosperus et salutaris ille fulgor, qui dicitur Jovis. Tum rutilus horribilisque terris, quem Martium dicitis. Deinde subter mediam fere regionem sol obtinet, dux et princeps et moderator luminum reliquorum mens mundi et temperatio, tantaque magnitudine, ut cuncta sua luce lustret et compleat. Hunc ut comites consequuntur, Veneris alter, alter Mercurii cursus. Infimoque orbe luna, radiis solis accensa convertitur. Infra autem eam nihil est, nisi mortale et caducum, præter animos, mu-

nere Deorum hominum generi datos.'

Solis] Unde Sol dicatur, longa altercatio est. Albertus noster lib. III. de Anim. 'Solem,' inquit, 'vocatum esse, quoniam in cælo omne lumen, et calor formans, in solo sole.' Idem veterum nonnulli cum Cicerone putarunt. Unde proverbiali sermone dicimus: 'Lumen soli mutuare:' cum conamur exponere, quæ per se sunt clarissima, aut sermone celebrare quæ sua sponte sat illustria sunt. Sol enim omnis fons luminis putatur, qui lucem mutuare solet, non mutuo accipere. Refertur in iis collectaneis quæ Plutarchi titulo circumferuntur. Testatur Roterodamus in Chiliadibus. At miratur Chrysostomus, cur, quum omnis ignis alta petat, in Sole contrarium Deus fecit. Ipsius enim radios ad terram convertit, et lucem fecit inferius vergere. Tantum vero dicens ipsi: 'Tu persta, inferius prospice, et hominibus luce; propter illos enim factus es.' Et lucernæ quidem flamma hoc pati non potest: sidus vero tam magnum et admirabile ad inferiora vergit, et ad terram respicit, in contrarium ignis, propter ejus qui jussit potentiam. Non omittendum quod ab ipso Alberto notatur, solem a principio arietis usque ad principium cancri calidum esse et humidum, denigrantem et augentem: a principio autem cancri usque ad principium libræ, calidus est et siccus, maturans: et a principio libræ usque ad principium capricorni, frigidus et siccus, faciens declinare mista ad diminutionem: et a principio capricorni usque ad principium arietis, frigidus et humidus, humido putrefacto et putrefaciente. Versiculus Anticlaudiani non prætermittendus, quoniam lepidissimus: 'Sol oculus mundi, fons vitæ, cereus orbis.' A Græcis dicitur, Helios, apud Ægyptios Horus vocatur, ut scribit Macrobius: unde horæ, quæ a quibusdam Solis filiæ dicuntur ab aliis ministræ, quod excursu Solis horæ fiant.

Lunæ] Lunam dictam putant, quod sit luminum una. Utrum autem habeat proprium splendorem, an mutuo lumine luceat, scrutatores rerum cælestium varias opiniones prodiderunt. Receptior eam Solis facit discipulam: quod prout accedit ad Solem, vel recedit, dispensat lumen. Cujus exemplo admonet nos Ambrosius in Hexamero, 'nihil rerum humanarum esse posse, quod non aliquando resolvatur.' Traditum est, nobiles Romanos lunulas in calceis gestasse, ut lunæ exemplo instabilitatis humanarum rerum admonerentur. Hujus prognostica Maro Georg. II. ut in primo ejusdem operis, lunares dies Hesiodi exemplo tradidit observandos. Sunt tamen, quibus ex iis multa frivola ac plane ridicula videri solent. De ratione lunaris luminis abunde a nobis relatum est ex probatis autoribus in nostra in Staurostichon Pici interpretatione, quam Lucretius prosequitur luculentis versib. lib. v. ibi: 'Luna potest solis radiis perculsa nitere.'

16 *Formam*] Non mentitam et adumbratam ut Manichæus impius, quique sequuntur eum, somniarunt: sed notam, et expressam, ut B. Cyrillus in Thesauro astruit: et Prudentius in Apotheosi adv. phantasmaticos. Unde appositive 'membra morti obnoxia.'

Formam] I. e. speciem, secundum quam formosos aliquos asserimus, vel deformes, non ea qua vocant magistri nostri Baccalaureos in Theologia formatos, ignoranter et barbare, ut omnia.

Caduci corporis] 'Id enim,' juxta Platonem in Phædone, 'est vestis ac domicilium animi.' Unde inferius Prudent. ait: 'Carnis indumenta sumunt.' Allusit autem ad verba Apostoli, qui scribens ad Philipp. ait: 'Is affectus sit in vobis, qui fuit et in Christo Jesu. qui quum esset in forma Dei, non rapinam arbitratus est, ut

esset æqualis Deo; sed semetipsum inanivit, forma servi sumta, in similitudine hominum constitutus, et figura repertus ut homo.' Divus tamen Ambrosius, quod accepit formam servi, non proprie refert ad humanam naturam assumtam, sed ad speciem et similitudinem hominis nocentis, cujus personam pro nobis gessit, dum flagellatur, damnatur, crucifigitur.' Servi,' inquit, 'ex peccato fiunt, sicut Cham filius Noë, qui primus merito servi nomen accepit. Non enim mihi, sicut quibusdam, videtur sic formam servi accepisse, dum homo natus est.' Videtur Erasmo totus hic Apostoli locus violentius detorqueri ad Christi naturam, cum Paulus agat de specie exhibita nobis. Cæterum utrum hic forma sit ea, de qua Aristoteles disputat in libris Naturalium, quæ respondet materiæ: viderint ii, inquit idem, qui disputationes in hanc invehunt locum.

Corporis] Secundum quod usque adeo reliquo brutorum generi non præstamus, ut omnibus ejus dotibus inveniamur inferiores. Hoc ut est ipsum visibile, rebus visibilibus delectatur: ut est mortale, temporalia sequitur; ut est grave, deorsum sidit. Impedimenta hoc pene innumerabilia præbet, ut inquit Plato, cujus moli anima divinitus impressa, obliviscitur omnium scientiarum quas prius tenebat. Unde corpus σῶμα dici, tanquam σῆμα, h. e. sepulchrum, quo inumbrata et infuscata obliviscitur omnium. Si quid demum labore et exercitio capit, non discit, sed reminiscitur. Quod Aristoteles confutat lib. Posteriorum primo. In physicis corpus dicitur ab Apollodoro, quod in tria secetur, in longitudinem, latitudinem, et altitudinem. Apud jurisconsultum corpus, hominum congregationem, item factionem denotat. Apostolus corpus, ut et carnem, sæpius accipit pro humanis affectibus.

Caduci] Quia casui, h. e. morti subsit: quod ubi ceciderit, cadaver dicitur.

Membra] Generatim hic accipienda, pro totius corporis compage. Speciatim namque membrorum nomine genitalia significantur. secundum quod incautius Maronianum illud: 'placidumque petivit Conjugis infusus gremio per membra soporem.' Membra ab artubus hoc distant, quod hi nodum, illa vero truncos significant: item quod artus de animantibus tantum, membra vero de inanimis quoque dicantur.

Obnoxia] Obligata, quasi debitricia. Sic exponit interpres Maronis, nimirum: Ea lege nos intravimus, ut exiremus. Quandoque tamen obnoxius dicitur, pœnæ deditus propter delictum. Apud Sallust. in Cat. pro obsequente accipimus: 'Minari etiam ferro, ni sibi obnoxia foret.' Cæcilius quoque, ut Gellius refert, sic ait: 'Quanquam ego mercede huc conductus tua advenio, ne tibi me esse ob eam rem obnoxium reare. Audibis male, si maledicis mihi.'

Morti] I. e. solutioni corporis et animæ. ita eam Epicurus finit. 'Noctis filiam' Hesiodus ait, quoniam fatalem sibi diem nemo novit. ex hoc et atra dicitur a Tibullo. Apud Claudian. lib. II. De Rap. Proserp. 'Omnia mors æquat.' 'Nam' (ut inquit Seneca) 'hoc habet inter cætera justitiæ suæ natura præcipuum, quod, quum ad exitum ventum est, omnes in æquo sumus.' Inde Romanus ille, vir ærumnis et animi robore clarus, ita apud Prudentium nostrum perorat: 'Hoc perdo solum, quod peribit omnibus: Regi, clienti, pauperique et diviti: Sic vernularum, sic senatorum caro Tabescit, imo cum sepulchro condita est.'

17 *Induit*] Quis induit? 'Corde natus ex parentis.' Est enim hyperbaton longe.

Induit] I. e. assumsit. Sic apud Cic. Off. lib. III. 'Deponit enim personam amici, quum induit judicis.' Dicimus autem, Induo te vestem, et

veste, et item indue tibi vestem. Tertii exemplum ex Quintiliano colligitur, ita scribente in primo: 'Qui falsam sibi scientiæ persuasionem induerunt.'

Ne genus periret] Causa est, ob quam Verbum est (ut inquit Hilarius) incorporatum, h. e. de matre sine carnali patre natum, matre inquam semper virgine Maria. Quanquam nonnulli affirmant interfuisse Dei induere humanam carnem, etiam si non esset parentum facinus patratum.

Genus] Familia, posteritas, successio universa est enim collectivum vocabulum Genus, de brutisque interdum dicitur. Maro de apibus: 'Cum gentis adultos, Educunt fœtus.' Inde gentile dicitur, quod est ex eadem familia: et gentilitium, quod pertinet ad jus familiæ. Gentilitas autem proprie est multitudo ipsa, vel familiæ vel nationis alicujus, autore Festo.

Germine] I. e. stirpe, quoniam et generationis est principium germen.

Protoplasti] Primo formati, sc. Adæ, quem ex luto Deus manibus suis primum finxit, et post patratum facinus horto exegit: nempe Adam terrenum. Etenim alterum quendam Adam cælestem, angelis in cœlo demonstratum, unum ex Deo, quem verbo fecerat, cui id a Deo dictum congruat, 'Ecce Adam sicut unus ex nobis,' ut arcanarum rerum scrutatores conjiciunt. Qua de re disserit sancta et immaculata anima illa admirabilis scientiæ, verbi mirifici opifex, in primo lib. Artis Cabalisticæ. πλάττω Græce fingo: et plastes, qui fingit e materia, veluti argilla, cera, gypso, aut similibus. Ars dicitur plastice. Protoplastus primo fictus, h. e. factus. Nam Græci facere et fingere et pingere uno vocabulo enunciant, ut in Reuchlinianis progymnasmatis enarravimus.

Periret] Interiret. Qua in significatione peritat dixit Plautus: 'Qui per virtutem peritat, non interit.' Lucret. similiter lib. III. 'Quæ nunc in nostro dominatur corpore nata, Ex illa quæ tunc peritat partita per artus.'

18 *Quam*] Scil. gentem et posteritatem, pollutam transgressione divini præcepti: Præcepit ei, inquit Moses, 'De omni ligno Paradisi comede, de ligno autem scientiæ boni et mali, ne comedas. In quacunque enim die comederis ex eo, morte morieris:' videlicet non corporali, sed spirituali. nam vixit post esum vetitum nongentos annos. Unde præceptum illud Prudentius noxialem legem signate vocat, tanquam pœnam irrogantem ob noxam, i. e. culpam. Noxa enim et culpam et scelus et maleficium significat; unde noxius derivari videtur. Sane noxa interdum etiam pœnam significat. Unde dedere noxæ, h. e. pœnæ tradere ob damnum illatum. Inde apud Jurisconsultos noxales actiones, quæ non ex contractu, sed noxa atque maleficio servorum nascuntur. Noxiam pro noxa Plautus in Mostellaria, egregia sententia sic protulit: 'Hanc modo unam noxiam, unam quæso fac causa mea. Quid gravaris? quasi gratiam non commeream? si aliam noxiam, Ibi utrunque et hoc et illud poteris ulcisci probe.' Jure autem remansit genus hominum peccato obnoxium, ex transgressione primi parentis, utpote in quo universum genus conclusum fuerat cum deliquit. Quod si *quem* legis, et nonnulli codices habent, protoplastum intellige: in quo, ut jam diximus, tota posteritas concludebatur.

Lex] Demosthenes in oratione, quæ in Aristogitonem prior inscripta est, ita inquit: Καὶ τοῦτ' ἔστι νόμος, ᾧ πάντας προσήκει πείθεσθαι διὰ πολλά· καὶ μάλισθ' ὅτι πᾶς ἐστὶ νόμος εὕρημα μὲν καὶ δῶρον θεῶν, δόγμα δὲ φρονίμων ἀνθρώπων· ἐπανόρθωμα δὲ τῶν ἑκουσίων καὶ ἀκουσίων ἁμαρτημάτων. πόλεως δὲ συνθήκη κοινὴ, καθ' ἣν πᾶσι προσήκει ζῆν τοῖς ἐν πόλει. Id est, *Lex est, cui omneis homines obtemperare*

convenit, tum ob alia multa; tum vel eo maxime, quod lex omnis inventum quidem ac munus Deorum est, decretum vero prudentum hominum: ad hæc, flagitiorum consultorum inconsultorumque emendatio: conspirantis denique civitatis conventum, ad cujus præscriptum omnes in civitate agentes vitam instituere par est. Aristoteles lib. III. Politicon: *Καὶ ὁ νομὸς συνθήκη, καθάπερ ἔφη Λυκόφρων ὁ σοφιστὴς, ἐγγυητὴς ἀλλήλοις τῶν δικαίων, ἀλλ' οὐχ οἷος ποιεῖν ἀγαθοὺς καὶ δικαίους τοὺς πολίτας.* 'Lex est,' inquit, 'consensus (ut Lycophron sophista dixit) sponsor invicem juris inter cives, sed qui cives bonos justosque efficere non possit.' Cicero lib. III. de Leg. 'Lex est justorum injustorumque distinctio, ad illam antiquissimam et rerum omnium principem expressa naturam, ad quam leges hominum diriguntur, quæ supplicio improbos afficiunt, et defendunt ac tuentur bonos.' Idem lib. I. 'Lex est ratio summa, insita a natura, quæ jubet ea quæ facienda sunt, prohibetque contraria. Eadem ratio cum est in hominis mente confirmata et confecta, est lex. Itaque arbitrantur, prudentiam esse legem, cujus ea vis sit, ut recte facere jubeat, vetet delinquere. Eamque rem illi Græco putant nomine suum cuique tribuendo appellatam: ego nostro, a legendo. Nam ut illi æquitatis, sic nos delectus vim in lege ponimus.' Et paulo post: 'Sed quoniam in populari oratione omnis nostra versatur oratio, populariter interdum loqui necesse erit, et appellare eam legem, quæ scripto sancit quod vult, aut jubendo aut vetando.' Constituendi vero júris ab illa summa lege capiamus exordium, quæ sæculis omnibus ante nata est, quam scripta lex ulla, aut quam omnino civitas constituta. Lex, inquit Cicero, a Græcis *νόμος, παρὰ τὸ νέμω*, i. e. a tribuo dicta est: Latine a legendo. Inde Eunomia dicta, quasi recta juris legumque constitutio: quo nomine Dea illa vocatur, quam Demosthenes alteram judiciorum præsidem facit. Et Eunomi populi dicuntur, qui recta legum institutorumque ratione utuntur.

Merserat] Pro immerserat.

Profundo Tartaro] Inferis, designat enim infernum locum æterni supplicii nomine Tartari. Sedulius de proditore Juda mentionem faciens: 'Tartareum descendit ad usque profundum.' Et Christum, regnare per tartarum' dixit.

Profundo] Imo, ut profundum mare. Sed et sublime significat. Maro Æn. I. 'Maria et terras, cælumque profundum.'

Tartaro] Tartarus sub utroque cardine, sine ullis solibus triste nubilo cælum est, nebulaque continua, atque ex humido spissa caligo, ut scribit Crates: vel, ut Homerus accipit, locus in quo Saturnus ejusque socii sub terra cohercentur. Et Plato in libris de Rep. locum, in quo dant pœnas improbi, Tartarum dicit: et in Phædone quoque repetit Tartarum. Sed ejus etiam meminit tanquam aquarum originis. cui loco Aristoteles II. Meteororum contradicit. Fit quoque mentio in sacris literis. unde illud Petri Apost. in 2. 'Nam si Deus Angelis, qui peccaverant, non pepercit, sed catenis noctis in Tartarum præcipitatos, tradidit in judicium, et prisco mundo non pepercit.' A Tartaro, Tartareus, penultima frequentius brevi, sed etiam longa, exemplo Euripidis, qui per diphthongon enunciavit.

19 *O beatus ortus ille*] Ita legendum esse, avunculus noster alicubi admonet: atque ita habet ed. Ald.

O beatus] Conveniens exclamatio, per admirationem.

Beatus ortus] Felix nativitas. Apuleius tamen indicat, felicem minus esse quam beatum. *Beatus* antiquitus divitem significabat: modo felicem nobis, et Dei compotem factum, dat intelligere.

Puerpera virgo] Illibata, intacta, incorrupta: Juxta Sedulianam congratulationem: 'Salve, sancta parens, enixa puerpera regem:...Quæ ventre beato Gaudia matris habens cum virginitatis honore, Nec primam visa es similem, nec habere sequentem: Sola sine exemplo placuisti fœmina Christo.' Sic a Martiale 'virgo charta' accipitur, pro ea quæ nondum contrectata est et invulgata. A Plauto 'fides virginaria,' pro virginea dicta est, quæ deberet esse inviolata, simplex, et purissima: ut responderet nomini. Autores tamen ponunt virginem etiam pro muliere viridioris ætatis.

20 *Edidit*] Generavit, in lucem dedit. Est enim edo, ex e et do. E in compositione aliquando auget: ut eluceo, valde luceo; aliquando vim habet præpositionis extra, ut emitto, extra mitto. Edo igitur, i. e. promo: et quia nascentes in lucem promuntur, natos recte dicimus editos. Horat. 'Mæcenas atavis edite regibus.' Eadem etiam ratione dicimus edere, manifestare et publicare.

Nostram salutem] Autorem nostræ salutis. Vera namque salus est, sempiterna permanentia, quæ in Deo est, et a Deo tribuitur: ut in libro de mundo ad Alexandrum scripsit Aristoteles. 'Ex Deo,' inquit, 'et per Deum nobis omnia consistunt, nullaque natura per se sufficiens est, carens illa, quæ ex Deo est, salute.' Dein adjungit: τῇ γε οὐσίᾳ, σωτὴρ μὲν γὰρ ὄντως ἁπάντων ἐστίν. I. e. 'Ipsa quidem essentia.' Salvator etenim enter seu essentialiter universorum est Deus. Unde in lib. XIV. post naturalia rursum sic ait Aristoteles: Θαυμαστὸν δ' εἰ τῷ πρώτῳ καὶ ἀϊδίῳ καὶ αὐταρκεστάτῳ τοῦτ' αὐτὸ τὸ πρῶτον οὐχ ὡς ἀγαθὸν ὑπάρχει τὸ αὐταρκὲς καὶ ἡ σωτηρία. i. e. 'Mirum si primo et sempiterno et sibi sufficientissimo hoc idem primum non ut bonum inest, ipsum sufficiens, et ipsa salus.' Per quod monemur, veram nobis salutem in primo sempiterno et sufficientissimo bono, qui est Deus optimus maximus, constare, nec aliunde quærendam. Solus enim ille summus mundi opifex et rector, desuper eminentis liberalitatis clementissima voluntate corruptibilibus dare potest incorruptionem, et tempori subjectis æternitatem, et insolubilem transitoriis permanentiam; quorum tamen propria natura est ut orta occidant, et aucta senescant. Sic enim in Timæo Platonis loquitur Deus: 'Quæ a me facta, indissolubilia sunt, me volente: alioqui ligatum quidem omne, dissolubile est.' Ecce non tantum Peripateticis, sed etiam Platone ipso et Platonicis testatum recipimus, sola Dei voluntate permanentiam concedi rebus quibuslibet pro captu suo: et hæc est vera salus. Nam salvari dicimus, a læsione servari, ut res tranquillæ permaneant. Quod unanimi consensu Græcorum quondam magnifici et ornatissimi legati anno a nativitate Jesu MCCCCXXVIII. universali concilio Basiliensi, illustri quadam et disertissima oratione exposuerunt his verbis, dicentes. Τὸ γὰρ σωθῆναι καὶ σώζεσθαι καὶ ἡ σωτηρία ἁπλῶς οὐδὲν ἄλλο παρὰ τοῖς Ἕλλησι καὶ τῇ ἡμετέρᾳ βούλεται γλώττῃ, ἢ τὸ διαμένειν καὶ εἶναι. i. e. 'Ipsum autem salvare et salvari, et ipsa salus, simpliciter nihil aliud apud Græcos, et in nostra vult lingua, quam permanere et esse.' Homines igitur qui de sui natura morti sunt obnoxii, ut cessent esse, cum ita se Dei conformant voluntati, ut futuri sint immortales, et beato ævo fruantur, recte dicuntur salutem consecuti: et qui eis illam largitur immortalitatis beatitudinem, is recte dicitur Salvator. Quod vocabulum usu cepit Ciceronis posteritas, antea inauditum, ut nunc Salvator Latine dici queat.

Feta Sancto Spiritu] Id apud Lucam astruunt verba Angeli ad ipsam sa-

sacrosanctam virginem: 'Spiritus,' inquit, 'Sanctus superveniet in te, et virtus altissimi obumbrabit tibi.' Ipsius item apud Matthæum verba ad Josephum maritum ejus: 'Joseph, fili David, ne metuas adjungere tibi Mariam uxorem tuam: nam quod in illa conceptum est, a Spiritu Sancto profectum est.'

Feta] Prægnans, fecunda. Non ex virili semine, sed opificio Spiritus Sancti, quod divina arte intra virginis pectusculum natura stupente peregit. Siquidem ad conceptum ipsius lege naturæ factum, requiritur virtus patris seminaria; cujus vices egit in virginali hoc conceptu verbum ab angelo annunciatum, virginisque sacratæ fides atque consensus. Itaque hujusmodi verbum angelicum, itidem et beatæ virginis responsum, consentientis angelo, fuit ut mysticum quoddam semen, conceptionis opifex.

21 *Puer*] Et recte quidem eo insignitur nomine, quod ab Esaia prænunciatum erat: 'Parvulus enim,' inquit, 'natus est nobis, filius datus est nobis, et factus est principatus super humerum ejus, et vocabitur nomen ejus admirabilis, consiliarius, Deus fortis, pater futuri sæculi, princeps pacis.' Qua nominum majestate LXX. perterritos autumat divus Hieronymus, non esse ausos de puero dicere, quod aperte Deus appellandus sit, &c. Sed pro his sex nominibus posuisse, quod in Hebraico non habetur, 'Magni consilii angelum:' quia nunciaverit nobis abjiciendum pro tempore Israël, et gentes esse salvandas.

Redemtor orbis] I. e. mundi: h. e. ut superius etiam admonuimus, humani generis instaurator. Hoc enim in momento ipso mox atque protoplastus legem transgressus erat, morte moriebatur in peccato suo, sontico nimis et contagioso toti humano generi, et prolis futuræ propagationi, quæ tum in eo, ut diximus, conclusa erat, æternis inferorum habitaculis destinatæ: quousque Dei placito veniret Messias ille redemptor, qui hominem in paradisum reduceret, non terrestrem, sed cælestem, et vitam liberis redderet, quam parens amiserat, æternam, non temporalem: animæ, non corporis, illam ipsam Dei familiaritatem et jucundissimum divinitatis aspectum omni voluptate plenissimum.

Redemtor] Præter notam ejus significationem habet et aliam elegantem apud jurisconsultos, tum apud alios scriptores.

Protulit] Ostendit. Apud jurisconsultos proferre, producere est: i. e. apud acta deponere. et Cicero in Verrin. acti. quarta: 'Scio te edicta superiorum omnium correxisse, et possessiones hæreditatum, non secundum eos qui proferrent, sed secundum eos qui dicerent testamentum factum, dedisse.' Itèm pro differre, h. e. procrastinare, ac pro porro ac longe ferre. ut in Captivis Plautinis parasiti verba monstrant: 'Ubi res prolatæ sunt, quum rus homines eunt: Simul prolatæ res sunt nostris dentibus.' At tunc primitivum ejus, secundum quosdam, protollo, i. e. procul aufero.

Os] Ab eo quod est os oris, synecdochicos, modo faciem, modo totam speciem, ut hic refert abunde est exemplorum apud autores.

Sacratum] Audivimus id ab Angelo apud Lucam, dicente ad virginem: 'Quod nascetur sanctum, vocabitur Filius Dei.' ad quod etiam Prudentium puto respexisse.

22 *Psallat altitudo celi*] Invitat omnem creaturam ad depromendam Christo nato laudem.

Altitudo celi] Qua ratione Virgilio dictum est altum cœlum: 'Maia genitum dimittit ab alto.' Et est proprie extrema circumferentia, in qua divinum omne fixum ac locatum est. Cælum autem dictum est, ut et Varro et Plinius scribunt, quod variis sideribus sit cælatum, ut ante (si non

memoria labor) diximus.

Psallat] Cantet, laudet. Significat et pulsare. Inde Græcis Psalterium, Latinis organum dictum, quod Hebræi Nebel vocant. Psaltes cantor: Psaltria femininum, fidicina.

Psallat omnis Angelus] Et sic legendum est, et non *Psallant omnes Angeli* (ut Ecclesiasticus usus recepit) necessitate metri, et etiam ex codicibus non depravatis. Quod miror Clichtovæum in Elucidatorio suo non innuisse: sed forte leviculum id sibi visum fuit.

Omnis Angelus] I. e. universa spiritualis natura, et incorporea. cujus tres hierarchiæ a Dionysio Areopagita referuntur, quarum quæque treis habet choros, et quilibet chorus tribus ordinibus absolvitur. In primo Seraphini, Cherubini, et throni, in secundo dominationes, virtutes et potestates; in tertio, principatus, Archangeli, et Angeli, quorum nomina in sacris literis sparsim colligimus. In Esaia Seraphini; in Ezechiele, Cherubini: in Epist. Paul. ad Col. throni: in ea quæ ad Ephesios, dominationes, virtutes, potestates, et principatus; in Epistola Judæ, Archangeli et Angeli. Sed et homines Dei Angelos fuisse nuncupatos, ex iisdem literis testatissimum est. Nam de Joanne legimus: 'Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam;' et Malachias propheta Angelus item dictus est.

23 *Quicquid est virtutis usquam*] Et Angelicæ et humanæ, et in cælo, et in terra. Cum Angeli nomine addita universali particula supercælestes Angelicasque substantias signaverit, non puto referendam solum ad Angelicas virtutes, quæ etiam in sacris eloquiis suo ambitu Angelicam omnem complectuntur substantiam, quemcunque constituat ordinem, ut apud Psalmographum; 'Benedicite Domino omnes virtutes ejus:' et apud Luc. 'Nam virtutes cælorum movebuntur.' Porro in moralibus virtus a vi deducitur, quasi suis sc. viribus nitens, non superetur adversis. Quæ, ut Autor est August. lib. IV. civitatis divinæ, a veteribus definita est 'Ars bene recteque vivendi.' Unde ab eo quod ἀρετὴ Græcis dicitur virtus, nomen artis Latinos traduxisse putaverunt. Virtutem antiqui Deam fecerunt; quam Augustinus non esse Deam, sed donum Dei asserit. Lactantius Horatianæ definitioni, 'Virtus est vicium fugere, et sapientia prima,' tanquam ineptæ reclamat, et melius, ait, illi fecisse videntur, a quibus dicitur, 'Virtus est bonum facere, malum non facere.'

Usquam] Alicubi, quasi uno quovis loco, a quo nusquam; ut usquequaque, unoquoque tempore.

In laudem Dei] Cui soli omnis debetur gloria, longe major, quam omnis humana prædicatio queat illi tribuere. Seneca laudationem a laude differre putat, quod illa fiat voce; unde funebrem laudationem, non laudem dicimus: hæc vero non verba hominum, sed judicia sequatur. Ergo laus est etiam taciti bene sentientis.

Dei] Deus, ut quidam putant, a dando dictus est, quia hominibus dat, quicquid commodum est. Festus, quod nihil ei desit. vel a Græco θεὸς, quod Deum significat. vel ἀπὸ τοῦ θεῶ, quod est video, speculor; quod pervigil Dei oculus omnia contempletur et videat. Juxta quod Prudentius in hymno ad matutin. admonet; 'Sic tota decurrat dies, Ne lingua mendax, ne manus, Oculive peccent lubrici; Ne noxa corpus inquinet, Speculator adstat desuper, Qui nos diebus omnibus Actusque nostros prospicit, A luce prima in vesperum. Hic testis, hic est arbiter, Hic intuetur quicquid est, Humana quod mens concipit. Hunc nemo fallit judicem.' Et Severinus Boëthius, 'Magna,' inquit, 'est nobis (si dissimulare non vultis) necessitas indicta probitatis,

cum ante oculos agitis judicis cuncta cernentis.' vel ἀπὸ τοῦ δέομαι, timeo: quod mortalibus sit timendus. Statius; 'Primus in orbe Deos fecit timor.' Cæterum nec homini solum sacri nominis participatio facta est; verum, uti Augustinus inquit, etiam divinis muneribus. Nec utique quod Deos ea crederent; sed quoniam sciebant nemini talia, nisi aliquo Deo largiente, concedi. Quorum Deorum nomina non inveniebant, earum rerum nominibus Deos appellabant, quas ab eis sentiebant dari, aliqua inde vocabula inflectentes; veluti a bello Bellonam nuncupaverunt, non bellum. Item a cunis Cuninam, non cunam; a segetibus Segetiam, non segetem; a bobus Bubonam, non bovem. Vel etiam nulla vocabuli declinatione, ut res ipsæ nominantur; ut Pecunia dicta est, Dea quæ dat pecuniam. Hic vero illud obiter subnotandum, aëris Deum ex Varronis Spicilegio ab Augustino dici Æsculanum. Proinde admiratione videri dignum potest, quid ita Juvenalis sibi scribere sic permiserit; 'Et si funesta Pecunia templo Nondum habitas, nullas nummorum ereximus aras.' Quod a Cælio refertur, XI. 67. Lection. Antiq. Verum enimvero quemnam dicere Deum verum oporteat, parum veterib. constitit, quibus in explicanda divinitate, et philosophis præcipue, tantum extitit dissidium, ut Seneca in ludo Claudiano illud latenter taxaverit, a Rhenano nostro eleganti Scholio illustratum. At Cotta ille apud M. Tullium; 'Roges me,' inquit, 'quid, aut qualis sit Deus? Auctore utar Simonide, de quo cum quæsivisset hoc idem tyrannus Hiero, deliberandi causa sibi unam diem postulavit, cum idem ex eo postridie quæreret, biduum petivit; cumque sæpius duplicaret numerum dierum, admiransque Hiero quæreret, cur ita faceret? Quia, quanto, inquit, diutius cogito, tanto mihi res videtur obscurior.' Illud item adde: 'Dei substantiam sicut est, ne Angelorum quidem ullum pervidisse.' propterea in sanctis literis; 'Regi autem sæculorum immortali, inaccessibili.' et rursum; 'Lucem habitat inaccessibilem.' Itaque medius fidius Simon ille Reuchlinianus sapienter graviterque disserens, 'satis' ait 'esse debere, de Deo nosse id, quod ipse nobis revelavit;' lib. III. Cabalisticæ artis.

24 *Nulla linguarum*] A ligandis cibis linguam nominatam tradunt; qua voce sermonem quoque significamus, unde et Latina et Græca lingua dicuntur. Linguam Græci glottam nuncupant; quo vocabulo et Latini utuntur. Quintil. I. 2. 'Protinus,' inquit, 'potest interpretationem linguæ secretioris, i. e. quas Græci glossas vocant, dum aliquid agitur, ediscere.' Nunc autem, ut admonet Regius, ab imperitis glosæ, et quidem per simplex s, pro quacunque usurpatur expositione. At Rhodiginus capite vigesimo septimo libro septimo affirmat, quod plerique etiam ex politioribus Glossas pro interpretatione qualibet accipiant.

Silescat] Desinat depromere laudem Deo. Ut enim silere is dicitur, qui nondum loqui cœpit; ita silescere, qui loqui desinit, tacitusque fit. Terent. 'Quid ego nunc agam, nisi dum hæ silescunt turbæ, interea in angulum aliquo abeam?'

Vox] Græce φωνὴ dicta, quod mente concepta illuminet. diciturque in animantibus tantummodo, quod inanima vocalia esse nequeant; ni metaphorice abutaris proprietate, ut si organa nuncupes vocalia. Sed nec animalia cuncta recte vocem habere pronunciaris, quando exanguibus vocis nulla suppetit facultas, sicuti insectis, et iis quæ crusta teguntur. Plinius ex Aristotelis doctrina, vocem non habere scribit, nisi quæ pulmonem et arterias habent; idcirco et insectis sonum esse, non vocem. Relatum

autem a nobis in Commentariis quos in Staurostichon scripsimus, 'Stoicos vocem corpus esse rationibus contendere' adversus Pythagoram, Platonem, et Aristotelem, aliaque haud indigna scitu. Quibus adde, omnes agonos, h. e. seminis expertes, oxyphonos, i. e. acutæ vocis esse; ut sunt pueri, mulieres, decrepiti, spadones. Viros autem graves et baryphonos esse, ut Græci dicunt. Quod Homerus hisce versibus monstrasse videtur, in quibus de virili muliebrique voce ita canit, quamvis aliud agere videatur; Τῷδε βαρυστενάχοντι παρίστατο πότνια μήτηρ, Ὀξὺ δὲ κωκύσασα, κάρη λάβε παιδὸς ἑοῖο. 'Huic autem graviter gementi astitit mater venerabilis; Acute vero lamentabunda, caput sui apprehendit filii.'

Consonet] Concinat et collaudet.

25 *Ecce quem vates*] Ordo est; Ecce promissus olim emicat, quem vates concinebant vetustis sæculis, et quem fideles paginæ prophetarum spoponderant.

Quem vates] Sibyllæ: quas gravissimi religionis nostræ autores divini consilii plenas, ut nomen indicat, (Æoles enim σίους Deos vocant, βουλὴ Græce consilium dicitur) incarnationis arcana versibus suis præcinuisse tradunt. Quod et Ecclesiæ autoritas comprobat, læta concinens in obstinatam Judæorum pertinaciam; 'Si non suis vatibus, Credat vel gentilibus, Sibyllinis versibus.' Varro in libris rerum divinarum, decem fuisse Sibyllas commemorat, quanquam undecim alii numeravere. Primam, Persicam, quæ ita dicitur texuisse oraculum: 'Ecce, bestia, conculcaberis, et gignetur Dominus in orbe terrarum, et gremium virginis erit salus gentium, et pedes ejus in valetudine hominum, et invisibile verbum palpabitur.' Secundam, Libycam. tertiam, Delphicam. quartam, Cumæam, quæ spiritu plena sic fertur cecinisse: 'Veniet ille, et colles transibit, ac Olympi vertices, regnabitque in paupertate, et dominabitur in silentio, et ex utero virginis veniet.' Quintam, Erythræam. sextam, Samiam. septimam, Cumanam, nomine Amaltheam, quæ et aliis Erophyle seu Demophyle. octavam, Hellespontiam, cui tribuunt hoc vaticinii: 'De excelso cælorum habitaculo humiles prospexit Deus, et nascetur in diebus novissimis de virgine Hebræa.' nonam, Phrygiam. decimam, Tyburtem, quæ et Tyburtina, sicque de Christo prædixisse dicitur: 'Nascetur Christus in Bethleem, et annunciabitur in Nazareth. O felix illa mater, cujus ubera illum lactabunt.' Quin et reclinandum in præsepio Christum infantulum, ipsas quoque concinuisse, receptum est. Lege Lactantium cap. 6. lib. I. Vates (ut autor est Varro lib. I. de L. L.) dicuntur a versibus viendis, i. e. conjungendis: alii, a vi mentis. inde 'vaticini furores' dicuntur ab Ovidio, 'poëtici calores, futura canentes.' Inde fit verbum vaticinari, h. e. futura præsagire.

Vetustis sæculis] Retroactis longe temporibus et ætatibus. Quo quæque tempore floruerit, ex Sipontinianis et Tortellianis monumentis facile est intelligere, quæ multis quidem annorum curriculis præcesserunt annum restitutæ salutis. Siquidem Erythrea canebat Ilii calamitatem, Homerumque mendacia scripturum. Seculum C. annorum spacio finiri, Varro decrevit. Inde ludi Seculares Romæ 100. quoque anno celebrabantur: dictumque a sene, quod longissimum id senescendi spacium putarunt. alii XXX. an. spacium dixerunt seculum esse. Censorinus exordio et fine humanæ vitæ seculum concludi voluit. alii a sequendo dictum putant, pro ætateque ponunt. Nam ut in flumine fluctus sequitur, sic in cursu temporis ætas ætatem impellit.

26 *Fideles*] Fide, ut ab Apostolo 'fidelis Deus.'

Pagina] Sic dictæ, quod in libris obtineant regionem, ut pagi: vel a pangendo, quod in illis versus panguntur, i. e. finguntur: auctor Pompeius.

Prophetarum] Inter omnes sensus evidentissime percipit visus. Neque enim per auditum licet dignoscere, quæ sint formidanda, sicuti per oculos: neque vis alia perinde recipit cognitionem eorum quæ sint expetenda. Quam ob causam veri contemplatio, propterea quod et evidens sit, et certa, visio dicitur. Unde et Propheta videns vocatur, et a fronte prospiciens: ut scribit Basilius in Esaiam, interprete Reterodamo. Cassiodorus definit prophetiam, 'inspirationem divinam, rerum eventus immobili veritate denunciantem.' Meminit futurorum solum ob id, quod proprie id et nomen et ratio prophetiæ significare videtur. tametsi ad omnia tempora, et ad res omnes lumen propheticum et revelatio extendatur, ut late probat Aquinas.

Spoponderant] I. e. dixerant. Spondere enim proprie est, ut Varro docet, dicere: et a sponte, i. e. voluntate, deducitur. Potes etiam in vulgata accipere significatione pro promiserant, quod Prophetæ in Scripturis Deum secundam promissionem suam retulerint in carne venturum. Solomon sic ait: 'Infirmatus est uterus virginis, et accepit fœtum, et gravata est, et facta est in multa miseratione mater virgo.' Item Propheta Esaias, cujus verba hæc sunt: 'Ecce virgo concipiet in utero, et pariet filium, et vocabitur nomen ejus Hemanuel.' Hemanuel, inquit Lactan. nunquam vocatus est, sed Jesus, qui Latine dicitur salutaris sive Salvator: quia cunctis gentibus salutifer venit. Sed Propheta declaravit hoc nomen, quod Deus ad homines in carne venturus esset. Hemanuel autem significat nobiscum Deus: scilicet quia illo per virginem nato, confiteri homines oportebat Deum secum esse, id est in terra et in carne mortali. Unde David in Psalmo LXXXIV. 'Veritas,' inquit, 'de terra orta est, quia Deus, in quo veritas est, terrenum corpus accepit, ut terrenis viam salutis aperiret.' Item Esaias ipse: 'Ipsi autem non crediderunt, et exacerbaverunt Spiritum Sanctum. Et conversus est eis ad inimicitiam: et ipse expugnavit, et recordatus est dierum seculi, qui suscitavit de terra pastorem ovium.' Quis autem futurus esset ille pastor, declaravit alio loco dicens: 'Exultent cœli desuper, et nubes induant justitiam: aperiatur terra, et pullulet salvatorem. Ego enim Dominus Deus creavi eum.' Salvator vero est, ut sup. diximus, Jesus. Sed alio loco idem Propheta sic prædicavit: 'Ecce natus est nobis puer, et datus est nobis filius, cujus imperium super humeros ejus, et vocatum est nomen ejus magni consilii nuncius.' Idcirco missus est a Deo patre, ut universis gentibus quæ sub cœlo sunt, singularis et veri Dei sanctum mysterium revelaret ablatum perfido populo, qui adversus Deum sæpe deliquit. Daniel quoque similia prælocutus est: 'Videbam,' inquit, 'in visu noctis, et ecce in nubibus cœli ut filius hominis veniens, et usque ad vetustum dierum pervenit. Et qui assistebant, obtulerunt eum, et datum est ei regnum, et honor, et imperium, et omnis populus, tribus, lingua servient ei: et potestas ejus æterna, quæ nunquam transibit: et regnum ejus, quod non corrumpetur.'

Emicat] Apparet, præsto est, sc. ille.

Ecce] Hanc particulam, ubicumque ponitur, semper sequitur aliquid quod vel metum, vel admirationem denunciat. propriumque Ciceronis hoc esse in rebus improvisis, idque accurate Maronem observasse, Asconius Pedianus et Donatus annotarunt.

27 *Promissus*] Quibus? Nempe Abrahæ et Davidi. Abrahæ; In semine tuo benedicentur omneis gentes. Davidi; De fructu tuo ponam super sedem tuam.

Promissus] I. e. pollicitus. Quandoque porro missum significat, ut promissum capillum dicimus longum; et promissam barbam, ut apud Maronem, velut porro missam. et juxta hunc jocum: 'Si promissa facit prudentem barba, quid obstat Barbatus possit quin caper esse Plato?' Ex Festo. Et Plautus in Rudente, 'capillum promittam,' pro porro mittam, vel crescere sinam, dixit.

Olim] Hæc particula omni inservit tempori, ex Grammaticorum placito. Hic, ut apud Horatium, de præterito: 'Olim Rusticus urbanum murem mus paupere fertur Accepisse cavo.' Lib. II. Sat.

28 *Cantharis infusa*] Orditur hinc miracula Christi. quibus præsentem laborem peculiariter dicavit. Hoc autem, Evangelista autore, edidit initium signorum Jesus in Cana Galilææ. Nam, ut incidenter illud quod et Hieronymus indicat, adscribam: 'Duæ sunt Canæ, major juxta Sidonem, et minor in tribu Aser.' Chrysostomus scite respondet iis, quibus videbatur non idoneum hoc argumentum, quod primum signum fuerit, quoniam additum sit in Cana Galilææ: ac si diceret, non omnium primum, sed eorum quæ illic fecerat. Divus Hieronymus ad Oceanum, aquarum laudes et baptismi prædicans, inter cætera: 'Primum,' inquit, 'signum ex aquis facit: hoc autem initio signorum, multa et magna, referente Cyrillo, peragebantur: sanctificabantur nuptiæ: maledictio mulierum initio ortus nostri benedicto destruebatur: gloria Salvatoris, quasi Solis radius effulgebat: discipulorum denique fides roborabatur.' Idem explicat, ut omnia graviter, altiorem sensum hac significatum historia. Porro, ut a Badio in Juvencum adnotatum legimus, sunt graves autores, ut divus Hieronymus, qui has nuptias Joannis Evangelistæ dicant fuisse: ut apud Græcos, et magni quidem (ut Roterodamus ait) qui putant Paulum habuisse uxorem: quod vel ex ipso Paulo conjicere licet. Divo Hieronymo oppositum asserenti, Jacobus Faber ita respondet, ut neque huic assertioni Hieronymus ipse tam dissentiat, quam videatur. amplius hoc ipsum Peutingerum nostrum fecisse, intelliges in Sermonibus suis convivalibus, quos locupletiores propediem emittet. Vides igitur quam egregiam operam impenderint, qui tam omnifariam eruditi hominis adnotationem oppugnandam tentarunt, quod vir doctus, primus fere omnium, in medium hanc protulerit sententiam: et id quidem summa cum modestia, neque absque probatissimis autoribus. Advocavit enim clarissimum illum, et politioribus literis excultum Parisiensem Theologum, Joannem Caprum Germanum, primum Augustensis ecclesiæ ex doctoribus verbi Christi concionatorem, qui sibi apud Egnatium locum hunc ostendit. Deinde Peutingerus ab Eusebii Cæsariensis Ecclesiastica historia relatum docuit, non tædere Paulum Apostolum in Epistola comparis suæ meminisse: quam ideo circumducere noluit, ut ad Evangelii prædicationem fieret expeditior. Nec eum latuit Adamantii de Pauli conjugio sententia. Videant ergo isti cavillatores Sophistæ, quibus libido est in optimos quosque arroganter, et priusquam cognoscant, impotes animi judicium ferre præceps. Boni magistri, discite, non quod quis uxorem, vel maritum quæ habuit, probe consequimur ut virgo non sit: quandoquidem multi et clari viri, atque mulieres, conjugio adstricti, cœlibes atque virgines egerunt. Sed nunc ad expositionis nostræ seriem redeamus.

Lympha] I. e. aqua: unde lymphatius vinum dicitur, quod plus satis

habet aquæ, sicut meracius; quod minimum aquæ habet. Lymphati autem sunt, quos Græci nympholeptos vocant. quasi nympharum spiritu correptos. Vulgo nanque memoriæ proditum est, quicunque speciem quandam e fonte, i. e. effigiem nymphæ viderit, furendi non fecisse finem. Festus: 'Lymphæ,' inquit, 'dictæ sunt a nymphis.'

Infusa] Jussu Christi, dicentis ministris: Implete hydrias aqua.

Cantharis] Cantharus Græcum nomen est, et per th scribitur: quia *κάνθαρος* per *θ* apud illos notatur, et, ut Macrobius inquit, poculi et navigii genus significat, quem Maro Sileno assignat: 'Et gravis attrita pendebat cantharus ansa.' Sed et Suidas cantharum præter poculi significationem, nomen quoque fuisse proprium inquit, Comici Poëtæ Atheniensis: et nomen portus Athenarum, et nomen animalis quod e stercore asini gignitur, cujus fœmina non reperitur. Zenodotus autem ait (ut in Chiliades suas retulit Roterodamus) Athenis cauponem fuisse quempiam, nomine Cantharum, quem ob maleficia et imposturas ac proditiones capitis affecerint supplicio. Proinde vulgo receptum, ut in versutos et impostores diceretur: 'Cantharo astutior, aut callidior.'

Fit nobile Phalernum] Insigne, optimum vinum. Secunda vini nobilitas Phalerno agro erat: autor Plinius. Meminit Martialis in Xeniis. Nobile, dictio media tam ad bonum, quam ad malum. Aliquando notum significat: propterea 'nobilis locus clade' dicitur a Livio, ut 'nobile scortum.' Plautus vinum, quod est suavius et præstantius, edentulum in Penulo vocavit, pro veteri: 'quo qui utuntur, sapientes putat in Casina.' Et in Ecclesiastico: 'Vinum novum, amicus novus veterascit, et cum suavitate bibas illud.' Vinum vetus gratius esse novo, Ovidius testis est: 'Qui properant, nova musta bibant: mihi fundat avitum Consulibus priscis condita testa merum.'

20 *Minister*] Is dicitur, qui nobis operam suam, vel mercede, vel quavis conditione præbet. Inde ministerium, quod interdum etiam pro ipso ministratore, ut apud Plinium aliosque positum reperies.

Nunciat] Refert. Nuncius tam qui nunciat, quam quod nunciatur, virili genere pronunciatur. Plautus in Sticho: 'Præcucurri, ut nunciarem nuncium exoptabilem.'

Promtum esse] Infusum, tractum. unde ministros, qui præsunt penuariæ cellæ, veteres promos dixerunt: sicut condos, a condendo. autor Fulgentius Placiades. Hinc Plautinum illud: 'Sum promus, condus, procurator pœni.' Idem translatione pulchra carcerem, cellam promptuariam appellavit, quia ex eo ad supplicium promuntur noxii, velut ex cella promptuaria promuntur quæ esui et potui necessaria sunt.

Vinum] Vocabulum a vi deducunt Latinorum quidam. In Cratylo Platonis legimus, dici a Græcis vinum *οἶνον, διὰ τὸ οἰήσεως τὸν νοῦν ἐμπιμπλᾶν*, quod existimatione ac opinionum vanitate mentem oppleat. vel *ἀπὸ τῆς ὀνήσεως*, i. e. ab emolumento. Quod illud comprobat Homericum: *ὀνήσεαι αἴκε πίνασαι*, i. e. juvamen senties, si biberis. Nam et cibaria dici *ὀνεῖστα* novimus, eadem etymi ratione. His calculum adjicit Poëta Cyprius: *Οἶνόν τοι, Μενέλαε, θεοὶ ποίησαν ἄριστον, θνητοῖς ἀνθρώποισιν, ἀποσκεδάσαι μελεδῶνας.* 'Vinum, o Menelaë fecerunt Dii, curis dissipandis vel præstantissimum.'

Ex hydria] Græca vox est: nam Plautus vocat aqualem, vas ad aquam ferendam: quandoquidem et *ὑδρία* ab aqua nomen habet Græcis, ut ait Roterodamus. 'Erant autem ibi,' ut scribit sacer Evangelista, 'lapideæ hydriæ sex positæ, secundum purificationem Judæorum, capientes singulæ metretas binas aut ternas,' i. e. cados: quanquam utraque vox Græ-

ea est, sed Latinis usurpatur cadus. Apud Plautum: ‘Cadus erat vini, inde implevi cyrneam.’ Et apud Hor. ‘Nardi parvus onyx eliciet cadum.’ Metreta est et apud Columellam: ut ab Erasmo diligenter adnotatum est in hunc Evangelistæ locum. Est autem cadus sive metreta, mensura congiorum decem: ut docet copiosius de Asse lib. v. Budæus Galliæ sidus.

30 *Ipse rex*] Præfectus convivii, qui Græce architriclinus appellatur. Reges apud luculentos scriptores pro obsonatoribus conviviorumque magistris accipi, obvium est: et apud Comicos familiare parasitis, heros et patronos vocare reges. Triclinium, locus tribus constratus lectis ad discumbendum, Servio autore. unde apparet, errare eos qui Triclinium dicunt ipsam basilicam vel cœnationem. Biclinium autem, a duorum lectulorum numero dicitur. κλίνη nanque lectus interpretatur.

Obstupescit] Postquam gustasset architriclinus aquam in vinum versam, neque sciret unde esset. Itaque sponso accito: ‘Omnis,’ inquit, ‘homo primo loco bonum vinum ponit, et cum inebriati fuerint, tunc id quod deterius est. Tu servasti bonum vinum usque ad hoc tempus:’ ut sacra narrat historia.

Tinctis poculis sapore] Impletis hydriis vino: aquæ enim natura est, nihil sapere. Unde Plinius scribit, ‘eam optimam esse aquam, quæ nihil sapiat.’ At ‘vinum,’ Galeno autore in lib. De anhelitus juvamine, ‘ex terra sibi admixta sapores adoptat.’ Saporum autem species plures reperiuntur: dulcis, suavis, pinguis, amara, austera, acris, acuta, acerba, acida, salsa. Tradit Aristoteles, species saporum, ut species colorum, quadam similitudine et proportione respondere. Qui enim in saporibus sunt dulce et amarum, sunt in coloribus album et nigrum. Et pinguis sapor, ut dulcis est: salsus, ut amarus. et flavus color, ut albus est: lividus, ut niger. et reliqui quadam similitudine sunt medii sapores: scilicet acre, austerum, acutum, acidum. Colores vero, puniceum, purpureum, viride, cæruleum. lege cap. 4. libri de sensu et sensato atque in id notas Jacobi Fabri Stapulensis, quibus ordine digesto cognosces colorum et saporum mutuam habentium respondentiam dispositiones. Sed et mentio a nobis de eis facta est in enarratione carminis de mysteriis Dominicæ crucis.

Tinctis] A tingo, quod proprie est inficio et immergo.

Poculis] Poculum, vas est: potio, quod hauritur: sæpe tamen (ut apud Maronem lib. Georg. I. ‘Poculaque inventis Acheloia miscuit uvis’) ponitur pro ipsa potione a poëtis. Cæterum hujus miraculi Claudianus inter cætera sic meminit: ‘Permutat lymphas in vina liquentia Christus: Quo primo facto se probat esse Deum.’ Tametsi D. Augustinus de Civ. Dei v. dicit Claudianum Poëtam a Christi nomine fuisse alienum. Sed quum tam sancte de Christo scripserit Salvatore, credibile est post scriptam illam ab Augustino sententiam ad fidem Christi fuisse conversum. Carmina quoque Claudiani, quæ ex vetustissimo codice Camers noster addidit, quo laus Christi et miracula Christi inscribuntur, ostendunt, quid Claudianus de Christo et ejus fide sanctissima senserit; quæ profecto ab alieno a Christi nomine scribi vix credi potest, dicit Camers.

31 *Membra morbis ulcerosa*] Quomodo descendente Christo de monte, ubi longum sermonem facit, mundavit leprosum, sacerrimi historiographi referunt Matth. cap. VIII. Marc. cap. I. Et Luc. cap. V. qui a Mantuano nostro Protographus appellatur, h. e. principalis scriptor testimonio Pauli, qui laudem ejus Evangelii dicit esse per universas ecclesias.

Ordo est, inquit, Mando ut abluantur membra ulcerosa morbis.

Ulcerosa] Cum spiritu enunciandum est; traxit enim aspirationem ab Græco: illi enim helcos dicunt. Est autem hulcus, tecta et clausa malignitas: vulnus vero hiatus patens. Marcellus autor. Abit quoque vulnus in hulcus vetustate. quod recte Seneca in consolatione ad Martiam significavit: 'Nam vulnerum quoque sanitas facilis est, dum a sanguine recentia sunt.' Subdit: 'Ubi corrupta in malum hulcus verterunt, difficilius curantur.' Id autem quod nos vulgo hulcus dicimus, quod Græci apostema vocant, Latine furunculus vocatur.

Ulcerosa] Quia erat, secundum historiam, plenus lepra. Nam hoc inclinamentum semper hujusmodi verborum, ut vinosus, mulierosus, nummosus, religiosus: significat copiam quandam immodicam rei super qua dicitur. Ulcera deploratæ curæ a Galeno *Chironia* et *Cacoëthe* dicuntur.

Morbis] Morbum Agricola putat dictum a morte, quoniam ad mortem ducat. Cicero Tusc. IV. scribit, quod morbum appellent totius corporis corruptionem: ægrotationem, morbum cum imbecillitate: vitium, cum partes corporis inter se dissident, ex quo pravitas membrorum, distortio, deformitas. Itaque illa duo, morbus, ægrotatio, ex totius valetudinis corporis conquassatione et perturbatione gignuntur. Vitium autem, integra valetudine ipsum ex se cernitur.

Putredines] Pus et sanies.

Viscerum] Secundum Servium, viscus visceris significat omnem carnem intra pellem contentam: viscum autem secundæ declinationis significat illud quo aves viscantur, gluten. Viscerari prisci dicebant, viscus populo dividere. quare visceratio, quam Græci creanomian appellant, carnis est dilargitio, quæ apud Romanos prope solenniter dabatur: de qua Livius, Servius et Gellius meminerunt. Idem Budæus in annotationibus in Pandectas, et Pius in Commentariis Lucretianis.

32 *Inquit*] Sc. Christus. Significatio, defectusque hujus verbi notissimus est.

Mando] Jubeo, ut tertiæ conjugationis est Mandere, non idem est quod edere, quemadmodum vulgo putant, sed cibum dentibus comminuere. Unde nutrices præmandere dicimus. Mandi in præterito perfecto, mandui et mandidi prolatum quidam contendunt: et mansum in supino. Remando est apud Plinium, iterum mando. Mandonem pro manducone dixerunt antiqui, aut eo quem et phagonem Græca voce nuncuparunt. Rem monstruosam legis de quodam phagone apud Vopiscum, in Aureliano: de quo in Scholiis quæ in librum Pontani de immunitate scripsimus, paucula.

32 *Abluantur*] Mundentur, sanentur, et vigori pristino restituantur. Prisci cadavera mortuorum abluebant, et postea ungebant: quem morem Virgilius expressit illis versibus: 'Pars calidos latices et ahena undantia flammis Expediunt, corpusque lavant frigentis, et ungunt.' Quod quidem proximis concedebatur, unde Anna Marquiana inquit: 'Date vulnera lymphis, Abluam.' At hoc nihil ad hunc locum, quando miser homo lepra infectus, verbo Christi, 'Mundus esto,' sensit restitutæ sanitatis beneficium, et quidem eodem momento. 'Protinus enim mundata fuit illius lepra,' ut Matthæus ait. Et cum dixisset, 'Mundus esto, statim discessit ab eo lepra, et mundatus est:' ut Marcus refert. Lucas vero scribit: 'Et accidit cum esset in quadam civitate, et ecce vir plenus lepra: cumque vidisset Jesum, prostratus in faciem rogavit eum, dicens: Domine, si vis, potes me mundare. Et pro-

tensa manu tetigit eum, dicens: Volo, mundus esto. Et confestim lepra discessit ab illo.' quod subitarium Christi factum Prudentius significare volens, recte sic expressit: 'Fit ratum quod jusserat.' Sciendum autem, Christum in miraculis edendis usum esse varietatibus, in quibus Christianissimus Roterodamus, conveniet (ait) philosophari, et pia curiositate divini consilii scrutari mysterium. Siquidem alios sine negocio sanat, ut cum verbo puellam excitat: 'Puella, tibi dico, Surge.' cæco lutum sputo maceratum illevit oculis, nec hoc contentus præcepit ut se abluat in piscina Siloë. neque decem illi leprosi protinus mundati sunt, sed jussi adire sacerdotes, inter eundum lepra mundati sunt. porro Lazarum excitaturus fundit etiam lachrymas, infremit spiritu, jubet sibi commonstrari sepulchrum, tolli saxum, atque ita defunctum valido clamore evocat. Quæ hic admonuisse, non visum fuit extrarium, cum inferius dicendis lumen sint quoque allatura.

Fit ratum] Certum, firmum. Terent. in Hecyra: 'Ne quod ego egissem, esset ratum.' Inde ratum habere, pro confirmare et approbare, usu receptum est.

Ut jusserat] I. e. dixerat Christus, 'Mundus esto.' ita vertit Erasmus, pro verbo passivo imperandi modo, Mundare.

33 *Piamina*] Piamentum, piamen, piaculum, pietas et piatrix, trahuntur a verbo pio, quod proprie significat pie amo, colo: inde piaculum, pro sacrificio et cultu aliquando accipitur. Maro: 'Ea prima piacula sunto.' Interdum contamino et polluo, quod et impio dicitur. Inde piacula rursum pro criminibus et flagitiis. Virg. 'Distulit in seram commissa piacula mortem.' Sacerdos veteribus, quæ expiare, h. e. purgare et purificare, solita erat, piatrix dicebatur. Piamentum autem dictum a Poëtis piamen, quo in expiando utebantur. Hic vero convenit loco piamenti præsentem illam, ut ita dixerim, et momentariam medicinam salutiferi Christi, Verbum sanificans accipere, cujus prolatione statim omnis lepra expiata est.

Vulnerum] Vulnus ante dixi, ex autoritate Marcelli, patentem esse hiatum, abireque tempore in hulcus.

Repurgant] Mundant. Lactantius: 'Pollutos et asperaos maculis repurgabit.'

Turgidam] Inflatam.

Cutem] Ab hoc fit cuticula et cuticularis: ut scientiam inscitam, arrogantiæ temeritatisque plenam, dicimus cuticularem doctrinam, qualis est Stentoreorum Sophistarum, et athletice pugiliceque rem (si Diis placet) Theologicam tractantium.

34 *Tu perennibus tenebris*] Christus, cum Judæi eum dæmonium habere dicerent interficereque conarentur, egressus e templo, non parvum hoc operatus est miraculum. 'A seculo non est auditum,' inquiunt, 'quod quis aperuerit oculos cæci nati.' Cæci enim fortasse quispiam oculos aperuit: sed cæci nati, adhuc nemo. Aristoteles, a privatione ad habitum recursum dari reclamat. unde hic a Prudentio pronomen Tu signate exprimitur: quasi dicat: 'Tu, Christe, nunc primum, quod adhuc nemo præstitit, illuminas cæcum.' Rem, ut gesta est, habes secundum Evangelium Joannis cap. IX.

Lumina] Oculos. Lumen namque et oculum et lucem significat. Lumina interdum pro animi ac mentis acie ponuntur, ut apud Boëtium: 'Tunc me discussa liquerunt nocte tenebræ Luminibusque prior rediit vigor.'

Sepulta] Obducta.

Perennibus] Continuis, non intermissis: nempe cæcus a nativitate. Hinc fit verbum *perennare*. Annam Deam Perennam (de qua Naso libro

Fastor. III. ibi: Idibus est Annæ) Romani colebant: quo commode annare et perennare liceat, autore Macrobio. A Plauto eleganter servus jugiter serviens, æternumque serviturus, Perenniservus appellatus est, in Persa: 'Perenniserve, lurco, edax, furax, fugax.'

Tenebris] Dictæ tenebræ, quod teneant, hoc est impediant oculos, et visum prohibeant.

35 *Illinis*] Inungis. a lino composita sunt, illino, perlino, collino, et relino, quod recludere et aperire significat, ut apud Terent. 'Relevi dolia omnia.' Collino est, fœdo et inquino. Plautus in Penulo: 'Pulchrum ornatum turpes mores pejus cœno collinunt.' Item interlino. A lino litura, deletio scripturæ.

Limo et nectare] Limum pro luto, Nectar pro sputo accipe. 'Expuit in terram,' inquit sacer Joannes, 'et fecit lutum ex sputo, et illevit lutum super oculos cæci, et dixit ei: Vade, lava in piscina Siloæ: quod si interpreteris, sonat missus. Abiit ergo, et lavit, et venit videns.' Hic usus est luto Christus, ex placito Chrysostomi, ut monstraret se eundem esse creatorem, qui in principio e luto hominem formarat. Sputo vero, non aqueo humore: ut nihil virtutis adscribatur fonti, sed soli virtuti oris ejus, quæ efficax credenti facta tum est fonte abluenti, cum antea sæpius laverit oculos in Siloë, non adjutus. Hic autem, et non alio in loco, jussus est abluere oculos: quo itu reditaque pluribus manifesta fieret inaudita novaque visus restitutio, et Christus doceret, se esse fontem illum uberrimum, aquam salutis in totum mundum derivantem.

Salubri] Salubre est, quod sanitati convenit, tamen pro sano ponitur. Sallust. 'Genus hominum salubri corpore.'

Limo] Proprie limus est cœnum illud mollius, quod ab aquis deferri solet: inde limosus et illimis, Ovidiana dictio, sine limo, purus, defecatus, sincerus, eruderatus. Sidonius: 'Quia nusquam aquæ ductuum liquor integer, vel cisterna defecabilis, vel fons irriguus, vel puteus illimis.'

Nectare] Suavi sputo et saliva, est enim nectar, Deorum potio suavissima: dictum, quod qui illud bibit, in juvenili ætate contineat, quasi neoectar κατ' ἀντίφρασιν, παρὰ τὸ νέον καὶ τὸ ἔχω, quod est, juvenem contineo, et per syncopam nectar. Unde et Hebe, Dea juventæ, ipsum ministrare fertur. Legitur in Græcorum monumentis Amaltheam fuisse capram Jovis nutricem: ab uno ejus cornu fluere ambrosiam, ab altero nectar. Cælius adnotavit, esse qui nectar interpretentur vinum in Lydiæ Olympo concinnatum, favis permixtis et floribus odoratis. Anaxandrides vero potum accipit nectaris nomine, sed cibum succinit Alcmon quoque. Sappho etiam 'ambrosiæ craterem' dicit. Sed nec Homerus, esse Deorum potionem nectar, novisse creditur.

Sacri] I. e. venerabilis, ut Maro: 'Extulit os sacrum cælo.' Sacrum sanctumque, idem quod arcanum quandoque significat. Inde sanctaria atque sacraria dicta loca, quo tantum sacerdotibus aditus est.

36 *Mox*] Scilicet postquam oculos in fonte Siloë abluit. Nam a Domino missus est ad fontem, ut cum multos contingeret exinde eum videre euntem ad piscinam, et lutum super oculos habentem, pluribus manifesta, ut ante dixi, fieret ejus illuminatio.

Reducta est lux] Visus restitutus. Reduco modo significat retroduco. Quintus Curtius: 'Reductisque in castra copiis, corpora curare jubet.' interdum libero, et sine periculo recipio. Apuleius: 'Meque oppido in arcem reduco.' Virg. Æn. IV. 'Ejectam classem sociosque a morte reduxi.' inde Reduces, ut ait Servius, qui pericula evaserunt.

36 *Apertis orbibus*] I. e, oculis, ante clausis, luceque privatis. sic enim lumina ipsa appellantur. Lactantius: 'Orbes,' inquit, 'ipsos humoris puri, ac liquore plenos esse voluit.' Sed et accipiuntur orbes interdum (ut alibi a Prudentio: 'Illic utrisque obtutibus Orbes cavatos præferens, Baculo regebat prævio Errore nutantem gradum.' Et apud Papinium, 'Tunc vacuos orbes') pro foraminibus frontis concavis, intra quæ latent oculi.

Hac medela] Luti scilicet compositione et luitione super oculos, sane oppido mirifica. solet nanque lutum oculos magis excæcare. At vero, quid hoc Redemptoris nostri miraculum mystice insinuet, concinniter excutit Chrysostomus, Francisco Aretino interprete. Porro legimus apud Matth. cap. IX. Christum post suscitatam primatis filiam, duobus cæcis, et apud eundem cap. XX. item aliis duobus cæcis, ac apud Luc. c. XVIII. Timæi filio a natali cæco, integritatem luminis restituisse.

37 *Increpat ventum furentem*] Quomodo Christus in puppi super cervical dormiens, tempestate suborta a timidis discipulis, exigua tum præditis fiducia, excitatus, ventos sedavit, referunt Matth. cap. VIII. Marc. IV. et Luc. VIII.

Increpat] Roterodamus adnotans hunc apud Matthæum locum, 'Tunc surgens imperavit ventis,' *Increpavit* primitus fuisse scriptum opinatur. atque ita etiam legisse Prudentium pene affirmarim. Græce enim calluit, quod tituli librorum ejus arguunt. Et quod si germanum verbum fuisset, æque ut nunc alludens Prudentius cecinisset, 'Imperat vento furenti:' eadem servata metri ratione. Igitur, ut doctissimus Erasmus censuit, aliquis offensus dandi casu, 'Ventis' (quem tamen Evangelista more Græcanico solet addere) mutavit, Imperavit.

Increpat] Incusat, reprehendit: et proprie est, cum fit cum impulsu vocis, et immani sonitu.

Furentem ventum] Sic Maro Æn. I. 'Furentibus austris,' pro ventis, nota figura dixit, autore Servio: 'Furentem, cum furia et impetu erumpentem.

Ventum] Venti et auræ est discrimen. Ventus est, flatus insuavis: aura, suavis spiritus. Venti nomen pro vanitate quoque usurpatur: dicimusque ventos colere, quibus labores vani sunt. Quandò locus hic opportunus videtur non obmittendum est, quod Roterodamus tradidit in explicatione adagii, 'Ventorum stationes:' esse plerisque regionibus suos quosdam ventos, quorum naturam optime norunt incolæ regionis, illis obnoxiæ. Qualis est Atheniensibus Scyron, paulum ab Argeste deflexus, reliquæ Græciæ ignotus. Narbonensi Galliæ Circius, a turbine et vertigine sic appellatus, sive Certius, ut vocat Cato, ventus apud illos clarissimus, nec ulli violentia inferior. Idem non modo in reliquis cæli partibus ignotus, sed ne Viennam quidem, ejusdem provinciæ urbem attingens. Ac Auster in Ægyptum non penetrat, ut autor est apud Plinium Fabianus: Iapyx Apulis est familiaris: et Atabulus Apuliæ certis montibus notus, ac pestilens, unde et vocabulum inditum. Sunt et alii permulti cujusque regionis indigenæ, ut apud Gellium testatur Phavorinus. Adhæc est nonnullis alia aliis regionibus vis ac natura. nam, ut testatur in Problematis Aristoteles, Hellespontias, qui idem Scyron vocatur, Atticæ terræ insulisque vicinis imbrem adfert: Aquilo Hellesponto ac Cyrenæ, Auster Lesbo. Atque hic cum apud alios sit tepidus et pluvius, Africæ frigidus est ac serenus: ubi rursus Aquilo pluvius, autore Plinio. Etesiæ, quæ et statis anni temporibus oriuntur, et certis horis diei spirant, et conquiescunt, in

Hispania et Asia flant ab Oriente, in Ponto ab Aquilone, in reliquis mundi partibus a meridie.

37 *Tristibus*] I. e. horridis.

Procellis] Nubibus ruptis, et in pronum solutis. Procellam Græci τὴν ἀνεμόθα. cadit præceps et vehemens, acrisque, et plurimo cum labore: ut tradit Plinius, et ante eum Seneca in Quæstion. Accipitur pro æstu maris nonnunquam, unde procellosum mare. Procella si ignem conceperit, dicitur fulmen: si arctius venti fuerint rotati, dicitur Typhon: si cum fragore et majore specu descenderit, turbo est, proxima quæque evertens atque demoliens: idem ardentior atque accensus, vocatur Prester. quas omnes differentias Aristoteles et Ptolemæus apposuere. Servius super hoc Poëtæ Æn. I. 'Creberque procellis Africus:' dicit, procellam vim ventorum esse cum pluvia, quod omnia procellat.

38 *Quod vertat*] Evertat, agitet, commoveat.

Æquor] Planiciem et vastitatem maris. Sic ab æquata planicie terra aratro, æquor, Servio autore, dicta est, Georg. I. 'At prius ignotum ferro quam scindimus æquor, Ventos et varium cæli prædiscere morem Cura sit,' &c.

Imo fundo] I. e. vado, quod nisi magna tempestate non movetur. Servio autore, fundus dicitur ab eo quod rerum omnium sit fundamentum: Varroni videtur dictus, quod quotannis multa fundat. Jurisconsultis fundus est, quicquid solo continetur. Ager vero fundi species ad hominum usum comparatus, autor Modestinus. Nomen traxit a fundo vasorum, cujus similitudinem gerit: nam uterque planus est, ut ait Pompeius.

Vexet] Præcipitet, agitet. Proprie hic usus est verbo quod denotat ingentem calamitatem. tametsi Annæus Cornutus id verbum leve parvique incommodi putabat esse, reprehenso Virgilio, qui de Scylla sævissimo maris monstro, 'Dulychias vexasse rates,' ait. Sed ingentis calamitatis usum notare, Gellius II. 6. Macrob. Sat. lib. VI. quod utroque priores Asconius Pedianus et Probus attigerant.

Vagam] Errabundam.

Ratem] Navim: atque ita apud Matthæum admonet Erasmus legendum, ne quis ingens somniet subesse mysterium, quod naviculam dixerit, non navim: ut τὸ πλοῖον, i. e. navigium sive navim scribunt Evangelistæ cæteri; quos Græce scripsisse consensus est omnium. Arbitratur Roterodamus hinc ortum, quod passim jam naviculam appellent Petri, quoties ecclesiam significant. At magis conveniebat, ingentem esse navim, quæ universum hominum genus reciperet, magisque responderet ad typum arcæ, quæ capacissima fuisse describitur. Ad consimilem modum concilium distinguunt a conciliabulo, existimantes conciliabulum esse diminutivum aut compositum, quasi dicas concilium diaboli: cum apud Hieronymum in partem bonam pro concilio positum reperiatur. Adscribam ergo verba Hieronymi ex epistola ad Gerontiam: 'Sit una Eva mater cunctorum viventium, et una Ecclesia parens omnium Christianorum. Sicut illam maledictus Lamech in duas divisit uxores: sic hanc hæretici in plures ecclesias lacerant, quæ juxta Apocalypsim Joannis, synagogæ magis diaboli appellandæ sunt, quam Christi conciliabula.' Recte igitur Erasmus in Scholiis, rogans: Quid, inquit, ad hunc locum dicent, qui conciliabulum, interpretantur diaboli concilium, quasi per contemptum dicatur conciliabulum. Cæterum rates pro navibus onerariis, Lucanus quoque lib. II. usurpavit: 'Cum taciti solvere rates, non anchora voces Movit.' Sunt enim rates proprie, trabes simul connexæ.

30 *Illis*] Scil. ventus.

Obsecundat] Obtemperat, obedit, obsequitur. Plautus etiam indifferenti genere protulit in Truculento: 'Nunc, dum isti lubet, dum habes tempus, ei obsecundes.'

Jussis] Mandato, a jubeo: quod dum est substantivum, quartæ declinationis est in singulari, et generis masculini: in plurali vero secundæ, et neutri. veteres tamen etiam in singulari jussum dixerunt.

Mitis unda sternitur] I. e. aquæ tempestas, mare procellosum Christi imperio statim fit mita et tranquillum. Ait Matth. II. 'Facta est tranquillitas magna.' Marcus eadem verba refert. Lucas autem ait: 'At ille expergefactus increpavit ventum, ac tempestatem aquæ, factaque est tranquillitas.'

Mitis] Placida, quieta, ut opponatur immiti, pro procelloso et inquieto. Maro: 'Mitis, et in morem stagni, placidæque paludis.' Apuleius: 'Erat enim turbidum atque immite pelagus.'

Unda] Undam fluentem, multitudinem vocamus. unde Aulo Gellio mare undabundum dicitur, sc. abunde undas faciens.

Sternitur] Sic Maro: 'Stratum silet æquor.'

40 *Extimum vestis sacratæ*] 'Eunte Christo suscitatum filiam Jairi principis synagogæ, mulier quæ fuerat obnoxia profluvio sanguinis annos duodecim, fueratque multa perpessa a compluribus medicis, et insumserat omnia sua, neque quicquam adjumenti senserat, sed magis in deterius venerat, accessit retro, et tetigit fimbriam vestimenti ejus, et confestim siccatus est fons sanguinis ejus.' Et, ut Marcus scribit cap. v. 'sensit corpore quod sanata esset à flagello.' Meminit hoc signi Matth. cap. IX. item Luc. cap. VIII.

Mulier] Sc. quæ sanguinis profluvio laboraverat. Mulierem a mollicie dictam, Varro interpretatur. ob hoc, ait Aristoteles in Problematis, interfecisse mulierem iniquius esse quam virum: quia fœmina imbecillior est, quamvis mas ea præstantior sit. Diximus in enarratione Reuchlinianorum progymnasmatum, ex Jurisconsultorum placito, mulieris appellatione et virginem viripotentem contineri.

Attigit] Dixerat enim intra se: 'Si tantum tetigero vestimentum illius, salva ero.' Scribit Themistius lib. III. paraphraseos in librum Aristotelicum de anima: 'Solo tactu posse vitam constare, cæteros sensus non ad essentiam, sed ad ornatum fere et meliorem notam essentiæ inditos. Quamobrem sublatis reliquis sensibus, auferetur ornatus et opulentia, sed stabit animal: sublato tactu, ipsam necesse est animalis constitutionem et essentiam tolli.' Hinc scita est illa Lucretiana exclamatio ad Deos, qui tactum rem nobis preciosissimam condonarunt certissimam: 'Tactus enim, tactus, pro Divum numina sancta, Corporis est sensus.'

Furtim] Libere nanque et aperte ad Christum non accessit, erubescens propter ægrotationis genus, quod secundum legem judicabatur immundum. Nam si menstruorum tempore immundæ putabantur, multo magis quæ non natura, sed præter naturam fluxum sanguinis patiebatur, immundam se non immerito æstimabat. Nondum etiam ipsa recte de Christo sentiebat, ac ideo arbitrata est, se facile Christum posse celare. Prima vero, Chrysostomo autore, hæc mulier publice accedere ausa est, quoniam fœminas quoque Christum curare jam audivit. Et quoniam ad filiolam principis synagogæ proficisci conspiciebat, et ad domum quidem suam, quamvis opulenta esset, nihilominus non est ausa vocare: nec aperte accessit, sed oc-

culte, cum fide vestem ipsius tetigit. Cum fide, quoniam non dixit: Liberaborne ab hac ægritudine si vestem ipsius tetigero, an non? Sed non dubitans sanitatem se ab hujusmodi tactu consecuturam, accessit furtim, i. e. latenter, occulte, ut apud Maronem Æneid. III. 'Infelix Priamus furtim mandarat alendum Threjicio regi.

Extimum] Fimbriam, extremitatem, marginem. Elegantes scriptores, ait Pius, extimum pro extrario dicunt, citimum pro citeriore. super hoc Lucretii versu: 'Quamvis vis extima multos Pellat.'

Vestis] Appellatione vestis continentur omnia lanea, linea, serica, bombycina: quæ induendi, præcingendi, ligandi, amiciendi, insternendi, accubandique causa apparata sunt: institæ, picturæ, clavique qui vestibus insuuntur. Item vestis est barba: inde investes sine barba, dixit Servius.

41 *Protinus*] I. e. statim, et a tempore illo, ut dicit Evangelista.

Salus] Incolumitas, quam ipsa mulier, ut ex Luca ante relatum est, corpore sensit.

Secuta est] Scil. ut tetigit fimbriam: et hoc propter fidem, quacum Christum accessit, qui et mulieri ait: Confide, filia, fides tua salvam te fecit. Ne putes sanatam solum efficacia tactus vestimenti: sed virtute Christi, Marco referente: 'Statim ut tetigit mulier vestimentum, Jesus in semetipso agnoscens virtutem ex sese prodiisse, conversus in turba aiebat: Quis tetigit vestimenta mea?' et subdit: 'Mulier vero timens et tremens, sciens quod factum esset in se, venit et accidit ei, dixitque ei: Filia, fides tua te servavit, vade cum pace, et esto sana a flagello tuo.'

Pallor] Vel propter destitutionem sanguinis. Est enim ægrotatio illa exanguis: vel ex metu et tremore, qui ex Christi interrogatione ei incussus est. Timentes quoque pallescunt ex eo, quod calor in metu perfugit in ima, et sanguis contrahitur ad cor, ita ut cæteris partibus deficit. Autor Aristoteles in Problematis.

Deserit] Dimittit.

Ora] I. e. faciem, ut sit a parte denominatio totius. proprie tamen os est concinnitas capitis in qua et lingua et dentes sunt.

42 *Rivus*] Ulpianus inquit: 'Rivus est locus depressus per longitudinem, quo aqua decurrit: inde rivalis, amoris æmulus dictus, qui scilicet cum altero ad eundem amoris rivum, h. e. ad eandem amicam non sine æmulatione contendit: sicut tauri dum ad eundem rivum aquantur, concertare solent.' Æmulatio illa quæ est inter amasios, rivalitas vocatur, ut dixi in Scholiis quæ scripsi in Erasmicum hymnum, divæ Annæ dictum.

Sistitur] Deficit. Alia significatione verbum notum est Jurisconsultis.

Fluebat] Currebat.

Perpeti] Scribe *perpeti*, ut editio habet Aldina: et non *perpetim*, ut est in libris Daventriæ excusis. Nam aptior est sermo per ablativum adjectivum, quod ordinatur cum substantivo cruore, quam per adverbium. et ita eruditiores censent legendum in hymno Iambico, cujus initium est: 'Veni, creator spiritus.' Item et in hymno ejusdem legis, qui Ambrosii esse putatur, cujus initium est: 'Veni, redemptor gentium.' in quo inseruntur hæc duo carmina integra: 'Infirma nostri corporis Virtute firmans perpeti.'

Perpeti] Perpetuo, atque ita contra naturam profluviorum, quæ mulieres quocunque mense infestant: unde menstrua dicta.

Cruore] Sanguine.

43 *Exitu dulcis*] Cum Christus appropinquaret portæ civitatis Nain, quæ distat a monte Tabor contra meridiem, duobus millib. passuum, Eu-

sebio et Hieronymo autoribus: 'Ecce,' inquit sacer Lucas, cap. VII. 'efferebatur filius unicus matri suæ, et hæc vidua erat. Quam cum vidisset Dominus, misericordia motus super eam, dixit: Noli flere. Et accessit, tetigitque loculum, et ait: Adolescens, tibi dico, surge. et resedit qui mortuus erat, et cœpit loqui; et dedit illum matri suæ.'

Ephebum] Spacium inter puerilitatem et pubertatem, vocant ephebiam. Quintilianus appellat lubricum ætatis: quia illa ætas facile labitur in vitium. Qui sint ephebi, qui exephebi, docet Censorinus.

Raptum] Rapi proprie dicuntur juvenes, quorum funera sunt immatura Scatent hujus verbi innumera apud autores exempla.

Exitu] Morte.

Dulcis juventæ] Ætatis juvenilis. Maro: 'Si mihi, quæ quondam fuerat, quaque improbus iste Exultat fidens, si nunc foret illa juventa.' Sunt qui decem hebdomadis vitam humanam constare dicant. in prima hebdomada dentes homini cadere, in secunda pubem apparere, in tertia barbam nasci, in quarta vires, in quinta maturitatem ad stirpem relinquendam, in sexta cupiditatibus tentari, in septima prudentiam linguamque consummari, in octava nonaque eadem manere, in decima hominem fieri morti maturum. Quæ sit hebdomas, Censorinus demonstrat in libro de die natali. Cæterum de gradibus ac numero ætatis humanæ non omnes idem sentiunt. Varro quinque gradus æquabiliter putat esse divisos, unumquemque scilicet præter extremum in annos 15. Hippocrates medicus in septem gradus ætatum distribuit finem vitæ uniuscujusque. Solon autem Philosophus partes fecit decem. Staseas Peripateticus duos ad hos Solonis addidit. Et ne cuncta recenseam, secundum Camertem, lege hæc copiose apud Censorinum cap. XII. de Die natali, apud Augustinum cap. XXIII. de Genesi: et cap. ult. lib. XXII. de Civ. Dei.

44 *Orba mater*] Privata filio. Orbus proprie dicitur, qui orbem, id est circulum et lumen oculorum amisit. quasi orbibus amissis. hinc per metaphoram orbi dicti, quicunque aliqua re chara privati sunt, ut parentes liberis quasi oculis privati. Inde orbo, as, verbum: quod est privo: et orbitas sive orbitudo, qualitas illa patrum post amissos liberos. ut hic. Interdum tamen orbus e contrario pro eo qui parentes amiserit accipitur, quem Græci ὀρφανὸν, orphanum dicunt. Terentius: 'Orbo qui proximi sunt, uxorem ducant.' hinc orbitas, pro orphanitas sumitur, quam Græci ὀρφανίαν nominant. Cicero: 'Deploravit enim causam atque orbitatem senatus.' Memoriæ proditum est, adeo crevisse avariciam, ut patri unicus filius videretur molestus: quia scilicet per eum privabatur muneribus, quæ dabantur orbis a captatoribus: quod Satyricus notat: 'Tollere dulcem Cogitur hæredem, cariturus turture magno, Mullorumque jubis, et captatore macello.' Legimus apud Suetonium, Tiberium Cæsarem Lepidam feminam generosissimam condemnasse, in gratiam Quirini consularis prædivitis et orbi. et Marcellinus scribit, 'orbos et cœlibes a captatoribus cultos.'

Funerabat] Et subintelligenda est copula.

Supremis fletibus] Maximis lachrymis, quibus solent fœminæ, dum funus effertur, largissime ora rigare. Diffleti inde oculi dicti sunt, nimio fletu exhausti.

45 *Surgit*] Reviviscit, quoniam obierat: contra impius, quorum traditio erat, neminem ex iis qui obierant reviviscere, et resurgere: nos vero luminaria fidei secuti, credimus nedum singularem possibilem esse resurrectionem, sed et generalem fu-

correpta Reduco profertur ferme ab omnibus, sed Lucretius in primo produxit.

Intrat] Ingreditur.

Rursus] Iterum. interdum tamen sine iteratione accipitur, ut docet Servius super hoc poëtæ in Æn. III. carmine: 'Rursum in secessu longo.'

Fœtidum jecur] Ad Marthæ verba allusit, quæ Christo dicit: 'Domine, jam olet, quadriduanus est enim.' ut pro fœtet Erasmus vertit, olet: quod verecundius est quam fœtet. Galenus et medicorum fere universa schola, jecur esse præcipuum sanguinis organum statuunt, et venarum principium. A jecore jecorosi, qui morbo laborant epatario.

49 *Ambulat per stagna ponti*] Cum jussu Christi discipuli, ut præcederent se in ripam ulteriorem, navim conscendissent, jamque illa in medio maris affictaretur ab undis: 'Dominus quarta noctis vigilia ad eos veniens super fluctus, cœpit illos turbatos consolari dicens: Bono animo este. Ego sum, ne terreamini: arbitrabantur enim ipsum super mare ambulantem phantasma esse, h. e. spectrum.' Reliqua pete ex cap. XIV. Evangelii secundum Matthæum.

Ambulat] It. scilicet Christus. Cato in Re rustica ambulare naves dixit. Vegetius pro exercere dixit: 'In mense tam equites quam pedites educantur ambulatum. Hoc enim verbo, hoc exercitii genus nominant. Ambulatio locum significat ad spaciandum constructum, qui Juliano Jureconsulto tradente arboribus infœcundis fere vestiebatur: et dictæ sunt ambulationes, quasi circuitiones. Modum construendarum docet Vitruvius lib. VI.

Stagna ponti] Per aquas maris stagnantes. Dicimus enim stagnare aquam, cum non effluit, neque sorbetur. Pontus mare dicitur, inserta una litera, quasi πόνος, i. e. labor: quod scil. laboribus sit plenum, vel quod pontem non admittat.

Calcat] Premit pedibus. Refertur nonnunquam ad animum.

Summa] Summitatem, altitudinem. Summa fœminino genere substantivum dicitur collectio rei multiplicis aut numerosæ in unum principium velut caput, quo reliqua omnia continentur. Corn. Tacit. 'Flaccus summam rerum ei permisit.' Sic et pecuniæ aut rationum sũmmas dicimus, h. e. numerum collectum. Juven. 'Majorem tertius illo Summam, quam patulæ vix cœperat angulus arcæ.'

Fluctuum] Aquarum, tempestate maris in unum collectarum. Nam ut ex sacro historiographo retuli, navis affictabatur ab undis, quæ fluctus sunt, etenim ventus erat adversus, uti subdit.

50 *Mobilis liquor profundi*] I. e. maris: vel ab imo vadorum fastigio, vel a summo. nam et 'æquor altum' dicitur, et 'profundum sublime.' Virgilius Æn. I. 'Maria ac terras, cœlumque profundum.' Signate autem aquam maris mobilem vocat, quoniam mare etiamsi tranquillum placidumve dicitur, nunquam stat, sed leviter commovetur. quod et Seneca de aëre lib. VI. Quæst. Natural. judicandum putat.

Liquor] Aqua: sic apud Lucret. 'Adde etiam qui conduplicant primordia rerum, Aëra jungentes igni, terramque liquori.' Liquor verbum, quod est resolvor, producte prima syllaba dicitur: contra nomen, correpte.

Præstat] Tribuit, exhibuit. Verbi hujus ut varia constructio est, ita quoque significatio ejus late patet. Adverbium vero Præsto, quod fere non cum alio verbo jungitur quam cum Sum et Forem, et apud Poëtas cum Adsum, significatque præsto esse et præsto fore, præsentem paratumve esse, atque futurum. Cicero:

'Quibus quidem omissis, tu etiam Bruto præsto fuisti.'

Pendulam viam] Solidam, quæ sc. sustentet, ut solum atque continens est. *Pendulum* a pendeo deducitur, quod per metaphoram pro sustentari accipitur. Ovid. 'Pendet et a vestra nostra salute salus.'

Viam] Iter, ut pro eodem viagium Apuleius usurpavit, sicut viantes pro viatoribus quin et viare verbo Ambrosius usus est. Viaticum, itineris gratia in abitione paratum, Græce ἐφοδον. unde viaticari apud Plautum in Menechmis, viaticum petere. Ex placito Jureconsultorum, qui vocabulorum sibi vim jure quodam suo præ cæteris vindicant, in Commentariis nostris quos scripsimus in Capnionis progymnasmata, diximus quid sit via, iter.

51 *Fatiscit*] Fatiscere est aperire, ut scribit Nonius. Fatim vero abundanter dicimus, unde et affatim. Hiscere autem, aperire. Quandoque tamen significat idem quod deficere. ut apud Lucr. lib. II. 'Temporis incusat nomen, sectumque fatiscens.' Et apud Colum. lib. VIII. 'Celerrime fatiscit, quæ plures educet.'

Pressa] Calcata: a premo participium ut nomen est adjectivum, pro diligenti atque vigilanti accipitur. ut a Secundo in Epistolis, pressa contatio: pro diligenti mora. et Apuleio pressior cautela, pro vigilantiore dicta est. Sic pressiores cogitationes, i. e. intentiores: et pressum pro attenuato usurpatur. Idem Plin. 'Pressus sermo et purus ex epistolis petitur.'

Sanctis vestigiis] Sanctum non dicitur solum purum et impollutum, verumetiam venerandum, ut hoc loco, et inviolatum. Porro, Trebatio autore in libr. Religionum, ut refert Macrob. Sat. III. 3. 'Interdum idem quod sacrum, idemque quod religiosum: interdum aliud, h. e. nec sacrum nec religiosum est.' Quod ad secundam speciem pertinet: 'Sancta ad vos anima, atque istius inscia culpæ Descendam.' non enim sacro aut religioso ejus anima tenebatur, quam sanctam, h. e. incorruptam voluit ostendere. ut illo quoque: 'Tuque, o sanctissima conjunx, Felix morte tua.' in quo castitatis honorem incorruptæ uxoris amplexus est. unde et sanctæ leges, quæ non debeant pœnæ sanctione corrumpi. Eodem modo sanctius ærarium ab antiquis dictum est. quod prorsus intactum erat, ex quo nihil promi licebat ad annuas necessitates. Livius lib. VII. secundi belli Punici: 'Cætera expedientibus quæ ad bellum opus erant consulibus, aurum vicesimarium, quod in sanctiore ærario ad ultimos casus servabatur, promi placuit.' Cicero in Verrem act. 5. 'Primum mihi literas, quas in ærario sanctiore conditas habent, proferunt:' de Syracusanis loquens. Et ad Attic. lib. VII. 'Attulit mandata ad Consules, ut Romam venirent, pecuniam de sanctiore ærario proferrent.' Sic sanctius sacrarium. Quintil. lib. II. 'Illic fundamenta sunt, illic opes velut sanctiore quodam sacrario reconditæ.' Lucret. in V. sanctius pro exploratius posuisse videtur: sancire enim, discernere est. Quod autem ad priorem speciei diffinitionem de sancto attinet, i. e. non ut aliud sit quam sacrum, aut religiosum: 'Ecce levis summo de vertice visus Iuli Fundere lumen apex.' Et paulo post: 'Nos pavidi trepidare metu, crinemque flagrantem Excutere, et sanctos restinguere fontibus igneis.' Hic enim sanctos perinde ac sacros accipiemus, quia divinitus contigerunt. Item: 'Tuque, o sanctissima vates, Præscia venturi.' non aliud nisi sacram vocat, quam videbat et vatem, et Deo plenam, et sacerdotem. Vestigium nemo est qui ignorat signum esse quod a pede relinquitur, et metaphoricos poni pro quocunque rei gestæ indicio.

52 *Suetus antro bustuali*] Salvator, ut ad regionem Gadarenorum, vel (ut Matthæus) Gergesenorum applicuit, statim occurrit ei homo spiritui obnoxius immundo qui domicilium habebat in monumentis. At Matthæus cap. VIII. duos fuisse tradit. Marc. vero cap. V. et Luc. cap. VIII. unum tantum fuisse scribunt, quos Prudentius sequitur, dicens:

Suetus] Consuetus: Lucret. in I. 'Et semina rerum Appellare suemus:' pro consuemus, h. e. consuevimus. Dividunt subinde vocales poëtæ, et quæ coire deberent, separantur: quod ibi ab interprete annotatum est. Plautus consuetionem pro consuetudine usurpavit.

Frendere sub cathenis] Donec illæ essent discerptæ. Quoniam, ut Marcus refert, neque cathenis quisquam poterat eum ligare. Propterea quod, quum sæpe compedibus et cathenis vinctus fuisset, discerptæ essent ab illo, et compedes comminutæ.

Frendere] Fremere et frendere, Nonius inquit, hoc disseparantur, quod est fremere magnum sonare, frendere alicubi cum gemitu vel iracundia miserum aut minax sonare: ut hoc loco, et apud poëtam Æn. lib. III. Festo autem frendere significat frangere: unde fabam fressam dicimus, mola leviter fractam.

Sub cathenis] Catena notum est instrumentum ferreum, dictum quod sese capiendo teneat. a quo cathenula diminutivum, et catheno verbum, et concatheno, et cathenatim adverbium.

Bustuali antro] Sepulchrali specu, in quo cadavera mortuorum condebantur. Bustum, quasi bene ustum dicitur. Antiquitus enim cadavera comburebantur. Suetonius bustum pro sepulchro posuit ut hic bustuali, pro sepulchrali usurpatum videatur a Prudentio. A busto, bustuarii gladiatores, qui ante busta depugnant: et meretrices bustuariæ, quæ prostabant ad busta, de quibus Epigrammatista non tacuit. Nisi libeat cum Pio eruditissimo appellare bustuarias, quod valde urunt, h. e. stringunt rem amatorum.

Antro] Origo dictionis Græca est. Ambrosius dictum putat antrum, quod atro inhorrescat situ, atque obfuscatione tenebrarum. 'Antra' autem, ut Festus ait, 'sunt convalles, vel arborum intervalla.' Latine autem antrum specus est, atque caverna.

53 *Mentis inops*] Mente, h. e. ratione vacuus. Inops, qui sine ope est: egens vero, quasi exgens, cui ne gens quidem sit reliqua. Unde egestas majus est quam inopia; nam hæc impotentiam, illa necessariorum penuriam significat, ut Lucretius ait lib. I. ubi de anima agit inquiens: 'Nec me animi fallit, Graiorum obscura reperta Difficile illustrare Latinis versibus: esse Multa novis verbis, præsertim cum sit agendum Propter egestatem linguæ et morum novitatem.' T. Lucretius autem præcepta sapientiæ versibus complexus, amatorio poculo in furorem versus, cum aliquot libros, quos postea Cicero emendavit, per intervalla insaniæ conscripsisset, propria se manu confecit, anno ætatis XLIII. Cneo Pompeio et M. Licinio Crasso Coss. qua die Virgilius poëta sumpsit virilem togam. Ejus lectionem probat Quintilianus, sed non ut corpus eloquentiæ faciat: Vitruvius vim verborum laudat.

Mentis] Intelligentiæ. nam anima in furiosis manet, mente extincta; et ideo non exanimes, sed dementes vocantur. Mens ergo, i. e. intelligentia, quæ vel augetur, vel minuitur pro ætate, ut late Lactantius disserit adversus Lucretium, dicentem animam esse temporariam atque mortalem, quod cum corpore augetur ac minuitur. quod pii negant assertores immortalitatis.

Percitus efferatis furoribus] Hoc est

quod Marcus dicit: 'Neque quisquam valuisset eum domare, et semper die ac nocte in montibus et monumentis erat, clamans et concidens seipsum lapidibus.'

Percitus] Commotus, concitatus, provocatus.

Efferatis] Instar feræ crudelibus, immanibus, asperrimis. Papinius lib. Achilleidos: 'Flammisque liquescunt Dona deum, raptum superis Mars efferat aurum.' hoc est, asperum facit. Quod ante pacatum in templo videbatur, asperatur in armis, ut ait Maturantius.

Furoribus] Neque simplex furor est, ut Plato disputat. alter enim vitiato corpore fit a morbo, quem medici Phrenesim vocant: alter animo divinitus abstracto quem rursus in alia quatuor genera distribuit. Celsus lib. III. insaniam Latine appellari dicit, quam Græci phrenesim vocant: et phreneticorum, i. e. insanorum tria genera facit. Cicero autem in lib. III. Tuscul. de furore et insania loquens: 'Eos enim,' inquit, 'sanos intelligi necesse est, quorum mens motu quasi morbo perturbata nullo sit: qui contra affecti sunt, hos insanos appellari necesse est.' Et paulo post: 'Græci autem maniam unde appellent, non facile dixerim: eam tamen ita distinguimus nos melius quam illi. Hanc enim insaniam quæ juncta stulticiæ patet latius, a furore distinguimus. Græci volunt illi quidem, sed parum valent verbo. Quem nos furorem, melancholiam ipsi vocant: quasi vero atra bili solum mens, ac non sæpe vel iracundia graviore, vel timore vel dolore moveatur. Quo genere Athamantem, Alcmæonem, Ajacem, Orestem furere dicimus. Qui ita sit affectus, eum dominum esse rerum suarum vetant XII. tabulæ. Itaque non est scriptum, Si insanus, sed Si furiosus esse incipit. Stulticiam enim censuerunt, id est inconstantiam sanitate vacantem: posse tamen tueri mediocritatem officiorum, et vitæ communem cultum atque usitatum. Furorem autem esse rati sunt, mentis ad omnia cæcitatem. Quod cum majus esse videatur quam insania, tamen ejusmodi est, ut furor in sapientem cadere possit, non possit insania.' Secundum hæc Ciceronis verba: Insania est, quam Græci maniam: furor, quam ipsi melancholiam appellant. Idem alibi philosophice insaniam interpretans, ita inquit: Sanitatem enim animorum positam in tranquillitate quadam constantiaque censebant. His enim rebus mentem vacuam, appellant insaniam, propterea quod in perturbato animo, sicut in corpore, sanitas esse non possit.

54 *Prosilit*] Prorumpit, extra salit: sic Lucanus: 'Nec cinis exiguus tantam compescuit umbram, Prosiluit busto.' Salire etiam dicuntur animalia ratione carentia, quando fœminæ mares ineunt. ab eo fit salior, unde: 'Læta salitur ovis.' et salax salacis nomen, h. e. in coitu fortis et creber.

Ruitque supplex] 'Cum vidisset autem,' inquit Marcus, 'Jesum eminus, cucurrit et adoravit eum. et clamans voce magna, dixit; Quid mihi tecum est, Jesu, fili Dei altissimi? Adjuro te per Deum, ne me torqueas. Præcipiebat enim spiritui immundo ut exiret ab homine.'

Supplex ruit] I. e. procidit in genua, quod est supplicum poplite flexo precantium. A supplice, suppliciter, adverbium notissimum; et supplicue, quo Prisci utebantur, Apuleius lib. XI. Aurei asini; 'Sed tamen Deæ monitu, licet non plene, tamen pro modulo, supplicue gratiis persolutis, tardam satis dompitionem comparo.' Divus Hieronymus affinem locum apud Matthæum explicans; 'Ridicule quidem,' inquit, 'putatur dæmones scire filium Dei, et Diabolum ignorare; eo quod minoris

malitiæ sint isti, quam ille cujus satellites sunt; cum omnis scientia discipulorum ad magistrum referenda sit, et tam dæmones quam Diabolos suspicari magis filium Dei quam nosse intelligendi sunt.' At Jacobus Faber ait; 'Timendum, id est, ne dum dæmonem ostendere nitimur mendacem, a Domino, quæ ei debetur, veritatem auferamus, quod majus piaculum est. Nonne quod est apud Marcum et Lucam, Quia spiritus immundi clamabant, dicentes; Tu es filius Dei altissimi. Ut probem dæmonia esse mendacia, negabo esse filium Dei? minime id feret pietas.'

Ut] Postquam. sic Maro; 'Ut regem æquævum crudeli vulnere vidi.'

Senserat] I. e. perceperat. Est enim sentire proprie aliquo quinque sensuum percipere; velut hic cum eminus vidisset Jesum, ut tradunt Evangelistæ, protinus accurrit et adoravit eum. Transfertur autem plerunque ad omnem cognitionis perceptionem. Sic Juven. inquit; 'Qualem nequeo monstrare et sentio tantum:' i. e. intelligo. Quandoque accipitur ut sit judicare. Persius; 'De Jove quid sentis?' i. e. judicas. Item Plinius junior; 'Cupio enim abs te intelligere quid sentias.' Hinc sententia decretum quoddam atque præceptum, quod de reo, i. e. de judicio quæri potest. Aliter tamen et varie apud oratores accipitur, ut facile ex Cicerone, Seneca, Fabioque colligi potest.

Adesse] Præsentem esse, naturali verbi significatione. nam et favere auxilioque esse significat; scribique debet cum d, ut differat ab asso quod M. Varro dictum putat, quod ab igni assudescit; sudando enim assum distillat calore: quidam assum dici ex eo interpretantur, quod sine pigmento saporis alieni in obsoniis inferebatur. Assum enim solum veteres dixere. unde et assa vox nominatur, ore prolata, non admixtis aliis musicis vocibus. Assas tamen veteribus nutrices dictas legimus, quod adsint iis quos nutriunt, nec ab eis vel exiguo tempore divellantur.

Christum] Dei summi filium, ex hujus ipsius dæmoniaci confessione, quem Christianæ veritatis hostes impie Onochelum appellabant, infando picturæ genere deformantes, asininis auribus, pede altero inungulatum, ac togata specie, cum libro in manibus. addito etiamnum scelestiore titulo, ceu Christianorum is foret Deus, ut Tertullianus in Apologetico meminit cap. XVI. et alicubi a nobis relatum est. Adde, quod et Christi cultores Semissios et Sarmentarios nuncupabant, de mortis genere; quod ad assis dimidii stipites destinati, superjectis accumulatisque sarmenticiis fascibus concremari consuessent.

55 *Pulsa*] Sc. omnipotenti verbo Christi, dicentis; 'Exi, spiritus immunde, ab homine.' Pulsa, i. e. abacta, extrusa. Plaut. 'Pelle animo timorem.'

Pestis milleformis] Legio sc. spirituum malorum. Pestis morbum significat, et in hoc differt a lue, ut tradidit Laurentius, quod lues dicitur, quum in urbe vel in agro febris, aliudve genus morbi sævit, sive homines sive pecora aut sata corripiens; pestis vero, quæ aut cito accidit, aut cito abit ab ægro; quæ et pestilentia dicitur, et pestilitas, ut placet Nonio. Lucret. lib. v. ubi explicat quæ sit causa pestis: 'Atque ea vis omnis morborum, pestilitasque:' et pesestas, ut Festo. Ejusmodi autem morbi non pestiferi et pestilentes solum dicuntur, sed et quicquid saluti adversum est, pestiferum dicitur. Unde pestiferum locum et pestilentem annum appellamus.

Milleformis] Multiformis, definitus numerus pro infinito: quod familiare est, poëtis præsertim.

Lubricorum dæmonum] Immundorum spirituum, secundum Evange-

lium, vel malorum Angelorum, quos olim cælo lapsos non nostra continet sola doctrina, sed etiam Cælio observatum est in literis antiquioribus ab Pherecyde traditum, Ophionemque nuncupatum, hoc est, dæmonicum serpentem, qui antesignanus fuerit agminis ab divinæ mentis placito deficientis. Porro dæmonis nomen in Christiana religione odiosum sane, infestumque est, non ita veteribus, quibus ejusmodi nomenclatura Deus quandoque significatur: pro admirabili et immenso, dæmonium usurpat Græcorum natio. Sed quibusdam quoque, ut Aristoteli, adhæsit dæmonii cognomentum. Lubricum secundum Grammaticos dicitur, quod labitur, dum teneri creditur, ut piscis, serpens: a luendo, i. e. lavando, dictum. Unde et delubra dicuntur, id est, templa: quoniam quæ luta, i. e. madefacta, sunt, lubrica sunt.

56 *Corripit*] Comprehendit. Maro: 'Verum ubi correptum manibus vinclisque tenebis.'

Sordida] Fœtide, olentia grave.

Spurcamina] Excrementa.

Suilli gregis] Qui erat ibi secundum Evangelistas juxta montes, magnus, depascens. et deprecabantur Christum omnes dæmones, dicentes: 'Permitte nobis, ut abeamus in gregem porcorum.' A sue, suinus, inde suillus deducitur. Grex congregationem significat animalium cujuscunque generis, sive majorum sive minorum. Virg. 'De grege non ausim quicquam deponere tecum.' Terent. in Adelph. 'Atque hic hercle de grege illorum est.' Cic. 'In iis bonis gregibus omnes aleatores, omneis impuri impudicique versantur.' Armentum vero congregationem majorum animalium significat. Silius: 'Latos correpta per agros Armenta assueto belli de more vagantur.' Maro: 'Hæc satis armentis, superat pars altera curæ Lanigeros agitare greges.'

57 *Mergit*] Ut in illum permittente Salvatore immundi spiritus ingressi sunt abiit statim, ut Lucæ dicam verbis, impetu per præceps in stagnum, et suffocatus est. Signate vero aquis dixit nigris, quod hoc colore a lacubus stagnisque aquæ distent fluviatiles atque marinæ. Divus Hieronymus, quod ad hunc locum pertinet, in locis Hebraicis sic scribit: 'Gergesa, ubi eos qui a dæmonibus vexabantur, Salvator restituit sanitati, et hodieque super montem viculus demonstratur juxta stagnum Tiberiadis, in quod porci præcipitati sunt.' Quanquam hic ipse locus apud Matthæum Gergesenorum, et apud Marcum Gadarenorum vocatur, et eodem nomine apud Lucam. Unde ex judicio magni Roterodami consequitur, aut Gergessam viculum esse in regione Gadarenorum, aut eandem esse Gergessam et Gadaram.

Pecus] Ut quartæ inflexionis nomen Plautus in Rudente protulit: 'Men' vides referre uvidum rete cum squamoso pecu?' Pecua Solinus dicit, unde pecuinus venit: non a pecude, nec a pecore. Pecuina simpliciter Apuleius de Asino aureo vocat animalia bruta, cujus hæc verba sunt in fidelibus exemplaribus: 'Nec tantum pecuina et ferina, verum inanima etiam divino ejus luminis numinisque nutu vegetari.' Agmina pecorum, pecuaria dicimus. Quodcunque animal humana caret effigie, pecus appellatur.

Fit lymphaticum] I. e. potes et haud absurde aquaticum intelligere; quod terrestre illud animal factum sit inquilinum maris, absorptum ab eo. Aldus pro *Fit*, *Ut* legit, reclamante illo exemplari vetusto Peutingerano. Hoc autem insigni signo multa Christus docuit, ut in eo, in primis quidem liberati a dæmonibus intellexerunt, quantum doloris insidiatores sui dæmones habuerunt, qui credebant, ut inquit Hieronymus, Dominum venisse

ad se judicandos: præsentia Salvatoris, tormenta sunt dæmonum. Deinde et omnes hinc discimus, ne in suos quidem impetum facere dæmones audere, nisi Dominus permittat. Tertio docemur, nisi vel in ipsa calamitate dæmoniaci divina providentia juvarentur, multa pejora sibi, dæmonibus fierent, quam tunc in porcos illata sunt. Nam quod majori homines odio habeant, quam expertes rationis animantes, nullus unquam dubitavit. Quare cum porcis non pepercerunt, sed confestim, cum sibi concessum est, in præcipitia compulerunt. multo magis homines quos incoluissent, in desertum abegissent, nisi divinitus retinerentur. Unde manifestum est, neminem esse qui absque divina gratia vivat. Quod si quis dicet, Et cujus rei gratia a dæmonibus porci interempti sunt? semper in dejectionem animos hominum intrudere dæmones studuerunt, semperque gaudent cæde ac vastitate: quod et princeps eorum diabolus adversus Job fecit, quum sibi Deus petenti concesserit, non sui gratia, verum ut servum suum faceret clariorem, et impudentiam diaboli deprimeret, ac in caput suum cuncta quæ adversus justum excogitarat, converteret. Nam et hic certe oppositum factum est, quam dæmones optavissent, cum et Christi virtus clare prædicaretur, et eorum malitia et duritiea ac impotentia manifestius appareret: ita ut nec in porcos habere potestatem videantur, nisi creator omnium Deus concesserit. Anagogicum si forte requiris sensum, pete ex Chrysostomo homilia in Matth. XXIX. ex qua ad hunc locum facientia, libitum fuit subscribere.

58 *Quinque panibus*] Johannes hordeaceos panes fuisse scribit, non superflue, neque ociose id enarrans: sed deliciarum luxum Apostolorum exemplo calcandum esse instruens, nempe in duodecim hominibus quinque panes et duo pisces reperti sunt. lege Chrysost. Panem autem hordeaceum antiquis usitatum fuisse, proditum est, quem posterorum vita damnavit. Plinius hordeum inter frumenti genera numerat: aitque id ex omni frumento minime calamitosum esse, et frugum omnium mollissimum. Panis autem genus veterib. fuisse non unum, Cælius adnotavit v. 25.

Peresis] Comestis, a peredo: a quo fit peredia, ipsa comessatio: sicut bibesia, ipsa bibitio.

Gemellis piscibus] Pro geminis, h. e. duobus. Sic Maro: 'Sunt geminæ Somni portæ.' Significat item similes. Plaut. in Menech. 'Et sunt nati filii duo gemini.' et Pacuvius: 'Par fortitudo, gemina confidentia.' Et significat natos uno partu, et eodem die. ut apud Plaut. in Amphyt. 'Hodie illa pariet filios geminos duos.' Et apud Virg. 'Geminos huic ubera circum Ludere pendentes pueros,' quos alio nomine gemellos vocant. Idem: 'Modo namque gemellos, Spem gregis, ah silice in nuda connixa reliquit.' Nec de duobus tantum dicimus geminos, sed etiam de pluribus, ut Virg. dixit: 'Tergeminum Geryona.'

59 *Ferte qualis ter quaternis*] Sacer Matth. cap. XIV. 'Cum appetisset,' inquit, 'vespera, adierunt Christum discipuli ipsius dicentes: Desertus est locus, et hora jam præteriit. Dimitte turbas, ut abeant in vicos, et emant sibi cibaria. At Jesus dixit illis: Non est illis necesse ut abeant, date illis vos quod edant. At illi dicunt ei: Non habemus hic, nisi quinque panes et duos pisces. Ille vero dixit: Adferte mihi illos huc: et jussis turbis discumbere super gramina, sumptisque quinque panibus ac duobus piscibus, sublatis in cælum oculis benedixit: et cum fregisset, dedit discipulis panes: discipuli vero turbis, et comederunt omnes et satu-

rati sunt, et sustulerunt quod supererat de fragmentis duodecim cophinos plenos.' hactenus Matth. Hujus item signi meminit Marc. cap. VI. Luc. cap. IX. et Joann. item cap. VI.

Ferte] Juxta verba Christi sic apud Joannem dicentis discipulis suis: 'Colligite quæ superfuerunt fragmenta, ne quid pereat.' Videbitur forsan alicui Christus quadam parsimonia jussisse discipulis, ut fragmenta colligerent. Sed ad hoc opus pusillanimitatis non dico, Cyrillus inquit, Christus, sed nemo aliorum paulo liberior descendisset. Magna igitur factum est dispensatione, et miraculi novitas majorem auditoribus infert stuporem. Tanta enim potestas Christi ex hac re apparuit, ut ex quinque hordeaceis panibus et duobus piscibus non solum ingens multitudo saturata sit, sed etiam duodecim corbium fragmenta superfuerint, quamvis suspicionem quoque illam fragmentorum copia depulerit: non enim falso neque per phantasmata quinque panibus impleti ita multi videntur, quum tot superfuisse, et qui comederunt videbant, et qui ministrabant colligendo et portando senserunt. Sed maximum atque utilissimum illud est. Liberalitas enim nobis hoc miraculo commendatur et quasi magna voce dicitur: Quanto plura dabis liberaliter atque misericorditer, tanto tibi plura largius confluent: fac igitur libenter quod scribitur, 'Frange esurienti panem tuum.' Nam et discipulos videmus tardiores in hac re a principio fuisse, quibus sic affectis, copiosissimam fragmentorum multitudinem Salvator largitus est. Ita docemur, propter minima, quæ ad gloriam Dei consumimus, ditissimam nobis a Christo gratiam esse præparatam. Non simus ergo tardi ad suscipiendos fratres ex charitate, sed prompti ac liberales, omni propter spem ac fidem abjecta formidine. Nam si firmiter credemus multiplicata hæc fuisse divinitus, facile, ut jubemur, viscera misericordiæ indigentibus aperiemus. Quando enim misericors eris, si tenax in hac vita fueris? Quando præceptum hoc complecteris, occasionem faciendi quotidie prætermittens? Recordare Psalmi: 'Quia non est in morte qui memor sit tui, in inferno autem quis confitebitur tibi?' Quis enim erit fructus post mortem? aut quomodo Dei quispiam recordabitur, vel quomodo præcepta faciat qui descendit ad Inferos? Conclusit enim Deus in eo ut scribitur. Idcirco et Paulus docet Galat. VI. dicens: 'Donec tempus habemus, operemur bonum.' Hanc nobis historia ipsa parit utilitatem. Hæc Cyrillus.

Ferte] Tollite, h. e. colligite. Sic Lucret. V. 'Tollebant nitido capti lævique lepore.' Proprie est ferre, portare. Virg. 'Vix illum famuli Phlegeus Sagarisque ferebant.' Quamvis Caius Jurisconsultus ferri proprie dicat, quæ nostro corpore gestamus: portari ea, quæ jumento nobiscum ducimus: agi, quæ animalia sunt. Alias ferre multa significat. nam pro ostentare, dare, conserere, offerre, dicere, pati, habere, ducere, disturbare, extollere, accipitur: ut multis auctoritatibus comprobat Pylades in vocabulario suo.

Fragmina] Fragmenta: Lucret. lib. jam citato, ubi docet quo pacto ferri natura reperta sit: 'Arma antiqua manus, ungues dentesque fuerunt, Et lapides, et item sylvarum fragmina rami.' appositive dicens ramos, fragmenta sylvarum.

Ferculorum] Prisciano teste, ferculum a ferendo dicitur, per quod vas ipsum epularum proprie intelligitur. Hic vero pro missibus panis et piscium, ut apud Juvenalem jura significat: 'Quis fercula septem Secreto cœnavit avus?'

Qualis] A qualo quasillus, et neutro genere quasillum dicitur, qui

Græce calathus, autore Festo. Inde *calathiscus* per diminutionem quo utitur Catullus in Pelei et Tethidis nuptiis, et in Rustico Politianus. Hic autem pro sporta accipitur, ut apud Matthæum cophinus, qui veteribus mensuræ genus fuit: autor est Julius Pollux.

Ter quaternis] Duodecim. Quoniam omnia plena mysteriis sunt, per quinque panes hordeaceos Cyrillus, cui Hieronymus subscribit, putat significari Mosaicos libros, quod tota lex in illis contenta, liberalem ac historicum cibum, atque ideo duriorem et quasi hordeaceum adfert. Per pisces vero duos, Apostolorum Evangelistarumque scripta significari dicit, quibus delicatiora hominibus alimenta deferuntur. Quod autem unusquisque jussu Christi cophinum fragmentorum plenum reportaverit, hoc ipsum ad præsules sanctarum ecclesiarum successione transisse non dubita, inquit idem beatus pater.

60 *Jam referta sunt*] Saturata, impleta. Quod si legis, ut habet editio Daventriana, *refecta*: i. e. cibata: nanque corporis nostri refectio est cibus, potus, lavacrum, aliaque hoc genus fomenta. quanquam reficere proprie est jam, aliquo vitio collapsum in pristinum restituere: etiamsi Jurisconsultis latior sit usus hujus verbi. Mihi vero prior lectio, juxta editionem Aldinam, exemplarque illud vetustum et admodum fidele, probior videtur, vim verborum Saturati atque Impleti, quibus usi sunt Evangelistæ, magis exprimens. *Referta*, a refercio verbo, composito ex re et farcio, quod est saturo, impleo.

Affatim] Abundanter, admodum. Hieronymus ad Heliodorum: 'Affatim dives est, qui cum Christo pauper est.' Adverbium hoc junctum genitivo interdum, ut apud Livium, legimus: 'Habetis affatim lignorum.' et apud Plautum in Cistellaria: 'Aliorum est affatim qui faciant.' Columella 'affatim paleas.' dixit et plerumque eo dicendi genere usus est Annianus, referente Gell. VII. 7. qui putat prima acuta pronunciandum.

Millia agmina] Maximam turbam. nam qui comederant, fuere viri ferme quinquies mille, præter mulieres ac pueros, qui numero indigni sunt. Unde et in Numer. lib. quoties sacerdotes atque Levitæ et exercitus vel turbæ pugnantium describuntur, servi et mulieres, parvuli et vulgus ignobile, absque numero prætermittuntur, ut ait Hieronymus.

Millia] Hujus vocabuli singulare est mille. Quadrigarius in Annal. 3. referente Gell. ita scripsit: 'Ibi occiditur mille hominum.' Occiditur, inquit, non occiduntur.

Agmina] Multitudinem. Et non simpliciter omnem, sed quæ est ordinata, ut Servius tradit. Quod autem hic ordinata fuerit, colligimus ex verbis Evangelistarum. Marcus enim ait: 'Et discubuerunt, divisi in viridaria centeni et quinquageni.' Et Christus apud Lucam ait ad discipulos suos: 'Facite illos discumbere in singulo discubitu quinquagenos.'

Accubantum] Epulantium, qui proprie dicuntur in conviviis accubare. Plautus in Asinaria: 'At etiam cubat cucullus.' Aldus legit *accumbentum*. quod etsi nihil immutet sensum: at ipse tamen Daventrianam hic editionem, quæ *accubantum* habet, secutus sum maxime, aspirante exemplari Peutingeri. Præterea carminis ratione, magis huic Trochæus loco quam Spondæus convenit.

61 *Tu cibus panisque noster*] Perquam scita et oppido huic loco concinna apostrophe, Prudentius Jesum Christum, summi Dei Filium, confitetur esse panem illum vivum, qui de cælo descendit: de quo ipse apud Joannem cap. jam citato. Et subdens huic, quod ait, affine: 'Amen, amen, dico vobis, nisi ederitis carnem Filii Hominis, et biberitis ejus

sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Qui edit meam carnem, et bibit meum sanguinem, habet vitam æternam. Caro enim mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus.' et novissime: 'Hic est panis qui de cælo descendit. Qui ederit hunc panem, vivet in æternum.'

Tu] Scil. Christe, fili Dei altissimi, a quo datus es cibus et panis nobis. quod ex ore tuo didicimus, dicente: 'Non Moses dedit nobis illum panem de cælo, sed Pater meus dat vobis panem de cælo verum.'

Cibus] Appellatur ex Græco, quod illi peram, in qua cibum recondunt, κιβώσιον appellant. Autor Pompeius. Donatus, qui in Terentium eruditissimos scripsit Commentarios, cibum ac victum sic separat: ut cibus sit, qui etiam delicatis præbetur: victus vero, in parvis aridisque alimoniis constitutus.

Panis] Panis proprietatem a pascendo putant veteres existimandam. Varro de vita pop. Rom. lib. 1. Pastillos et panes hoc vocabulo pastus, quod esset pascere, dicebant: a paneque et faciendo panificium cœptum dici. hinc panarium, ubi id servabant: sicut granarium, ubi granum frumenti condebant.

Perennis] Perpetua, quasi omnium annorum, sc. non arescens unquam: sicut 'perennem fluvium' dicimus, qui nunquam siccitatibus exarescit.

Suavitas] Dulcedo: veteribus suavitudo dicta est. Plaut. in Bacch. 'Cor meum, spes mea, mel meum, suavitudo, cibus, gaudium.' Turpilius Leucadia: 'Intercapedine interficior, desiderio differor, tu mihi cupiditas, suavitudo, et mei animi expectatio.'

62 *Nescit esurire*] Non cupit edere. Hinc esuries, quæ et esuritio dicitur, et esurigo. Nescire tamen, proprie ignorare est. Hoc autem interest inter nescire et ignorare: quod si huic verbo Nescit præponatur vox universalis affirmativa, fit propositio particularis negativa. etenim quum dicimus, 'Omnis homo nescit legere,' idem est ac si diceremus, 'Aliquis homo nescit legere.' Si vero præponatur vox universalis negativa, fit oratio universalis affirmativa. nam quum dicimus, 'Nullus homo nescit Deum esse;' idem est ac si diceremus, 'Omnis homo scit Deum esse;' quod si post verbum Nescit, ponatur vox particularis affirmativa, fit propositio universalis negativa; ut si dicamus: 'Nescit aliquis diem mortis suæ.' E contrario vero, si huic verbo Ignorat, vox universalis affirmativa, fit universalis negativa, idem est enim, 'Omnis homo ignorat diem mortis suæ.' et, 'Nullus homo scit diem mortis suæ.' Si vero præponatur vox universalis negativa, fit propositio universalis affirmativa, idem nanque est, 'Nullus homo ignorat se mortalem esse.' Si autem post Ignorat, ponatur vox particularis affirmativa, fit propositio particularis negativa. etenim si dicamus: 'Ignorat aliquis diem mortis suæ.'

In ævum] Æternitatem. Dictum ævum ab æternitate omnium annorum, hinc æviternum, et per syncopen, æternum. Censorinus inquit: 'Cæterum de ævo, quod est tempus unum et maximum, non multum est quod in præsentia dicatur. Est enim immensum, sine origine, sine fine, quod eodem modo semper fuit, semper futurum est, neque ad quenquam hominum magis quam ad alterum pertinet. Hoc in tria dividitur: præteritum, præsens, futurum. Ævum neque annorum neque seculorum numero, nec denique ullo definito temporis modulo metiri conabor.' Secundum vero Hammonium, παρὰ τὸ αἰὼν deductum videri potest, quod quinque significat, vitam hominis, mille annorum numerum, æternitatem autore Gregorio Nazianzeno, et septem secula a principio mundi, us-

que ad resurrectionem mortalium: et tergoris medullam, tradente Hippocrate.

Qui sumit tuam dapem] H. e. quicunque tuo vescitur cibo. Hippocrates scribit in lib. De flatibus, triplici alimento corpora nutriri, cibo, potu, et spiritu, qui adeo corpori necessarius est, ut possit homo sine esca et potione multos dies vivere, sine spiritu vero intra tempesculum moriatur.

Sumit] I. e. accipit. Sumere nanque (autore Marcello) accipere est et tollere: item laudare, mirari, suscipere quoque, et interdum eligere. Exempla apud eum leges probatissimorum autorum, Lucilii, Plauti, Ciceronis, Sallustii, Maronis.

Dapem] In unitatis numero casum nominandi protulit. Cato in Re Rust. 'Si daps profanata fuerit:' pro epulo quod Diis offeretur. Porro dapes dicimus largiores et opiparos apparatus. Martial. 'Illa quidem lauta est, dapibusque instructa superbis.' Virg. 'Nam simul expletus dapibus, vinoque sepultus.'

68 *Implet*] Satiat. Construitur cum genitivo et ablativo. Maro: 'Implentur veteris Bacchi, pinguisque ferinæ.' Plaut. 'Implevitque mero pateram.'

Lacunam] I. e. fossam; h. e. voracitatem et ingluviem: ut notet gulonum helluationem et voratrinam. Maro: 'Et totæ solidam in glaciem vertere lacunæ.' Potest hic etiam pro receptaculo eduliorum accipi, quod profundum est gulosis, capacissimumque.

Ventris] Venter infra pectus est parte priore, cujusque radix umbilicus est; cui radici pars subjecta in latus utrunque, ilia dicitur. Autor Aristot. I. 13. de Nat. Anim. Plura significat venter, ut Galeottus lib. I. De Homine adnotavit. Ventres autem dici gulosos, etiam illo Luciliano versu liquet; 'Vivite phagones, comedones, vivite ventres.' Pontan. in lib. De Immanitate, Vitellium principem jure putat immanem ventrem dicendum, quod intempestivæ ac sordidæ fuerit gulæ. ut apud Tranquillum legimus, et nos in tumultuariis Scholiis nostris indicavimus, titulo, De Immanitate, quæ versatur circa pastum ac cœnas.

Sed fovet vitalia] H. e. animam confirmat, et in vitam æternam provehit. Ad hunc cibum operandum nos Salvator hortatur apud Joannem: 'Operemini non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam æternam;' h. e. non eum qui lapsus in ventrem, et brevi nos voluptate afficiens, per alvum tandem emissus perit; sed spiritalem cibum, in vitam æternam perducentem, quem largiturum se pollicetur, dicens; Quem filius hominis dabit vobis, hunc enim Pater signavit Deus. ut dicere videatur; Non est mihi difficile permanentem cibum vobis largiri, quo ad æternæ vitæ inauditas delicias deducemini. Nam etsi homo sum ut unus vestrum; unctus tamen a Deo Patre, signatusque sum ad incommutabilem ejus identitatem. Nam et ego in Patre, et Pater in me naturaliter cernimur. Quare quamvis propter vos per ineffabilem dispensationis rationem homo ex muliere factus sum: eam tamen virtutem habeo, qua possim omnia ut Deus efficere, nec ulio modo minor virtus mea quam Patris est. unde si spiritalem cibum ac ad vitam æternam conducentem pater vobis præstare potest, potest etiam similiter et filius; qui quamvis carnem assumpserit, imago tamen incommutabilis ejus est, quæ summa identitas non lineamentis corporis, nec ulia corporali figura, sed substantia, gloria, potestateque regia Deitatis aspicitur. Evangelista autem signari, hic aut pro ungi posuit (signabatur enim qui ungebatur) aut

naturaliter ad formam patris se esse formatum, signationis nomine denotavit. Autor est Cyrillus, interprete Trapezuntio. At Erasmus hic *consignatum* legit, pro confirmatum; ut signaculum a Paulo pro confirmatione positum est cap. IX. prioris ad Corinth. Quemadmodum vulgatis proverbiis quod vehementer certum et indubitatum intelligi volumus, id dicimus obsignatis literis testatum.

Fovet] Marcellus; Fovere est nutrire, provehere: item aspergere, constituere, et tueri. sed et amplecti; ab avibus sumpta translatione, quæ fovere dicuntur ova, quibus ad excutiendum pullos incubant. Inde focus, fomenta, focillationes, foculi, fomites, i. e. adustæ vites, ut Opilius interpretatur, aut assulæ ex arboribus dum cæduntur excussæ. Fovemus autem, quæ suum robur non habent, et satis per se firma non sunt, ut Servius ait.

64 *Meatus*] I. e. iter, quod secundum philosophum De Anima II. 8. inflexuosum atque anfractuosum factum est, ne lædatur. Traditque internum aërem auribus insitum, placide tranquilleque agitari citra turbam aliquam, aurisque obstrepitum. Lactantius lib. De opificio Dei cap. 8. de aurium opificio: 'Incredibile,' inquit, 'est, quantam pulchritudinem præ se ferat, quod tum pars utraque similitudine ordinata est, tum ut venientes altrinsecus voces facilius colligantur. Nam et forma ipsa mirandam in modum ficta, quod earum foramina voluit esse nuda et inobsepta, quod et minus decorum et minus utile fuisset: quoniam simplicium cavernarum angustias prætervolare vox posset, et spargi, nisi perceptam per cavos sinus, et repercussu retenta foramina ipsa conveherent, illis similia vasculis, quibus impositis solent augustiora vasa compleri. Eas igitur aures (quibus est inditum nomen a vocibus hauriendis, unde Virgilius, 'Vocemque his auribus hausi:' quia vocem ipsam Græci αὐδὴν vocant ab auditu, per immutationem literæ, aures velut audes sunt nominatæ) noluit Deus artifex mollibus pelliculis informare, ne pulchritudinem demerent pendulæ atque flaccentes: neque duris ac solidis ossibus, ne ad usum inhabiles essent, immobiles ac rigentes: sed quod esset horum medium excogitavit, ut eas chartilago mollior alligaret, et haberent aptam simul et flexibilem firmitatem.' Meatus fit a verbo meo, quod quidem ab Eo verbo deductum existimant.

Clausus] Impeditus. Claudere et clavis ex Græco κλείω καὶ κλεῖς descendit. cujus rei tutelam penes Portumnum esse putabant, qui clavim manu tenere fingebatur, et Deus putabatur esse portarum. Autor est Festus. Claudere est includere, rursus obsistere, item circumvenire. Marcellus exemplis probat. Ulpianus clausas, pro junctis accipit: 'Si modo ita juncti sint, ut omni modo erumpere non possint.'

Nescius] Ignarus. Maro: 'Ne fati nescia Dido Finibus arceret.' Nescium, etiam pro incognito usurpatur, referente Nonio, ut apud Plautum in Rudente: 'Quæ in locis nesciis nescia spe sumus.'

Sonorum] Tradunt Physici, sonum in orbicularem figuram multis gradatim amplificatam circulis ad aures pervenire, non aliter quam in stagno ex jactu lapidis ab alto circuli multiplicantur ad littus. Themistius etiam in lib. Aristot. De Anima, paraphrasi secunda ita scribit: 'At aër, qui primo insonat, non abjungitur sic, ut ad auditum ipse accedat, sed proximum sibi, et continuum aërem commovet, atque hic subinde aliam excitat eo modo, quem in fluctibus cernimus, in quibus alter alterum trudit, et pulsus obiter sequentem impellit.' Superius quibus vox sonusque constare

videtur, de eorum intertitio diximus. Neque enim est animus idem sæpius repetere. solet enim uniformis narratio fastidium generare. Equidem hoc loco adnotandum etiam atque etiam visum est, sonorum alium dici vocem, alium non vocem. Vocem autem finiunt, sonum ex significandi proposito editum. Quamobrem tussis, sibilus et id genus soni plures a vocis definitione abjunguntur. Sonum autem non vocem generari ex collisione corporum inanimorum, vel etiam animorum, habentium tamen se respectu vocis. ut animæ, id generis est sonus qui fit e pedum strepitu. nanque pedes carent instrumentis ad formandam vocem requisitis. Sunt autem hæc necessaria quidem, linguæ, guttur, pulmo.

65 *Purgat*] Amovet.

Quæque obstacula] H. e. quæcunque auditionis impedimenta.

Ad præcepta Christi] Dicentis Epheta. Vox Hebraica est, et (ut Erasmus adnotavit) unum ex eo verborum genere, quæ Hebræi gravia vocant, et quæ vim habet transitivam. quasi dicas: Præsta te apertum, sive fias apertus. Igitur præcepta hic nihil aliud sonant quam verba Christi, quæ et in Marcum commentariorum autor accipit nomine digitorum. Nam digiti, inquit, qui in aures ejus mittuntur, verba spiritus sunt, de quo dicitur: 'Digitus Dei hic est.' et, 'Opera digitorum tuorum sunt cæli.'

66 *Capax*] Aptus, idoneus: alias, quicquid capit continetve, dicitur.

Fruendis vocibus] Hauriendis, vel utendis quandoque. Frui, proprie est, ex re qua utimur delectationem capere. unde fieri potest, ut eadem re unus utatur, alter fruatur: ut si per æstum duo frigida aqua manus laveut, alter ut abluat sordes, alter ut frigiditate illa oblectetur. Habet hoc verbum tria supina: fruitum, unde fruitio fit: (quo verbo Theologi utuntur, voluntque ad Deum tantum referri. 'Res aliæ sunt,' inquit Augustinus de Doctr. Christ. I. 'Quibus fruendum est, aliæ quibus utendum. illæ quibus fruendum est, beatos nos faciunt: frui enim est, amore alicui rei inhærere propter seipsam, utendum est nummo, ut fruamur Deo: sed nunc ordine præpostero multi frui malunt nummo, tanquam Deus propter nummum colendus sit.') Et fretum, unde fit fretus, i. e. confisus: et frutum, unde veteres frutum et frutam dixerunt passive cum sive eam, quibus nos frui contigisset.

Pervius susurris] Pro sonis, non vocibus, hic positum videtur. quamvis susurrus, et neutro genere susurrum, vox dicitur eorum, qui susurrones appellantur, quod voce demissa in aures hominum obstrepunt potius, quam loquantur. quod quidem hominum genus ceu perniciosissimum (ut Hieronymus in Epitaphio Paulæ ad Eustochium scribens ait) insectantur scriptores, ac maledicum et linguax: Constantinus Imperator male audit apud Ammianum, quod nimium patulas susurronib. aures præbuerit. Pervium, quod facile transitur, nemo est qui ignorat.

67 *Ægritudo*] I. e. morbus. Cicero vult, ægritudinem animi esse, ægrotationem corporis: atque ita ab ægro ægrotum separant, ut æger animo, ægrotus corpore dicatur.

Cedit] Abit, recedit. nam, secundum consuetudinem, significat abire, et locum victori dare. Est usus hujus verbi varius, ac oppido elegans, quem Nonius observavit. Adde tu, Jurisconsultis cedere esse, alio habitum migrare. Ulpian. l. Si hominem. § Quoties. ff. depositi. 'Quoties foro cedunt nummularii, solet primo loco ratio haberi depositariorum.' Quem locum perperam Accursius sic explicat: 'Foro cedunt, i. e. litigari nolunt: sed bonis cedunt.' Quasi de foro judiciorum Ulpianus intellexerit. quod longe secus esse ostendit Budæus, principum virorum in literis

judicio Græce Latineque doctissimus, atque unicum totius Galliæ decus et ornamentum. 'Foro,' inquit, 'cedere dicebantur argentarii, cum tabernis, i. e. mensis suis cedentes, quæ in foro Romano erant, alio habitatum migrabant.' Argentarii enim Romæ tabernas in foro publico conductas habebant. Plaut. in Asin. 'Quatriduum hoc unum modo foro operam assiduam dedi, dum reperiam qui quæritet argentum in fœnus.' Terent. in Phorm. 'Sed transi sodes ad forum, atque illud mihi argentum rursus jube rescribi, Phormio:' i. e. per mensæ scripturam reddi. Plaut. in Persa: 'Mirum quin tibi crederem, ut ipse mihi faceres quod partim faciunt argentarii, ubi quid credideris, citius extemplo a foro fugiunt quam ex porta, ludis cum emissus est lepus.' Idem in Curcul. 'In foro infimo boni homines atque dites ambulant, sub veteribus ibi sunt qui dant, quique etiam accipiunt fœnore. Pone ædem Castoris, ibi sunt subito quibus credas male.' In æde autem Castoris quæ in foro erat Romano, solebant pecuniæ mercatorum fœneratorumque deponi. Unde illud Juven. Sat. XIV. 'Quanto capitis discrimine constant Incrementa domus, ærata multus in arca Nummus, et ad vigilem ponendi Castora nummi.' quem morem Venetiis hodie quoque servari aiunt. Herodianus libro primo, in templo Pacis divites pecunias suas deponere solitos esse ait: indeque crebra in jure mentio pecuniarum in æde sacra deponendarum. De hujusmodi tabernis intellexit idem Ulpianus in l. 'Qui tabernas argentarias.' Inf. de contrahenda emptione. Quo in loco Accursius nihil prorsus intellexit. Id autem ex Vitruvio lib. v. intelligi potest, ubi de foris ædificandis loquitur: 'Italiæ vero urbibus,' inquit, 'non eadem ratione est faciendum, ideo quod a majoribus consuetudo tradita est, gladiatoria munera in foro dari. Igitur circum spectacula spaciosiora intercolumnia distribuantur, circaque in porticibus argentariæ tabernæ, menianaque in superioribus coaxationibus collocentur, quæ ad usum et vectigalia publica recte erunt disposita.' Inde 'circumforaneum æs' Ciceroni pro fœneraticio. Sic enim inquit ad Atticum: 'Tusculanum et Pompeianum me valde delectant, nisi quod meipsum illum vindicem æris alieni ære non Corinthio, sed hoc circumforaneo obruerunt.' Cedere foro, vulgus facere bancquam raptam dicit, h. e. negotiationem mensariam abrumpere: quod et solum vertere dicitur. Juven. Sat. XI. 'Hi plerumque gradus: conducta pecunia Romæ, Et coram dominis consumitur: inde ubi paulum Nescio quid superest, et pallet fœnoris auctor, Qui vertere solum, Baias et Ostia currunt. Cedere namque foro jam non est deterius, quam Æsquilias a ferventi migrare Suburra.' Cedere igitur foro, et solum vertere, dici proprie potest de argentariis, qui et nummularii dicuntur, et mensarii mensulariique, et Græcis verbis trapezitæ et collybistæ. qui et ipsi rursus duorum sunt generum. nam minutuli illi nummularii, i. e. campsores, quos Græci argyrognomonas vocant, quasi pecuniæ spectatores et collybistas et ἀργυραμοίβους, publicam causam habere non videntur, nec rationem accepti expensique facere: ut argentarii illi et mensularii, qui non tam pecuniarum permutationem quam majorem negotiationem exercent, quibus olim moris fuit pecunias custodiendas dari, fœnerato interdum, interdum gratuito.

Languor omnis pellitur] H. e. quæcunque membra affecta, maculata, et languescentia vigori suo restituuntur. Marcellus ait: 'Languor est defectio et dissolutio.' Virg. Æn. IX. 'Purpureus veluti cum flos succisus aratro Languescit moriens.' Item X. 'Qua-

lem virgineo demessum pollice florem Seu molles violæ, seu languentis hiacynthi.' Languor item est torpor et inertia. M. Tull. de Officiis lib. 1. 'Nihil autem magis cavendum est senectuti, quam ne languori se desidiæque dedat.'

Pellitur] Expellitur.

68 *Lingua*] Hæc adhibita est ad gemina opera: et ad perceptus saporum, et ad vocis officium.

Fatur] Varro inquit: 'Is fatur, qui primum significabilem ore emittit vocem; antequam id faciant pueri, dicuntur infantes.' Horatio 'infans pudor,' qui loqui non sinit. Quandoque hæc dictio cum ad animum refertur, significat parum eruditum, parum ingenio et usu rerum callentem, ut jam aliquot locis admonuit Erasmus, et Budæus ante adnotavit.

Veterna silentia] Perpetua, ut ita dicam, quia a natali muta. Nam et ab accidenti vox intercipi potest, ex Hippocratis sententia. ait enim: 'Quibus cerebrum aliqua ex parte concussum fuerit, necesse est statim mutos fieri.' Dictus est autem mutus a litera m, quam exprimit dum conatur effari. Accidit et linguæ detrimentum balbuties, vel propter suam, vel propter nervorum imbecillitatem, quos videlicet a cerebro suscipit. Quare et ebrii aliquando balbutiunt: tum quia multa humiditate perfunditur cerebrum, tum quia etiam ab ipsius multitudine lingua prægravatur. Veterna ergo scite appellavit silentia, quod humectior molliorque lingua non libere in verba prorumpat, cum ejus musculi firmiter nequeant stabiliri. Maronianus interpres veterni nomine hydropisin intelligendam putat, quæ nimio plus homines reddit pigros, et ignavia marcescentes. unde et pro desidia quandoque positum invenias. Probus etiam pro gravi accipit somno, quem Medicorum scholæ vocant lethargum, si marcor sit, ac (ut inquit Celsus) inexpugnabilis dormiendi necessitas. Nam Seneca 'veternum animi ærumnosissimum' dixit, ad Lucilium scribens. Usurpavit et Auson. elegantissime: 'Pelle soporiferi senium nubemque veterni, Atque alacri mediam carpe vigore viam.' Sed et Seneca item: 'Ego nec redigo ista ad legem dialecticam, et ad illos artificii veternosissimi nodos.' Veternosum Cato hydropicum intelligi voluit, cum ait: 'Veternosus quamplurimum bibit, tam plurimum sitit.' Alias veternosus dicitur, qui gravi premitur somno. Silentium autem hoc loco impedimentum atque interceptionem vocis, non taciturnitatem significat, aut sermonem præparcum, cujus laus ex Zenonis dicto præclara est. Regios legatos Athenis convivio exceperat quidam, adhibitis etiamnum philosophorum plerisque. Cum autem, ut assolet, multa hinc inde dicerentur, Zeno interim tacitus singula observabat. Tum legati festiviter subblandientes, atque propinantes etiamnum: 'De te vero,' inquiunt, 'Regi quid renuntiari jubes?' Ac is: 'Recte,' inquit, 'senem a vobis perspectum Athenis, qui inter pocula servare silentium possit.' Unde est illud: 'Qui custodit os suum, custodit animam suam: qui inconsiderate loquitur, sentiet mala.' Proinde Simonidis sententiæ firmiter inhærendum, quem dicere solitum accepimus: ὅτι λαλήσας μὲν πολλάκις μετενόησε, σιωπήσας δὲ οὐδέποτε: i. e. 'Locutum esse pœnituit sæpe, tacuisse nunquam.' Hinc et Pythagoricos Athenæus scribit, animantes quidem reliquas attigisse, verum moderate, quasdam etiam immolasse: pisces autem nec gustasse omnino, echemythiæ, i. e. silentii ratione. Quippe silentium esse opinantur divinum quiddam. Pisces verò prorsum sine voce animadvertuntur, vel parœmia suffragante apud Lucianum cæterosque.

Vinxerant] Ligaverant.

69 *Æger*] Scilicet ille, qui triginta

et octo annos morbo tenebatur. et roganti Christo, 'Vis sanus fieri?' tam dolores suos quam longitudinem deflendo, dicebat: 'Domine, hominem non habeo, ut cum turbata fuerit aqua, mittat me in piscinam;' quæ erat Hierosolymis, (ut scribit sacer Joannes c. v.) ad Probaticam, quinque porticus habens. In iis jacebat multitudo languentium, cæcorum, claudorum, aridorum, expectantium aquæ motum. Angelus enim descendebat certo tempore in piscinam, et turbabat aquam. Itaque qui primus descendisset post deturbationem aquæ, sanus fiebat a quocunque detinebatur morbo. Ægrum (Festus ait) ex Græco αἰάζω appellatur: a quibusdam putatur a voce doloris appellari, quod est αἲ αἲ.

Lætus] Gaudibundus, hilaris, sicuti consuetudine. Maro Georg. I. 'Et lætæ pecudes, et ovantes gutture corvi.' Lætum etiam aliquando vocamus, quod nos lætos facit: sicut tutum locum, qui nos tutos reddit.

Gestat] Portat: a gero frequentativum.

Lectulum] Joannes grabatum, ut et Marcus appellat, quod lecticæ genus est. Quem adnotans locum, 'Mirum est, inquit Erasmus, unde Græci scribant κράββατον per duplex ββ, cum Martialis primam hujus dictionis syllabam corripuerit in Epigrammate: 'Sed si nec focus est, mundi nec sponda grabati.'' Subditque: in magno Græcorum etymologico reperisse κρεββάτιον dictum παρὰ τὸ κρεμᾷν τὰς βάσεις: i. e. 'a suspendendo pedes,' quod sic in lecticis portarentur, ut pedibus non contingerent terram. Lucas κλινίδιον, i. e. 'lectulum' dixit: et Matthæus κλίνην.

Per urbem] Hierosolymam, secundum Joannem intellige: ubi non absque causa (ut legere est apud beatum Cyrillum) Christus Pentecostes tempore hoc magnum misericordiæ suæ signum dedit. Hic enim misericordia flectitur, antequam ei supplicatur. At Matth. cap. IX. refert, Christum in civitate sua, quam Hieronymus intelligit Nazareth, unde et Nazaræus appellatus est, Chrysostomus Capernaum esse putat (Bethleem enim, inquit, ipsum tulit, Nazareth educavit, sed Capernaum perpetuum ipsius erat habitaculum) alium paralyticum; at ut oblatum illum, vel, ut Marc. cap. II. et Luc. cap. V. per tectum demissum fuisse descripserunt, contemplata offerentium fide, integritati membrorum restituisse, dato miræ humilitatis exemplo: despecto et debili, totisque membrorum compagibus dissoluto, filii nomine compellato, quem sacerdotes non dignabantur attingere. Nomen urbis apud Græcos fere neutro genere pronunciatur ἱεροσόλυμα et σόλυμα: populus ipse Hierosolymi dicuntur, masculino genere, numero multitudinis, quemadmodum et Solymi. 'Semel duntaxat, quod equidem meminerim,' magnus ille Roterodamus ait, 'Hierosolymam lego:' idque apud Tac. Augustæ historiæ lib. XXI. 'Solymos,' inquit, 'carminibus Homeri celebratam gentem, conditam urbem Hierosolymam nomine suo fecisse, plurimi autores consentiunt.' Fuit et aliis nominibus ea urbs olim appellata: primum Jebus, deinde Salem, deinde Hierusalem, velut ex utrisque composito vocabulo, postremo Ælia.

70 *Quia et ipsum*] Descensus Christi ad Inferos in symbolo Apostolico expressus est, cujus in Niceno nulla fit mentio. Non tamen minus credi debet, cum ex Scripturæ testimonio apertissime colligatur. Sicut fuit Jonas tribus diebus et noctibus in ventre ceti, sic erit filius hominis tribus diebus et noctibus in corde terræ. Quippe cetus typum gerit inferorum, et dæmonis insatiabili voragine animas deglutientis. Cor autem terræ, ipsius est meditullium et mediastinus locus, in quo fere omnium sententia

infernus carcer est constitutus. Fuit ergo filius hominis tribus dieb. et trib. noctibus in corde terræ, cum tanto temporis curriculo, scilicet triduo suæ mortis et sepulturæ, sacratissima ipsius anima apud inferos substitit. Neque enim potest apte ille locus Evangelicus accommodari ad sepulturam Christi, per quam corpus ipsius emortuum tridue fuit terra conditum. Nam cum ipsum fuerit repositum in sepulchro exciso ex petra, et non alte humo infossum, non recte dixerit quispiam ipsum in medio terræ fuisse collocatum. Quare neque ratione corporis sui, ipse filius hominis vere diceretur fuisse in corde terræ: sed ratione animæ, quæ descendit ad Inferos. Complura hujus descensus Christi ad Inferos testimonia sacri scriptores referunt, quæ hic consulte præterimus, ne in re clara citemus testes minus necessarios, et ad quod agimus in primis hic litteratoris munus redeamus. Quin et, pro quinetiam, h. e. insuper. Hæc autem particula, Gellio referente, variis modis sententiisque connectere orationem videtur. 'Aliter enim dici putatur, cum quasi increpantes, vel interrogantes, vel exhortantes dicimus: Quin venis? quin legis? quin fugis? Aliter cum ita confirmamus: Non dubium est, quin M. Tullius omnium sit eloquentissimus. Aliter autem, cum sic componimus, quod quasi priori videtur contrarium. Non idcirco causas Isocrates non defendit, quin id utile esse et honestum existimarit. A quo illa significatio non abhorret, quæ est in tertia origine M. Catonis: Haud eos, inquit, eo postremum scribo, quin populi et boni et strenui sient. In secunda quoque origine M. Cato non longe secus hac particula usus est: Neque satis, inquit, habuit quod eum in occulto vitiaverat, quin ejus famam prostitueret. Præterea animadvertimus, Quadrigarium in 8. annalium particula ista usum esse obscurissime. ipsius verba posuimus: Romam venit, vix superat quin triumphus decernatur. Item 6. annali, ejusdem verba hæc sunt: Pene factum esset, quin castra relinquerent, atque cederent hosti. Non me autem præterit, dicere aliquem posse de summo pectore nihil esse in his verbis negotii. Nam quin utrobique positum pro ut, planissimumque esse, si ita dicas: Romam venit, vix superat ut triumphus decernatur. Item alio in loco: Pene factum est ut castra relinquerent, atque cederent hosti. Sed utantur sane qui tam expediti sunt, perfugiis commutationum in verbis, quæ non intelliguntur: utantur tamen, ubi id facere poterunt, verecundius. Hanc vero particulam, de qua diximus, nisi quis didicerit compositam copulatamque esse, neque vim tantum conjungendi habere, sed certa quadam significatione factam: nunquam profecto rationes ac varietates istius comprehensurus est.' Hæc Gellius.

Inferi] Felices beatorum patrum animæ, quibus non patebat aditus in cælestem patriam. illa enim clausa erat ob Adami peccatum, quam Christus reseravit morte sua, ut constanter asserit Christiana veritas. Ex veteribus omnino pauci esse putarunt Inferos. Plinius quidem sustulisse eos videtur: 'Si alii,' inquit, 'essent Inferi, eos jam refodissent avaritiæ manus.' M. quoque Tull. cum alibi, tum in oratione pro Cluent. falsa esse quæ de inferis traduntur, indubitanter astruxit. Sed et in consolatione ad Martiam Seneca: 'Illa,' inquit, 'quæ nobis Inferos faciant terribiles, fabula est.' Lucret. lib. III. non alibi Inferos esse statuit, quam in hac vita: sic enim ait: 'Atqui animarum etiam quæcunque Acheronte profundo Prodita sunt superesse, in vita sunt omnia nobis.' Sed et apud Ovid. Pythagoras: 'Quid Styga, quid tenebras, et nomina vana timetis?' Mer-

curius vero Christianæ assertioni propius accedens, sic ferme scribit: 'Cum fuerit animæ a corpore facta discessio, tunc arbitrium, examenque meriti ejus transiliet in summi dæmonis potestatem: usque si delictorum illitam maculis, vitiisque oblitam viderit desuper ad ima deturbans, procellis turbinibusque aëris, ignis et aquæ sæpe discordantibus tradet: atque inter cælum et terram mundanis fluctibus in diversa semper æternis pœnis agitata raptabitur. Ut in hoc obsit animæ æternitas, quod sit immortali sententia æterno judicio subjugata. Ergo ne iis implicemur, verendum tantundem cavendumque esse cognosce. Increduli enim post delicta cogentur credere: non verbis, sed exemplis: nec minis, sed ipsa passione pœnarum.' Hactenus Mercurius. Quem ne quis forte irridendum censeat, quod in cæli terræque meditullio suppliciorum statuere videatur locum: sciat Inferorum regionem, et ignis æterni sedem, ut paulo prius dixi, in terræ meditullio constitui, omnium fere sententia. Quanquam alii asserant oppositum, h. e. Inferorum locum esse opinationis incertissimæ apud Christianæ veritatis assertatores. quando maximus Doctor Augustinus ita sibi scribere permisit: 'Judicatis quippe iis qui scripti non sunt in libro vitæ, et in æternum ignem missis, qui ignis cujusmodi et in qua mundi vel rerum parte futurus sit, hominem scire arbitror neminem, nisi forte cui divinus spiritus ostendit.'

Ne forent expertes salutis] Ne ignorarent salutem, h. e. ipsum Christum, per quem oportuit eos salvos fieri. Forem ejusdem est significationis cum essem. Raro cum participio, frequenter cum nomine jungitur. aliquando cum participio inveniri, testatur Cæsar. quod Valla non animadvertit. Fore vero, sicut confore, affore, futuræ semper sunt significationis. Citat Horatium Sat. I. Agricola in Commentariis quos inchoavit in Severinum.

Expertes] Ignari, rudesque proprie dicuntur.

Salutis] Jesu Christi. id enim, ut Mantuanus in Januario cecinit: 'Judæa veniens ab origine Jesus, Nomen adoratu dignum, venerabile, sanctum, Divinæ impositum soboli, Sotera per urbes Significat Graias, Itali dixere Salutem, Sive salutiferum: quæ congrua nomina magno, Ultima salvatum venit qui sæcula, Christo.'

71 *Benignus*] Vel facilis, ut ad voluntatem patris referas, qui pro nobis tradidit illum, cui filius fuit obedientissimus: vel beneficus. Benigni enim est, liberaliter dare: unde benignitas minus recte pro clementia usurpatur: pertinet enim proprie ad benefaciendi largiendique promptitudinem. et consistit ipsa benignitas, Terentiano interprete Donato autore, vel in rerum quantitate, aut in facilitate præstantis. nam plerunque ingrata sunt dona, in quibus benignitas non apparet. Philanthropia apud Græcos dicitur benignitas, et comitas erga homines: cui contraria est misanthropia. Atque ita interpretatur illud apud Paulum, 'Apparuit benignitas et humanitas Salvatoris nostri Dei:' sed perperam, cum sic illic philanthropia, id est, benevolentia erga homines, ut ad patrem referatur, qui quantopere dilexerit nos misso in mundum unigenito filio declararit. Verum, an se poterat Christus communicare liberalius, quam semet male habendum, crucifigendum, interficiendum tradere? Num qui ex rebus infimis suprema, ex sensibilibus intelligibilia capimus, cogitare quimus, nos munere vel beneficio majori posse affici ab amico summo maximoque, quam si ad sanguinem usque fundendum, et cædem subeundam nostri gratia proficiscatur?

Intrat ipsum tartarum] Modus hujus

ingressus adhuc sub judice est. Sed sufficere videtur homini Christiano, quod tradat Christum descendisse ad Inferos, tanquam articulum fidei nobis a Philippo, juxta Symbolum (ut volunt) Apostolorum traditum et promulgatum, non secundum corpus et animam, sed secundum animam tantum. Et hunc descensum secundum animam credat fuisse modo possibili, decenti, et expedienti, et opportuno. Et hoc, quia determinatus modus illius descensus non habetur expresse, nec videtur convinci ex Scriptura sacra, nec ex aliqua determinatione universalis Ecclesiæ, aut speciali Dei revelatione, vel Apostolorum fideli relatione. Imo quod plus est, Scotus in sacris literis non parum exercitatus, dicit. ‘quod ex Scriptura sacra non habetur, quod Christus descenderit ad Inferos,’ referente Francisco Mayronis. De hoc descensu copiosius disserunt Picus senior in Apologia, et Jacobus Faber.

Ipsum tartarum] Et Sedulius gravissimus autor, Infernum locum per Tartarum designavit, erebumque et chaos. Locum superius monstravimus. Et apud Poëtam lib. VI. Tartarus est locus terribilis, et immani profunditate demersus, in quem sontes ruunt: idem Orcus aliter vocatur, quoniam in mortem urgeat. Volunt quidam Tartarum dici ἀπὸ τοῦ ταράσσειν, quod est turbare.

Janua] Dicta est a Jano, quod huic Deo consecratum sit omne principium. ‘Janual’ autem genus est libi, quod Jano tantummodo delibabatur. autor est Festus.

Fracta] Dejecta.

Cadit] Ruit: a cedendo, Pompeius ait, cado dictum. Nonius, quæ significet refert.

72 *Cardo*] Cardines, super quibus fores volvuntur. Maro: ‘Et foribus cardo stridebat ahenis.’ Ad quorum similitudinem, mundi polos cardines vocamus. Lucan. ‘Et summus olympi Cardo tenet Tethym.’ Et significat commoditatem sive opportunitatem. Virg. ‘Haud tanto cessabit cardine rerum.’ Porro cardo et decumanus, limites in agris duo maximi sunt. Limes decumanus est, qui agrum ab exortu æquinoctiali ad occasum æquinoctialem secat: cardo autem, a meridie ad septentrionem. reliqui limites angustiores sunt, distantque inter se paribus intervallis.

Dissolubilis] Quod dissolvi et infringi poterat.

Revulsis] Amotis, avulsis: a vello compositum, quod velli vel vulsi præteritum habet. Maro: ‘Cynthius aurem Vellit, et admonuit pastorem.’ Lucan. ‘Castrorum siccas de cespite vulserat herbas.’

Vectibus] Vectis genere masculinum notiore significatione dicitur, quo clauditur ostium instrumento. Virg. ‘Centum ærei claudunt vectes, æternaque ferri Robora.’ Sed et vectes instrumenta sunt ad aliquid subvertendum evertendumque. Cæsar de Bell. Civ. lib. II. ‘Oppidani saxa quam maxima possunt vectibus promovent.’ Et Terentianus Thraso, Thaidis domum expugnaturus, inquit: ‘Procede huc cum vecti, Dore.’ Per fractam januam, nequitiam spiritalem, potestatemque dæmonicam innuit prostratam.

73 *Illa*] Porta scil. quæ ante Christum passum fuit.

Promta] Facilis, parata, expedita ad capiendos.

Irruentes] Utitur apto vocabulo, ad significandum multitudinem descendentium in perditionem. Cumque pauci mortalium salutis semitam, quæ per mortificationem carnis ducit ad vitam ambulent: necesse est, ut in hanc reliqui omnes exitii viam, quæ secundum Evangelium spaciosa est, tendant. tertia enim nulla est. Harum alteram velimus nolimus adeamus oportet. Audi Christum apud Matth. cap. VII. admonentem nos iis

verbis: 'Introite per arctam portam, quoniam lata est porta, et spaciosa via quæ abducit in exitium. multique sunt qui ingrediuntur per illam. quoniam angusta est porta, et stricta via quæ abducit ad vitam, et pauci sunt qui inveniunt illam.' Et apud Luc. cap. XIII. inquit: 'Contendite intrare per angustam portam: quia multi, dico vobis, quærent intrare, et non poterunt.' Non abhorret ab hac Christi doctrina, præceptum Pythagoricum: 'Per publicam viam ne ambules.' Divus Hieronymus exponit: 'Ne vulgi sequaris errores: nunquam enim tam bene cum rebus humanis actum est, ut optima pluribus placuerint.' Quapropter Roterodamus recte admonet, animi esse ad Christum anhelantis, a vulgi tum factis, tum opinionibus quam maxime dissentire. Canone VI. Enchiridii.

Tenax] Difficilis, dura, segnis: ut opponatur promtæ et expeditæ. Tenax modo significat id quod retinet, ut glutinum tenax: modo parcum, avarum. unde proverbiali figura dicimus: 'Tenax requirit prodigum.'

Revertentes] Revenientes, regredientes. Promta autem porta hic allegoricos est seculi voluptas, quam appetunt homines, viaque errantium, sponte se offerens, et mordicus ingressos tenens.

74 *Reddit*] Restituit. Terent. 'Si quis quid reddit, magna habenda est gratia.'

Mortuos] Animas sanctorum, quibus non patebat aditus in cælum ante liberatum per Christi crucem humanum genus, quod totum Tartarus in mortem bonosque ac pios etiam deglutiverat.

Recluso retrorsum] I. e. reducto retro, h. e. reserato, adaperto. Re quippe particula, proprium cui adjacet verbi significatum sæpe commutat. Legimus in Pentiugeri codice *Extrorsum:* atque ita legendum censeo.

Obice] Pessulo. Et pro cujuscunque rei objecto ponitur. Virg. 'Intus se vasti Proteus tegit obice saxi.' Quidam putant *obiex* scribendum esse, quod ab objiciendo deductum sit vocabulum, primamque productam habeat. Sed ut discrimen sit in scriptura, placitum est imperitioribus, in patrio casu sine i, in obliquis unico i scribi: ne si objicis, objici, objice scribatur, verbum putetur.

75 *Atrum*] Tetrum, nigrum: inde atrati, qui veste nigra latent. Anthracinus color dicitur niger apud veteres: anthraces enim, carbones Latine appellantur. Aliquando significat maledicum, et candido, hoc est benedico contrarium. Catull. 'Albus an ater homo.' Apuleius in defensione: 'Albus an ater sis, digitum non vorterim.'

Limen] Limes, obliqua terrarum regio, quæ secundum Solis cursus dirigit ad signiferi perpendiculum. nam limus antiquo verbo transversum significat, ut Higynus in agrorum constitutionibus ait. Unde limos oculos dicunt. Terent. 'Ego limis aspecto.' Plin. de leonibus: 'Nec limis intuentur oculis, aspicique simili modo volunt.' Item limum cinctum, quod purpuram transversam habeat: et ostiorum limina, quod transversa locantur, ut Frontinus autor est.

Versa lege] Mutato ordine. nam per translationem *lex* figurate pro certo ordine accipitur, ut apud Severinum de Consolat. Philos. lib. I. 'O stelliferi conditor orbis, Qui perpetuo nixus solio Rapido cælum turbine versas, Legemque pati sidera cogis.'

76 *Sed dum Deus*] Transitio haud inscita, ad referendum solis obscurati miraculum.

Deus] Christi spiritus, vel anima.

Illuminat] Illustrat.

Antra mortis] Inferni. quanquam vocabulum hoc, ut alicubi dictum est a nobis, apud antiquos semper ad-

jectivum reperimus. Neque enim hic recte intellexeris de morte naturali, quæ inest homini ex materia physica, jam viribus animæ subservire amplius nequeunte: quæ moriendi natura etiam fatum dicitur. nam et quinto Auscultationis physicæ Aristoteles fatalem nuncupat generationem, quæ ritu fiat naturæ. Hinc, secundum Cælium, Virgiliani carminis discutitur nubilum, Æn. IV. 'Nam quia nec fato, merita nec morte peribat.' quippe quod secundo loco positum est, præcedentis expositio videtur: qui mos est vel Virgilio frequentissimus. 'Quid enim est,' inquit idem Cælius, 'fatalis mors aliud, quam debita, et naturali proveniens discrasia?' Quod ad hunc pertinet locum, ex pluribus colligitur arcanarum literarum locis, mortem usurpari pro loco Inferno, in quem animæ impiorum cum operibus mortis perrexerunt.

Fulva luce] Fulgida claritate, quam Christi anima, æterna lux, reddidit, de qua Esaias prophetavit: 'Populus, qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam: habitantibus in regione umbræ mortis, lux orta est eis.' Quia et Zacharias, hoc ipsum mox soluto vocis organo repetens, Spiritu Sancto repletus sic protulit: 'Deus oriens ex alto, ut illucesceret iis qui in tenebris et umbra mortis sedebant:' ut ad finem cap. I. Evang. Luc. legimus. Esaias quidem, lucem nequaquam parvam, sed magnam (inquit) vidit, ut ejus (exponente Hieronymo) qui in Evangelio loquitur: 'Ego sum lux mundi.' Zacharias idem nomine Orientis exprimit: quod ex Erasmica annotatione hic non est participium, sed nomen substantivum ἀνατολὴ, quæ vox significat exortum Solis, aut regionem unde oritur. Christum igitur ipsum Solem vocat orientem. Sic Malachias de Christo: 'Vobis timentibus nomen meum, orietur Sol justitiæ.' Fulvum a fulgore dictum est nomen, et auro tribuitur potissimum et leoni. Virg. 'Fulvum mandunt sub dentibus aurum.' et Tibull. 'Divitias alius fulvo sibi congerat auro.' Sed et mare fulvum dicitur, quod cum fulgor in aquas incidit, fulvum colorem reddit, qui de viridi atque rufo mistus videtur: ut inquit Gell. II. 26.

77 *Præstat*] Affert.

Candidum diem] Solem, splendorem et claritatem luminis. Diem pro Sole, vel hoc Maronis probat: 'Eripiunt subito nubes cælumque diemque Teucrorum ex oculis.' nam quod hic Solem Virgilius intellexerit, sequens ejus carmen declarat: 'Collectasque fugat nubes, Solemque reducit.' Lucretius Solis radios 'lucida tela diei' appellavit, ut alibi Prudent. 'Solis spiculum' pro radio posuit. Ovid. 'Sive die laxatur humus.' Seneca: 'Prius Extinguet ortus, referet occasus diem.' Sed apto nimis epitheto diem candidum appellat, quod rebus reddat colorem: e contra noctem atram dicimus, quod hæc rebus auferat colorem. Maro: 'Et rebus nox abstulit atra colorem.'

Stupentibus] Stupore collapsis et attonitis, quam Græci ἀποπληξίαν vocant. Sunt qui Latine stuporem dicant attonitum, cujus species Galenus refert. Idem autor est, stuporem a frigida oriri dispositione, non nervorum modo, sed et venarum, arteriarum, carnis, membranarum, tunicarum, et cutis. Esse nanque stuporem, refrigerationem insigniter inductam: quo nomine ita affectis corporibus sensuum ac motuum obrepit difficultas sicuti completa refrigeratio et sensum omnino adimit, ac motum unde stupere Grammaticis est, sensum rerum amittere.

Tenebris] Ipsis malis spiritibus. ut enim lux in sacris literis Deus, et Christus 'splendor Patris' ab Apostolo dicitur ab Hebr. cap. I. ita diabolus oppositæ luci tenebræ, quod ad eas perpetuo cum angelis suis damnatus est.

78 *Tristia sidera*] Vel quia Sol ablatus erat, ut statim sequitur: a cujus lumine tanquam exuberantiori lumina reliqua sidera mutuant: vel quia conveniebat, creaturam contristari, patiente summo omnium creatoris filio.

Sidera] Et stellæ dicuntur et astra: de quibus in Enarratione carminis De mysteriis crucis. Sidera volunt probati autores ea proprie esse, quæ in aliquod signum stellarum plurium compositione formantur, ut aries, taurus, et id genus alia. Super eorum tamen ratione non convenit inter philosophos: Empedocles enim et Plato, et apud Romanos Plinius, sidera nutriri volunt humore terreno: quod dissentit penitus Aristotelicæ sententiæ, quæ putat alimento nullo sidera nutriri, quum sint naturæ cæli.

Squallentis] Consiti, obducti nubilo et obscuritate. Squallere, non sordium plenum esse tantummodo, ut nunc consuetudine persuasum est, sed honesta re abundare et refertum esse, veteres honesta autoritate posuerunt: ducique hanc significantiam a squamis putant. Ut enim est in corporibus sordium alta congeries, qua squallere dicuntur; ita quod fuerit qualibet re densatum, oneratum, inculcatumque, squallere voluerunt. Virg. XI. 'Per tunicam squallentem auro.' Accius Pelopidis: 'Ejus serpentis squamæ squallido auro et purpura textæ.' autor Nonius.

Æthræ] Pro ætheris, h. e. cæli. Nomine ætheris Anaxagoram male usum, notat Aristoteles cap. III. Cæli. Habet autem geminam significantiam. Interdum est sempiterne currens, et tunc cælum designat. Naso: 'Altoque sub æthere fixis Incursant stellis.' Hinc idem unum equorum solis vocavit Æthon: quo nomine perpetuum ejus cursum insinuavit. Secundo æther dicitur quasi ardens, quo modo significat ignem. Ovid. 'Hæc super imposuit liquidum et gravitate carentem Æthera.' A casu hujus nominis quarto Græcæ inflexionis, æthera, Latini formarunt patrium casum Æthera, genere fœminino: ponitur que pro aëre: ut apud Fortunatum in hymno Iambico laudibus semperbenedictæ Virgini dicto: 'Quem terra, pontus, æthera Colunt, adorant, prædicant, Trinam regentem machinam, Claustrum Mariæ bajulat.' Æthra quoque pro aëre apud Maronem et alios accipitur, quanquam proprie splendorem refert ætheris.

79 *Sol refugit*] Vulgata opinio est, quæ ex deliquio Solis asserit tenebras illas in morte Domini factas. At hæc ab Origene longe rejicitur opinio, cujus verba haud gravabor subscribere, quandoquidem et scripturam mutatam ostendunt, et illis accedere mihi visus est maximi judicii magnus ille Erasmus: 'Dicimus,' inquit, 'quod Matthæus et Marcus non dixerunt defectionem Solis tunc factam fuisse. Sed neque Lucas secundum pleraque exemplaria, habentia sic: 'Et erat hora fere sexta, et tenebræ factæ sunt super omnem terram usque ad horam nonam, et obscuratus est Sol.'' In quibusdam autem exemplaribus non habetur, 'Tenebræ factæ sunt, et obscuratus est Sol:' sed ita, 'Tenebræ factæ sunt super omnem terram, Sole deficiente.' Et forsitan ausus est aliquis, quasi manifestius aliquid dicere volens, pro, 'Et obscuratus est Sol,' ponere, 'Deficiente Sole:' æstimans, quod non aliter potuissent fieri tenebræ, nisi Sole deficiente. Puto autem magis, quod insidiatores ecclesiæ Christi mutaverunt hoc verbum: 'Quoniam tenebræ factæ sunt, Sole deficiente:' ut verisimiliter Evangelia argui possint, secundum adinventiones volentium arguere ea. Arbitror ego, sicut cætera signa, quæ facta sunt in passione ipsius, in Hierusalem tantum-

modo facta sunt; sic et tenebræ tantummodo super omnem terram Judæam sunt factæ usque ad horam nonam. Quæ autem dico, in Hierusalem tantummodo facta, hæc sunt, quod velum templi scissum est, quod terra contremuit, quod petræ diruptæ sunt, quod monumenta aperta sunt: nec enim extra Judæam petræ diruptæ sunt, aut monumenta aperta sunt alia, nisi ea tantum quæ in Hierusalem erant, aut forte in terra Judæa. Nec alia terra tremuit tunc, nisi terra Hierusalem: nec enim refertur alicubi, quod omne elementum terræ tremuerit in tempore illo, ut sentirent, verbi gratia, et qui in Æthiopia erant, et in India, et in Scythia: quod si factum fuisset, sine dubio inveniretur in historiis aliquibus eorum, qui in Chronicis scripserunt nova aliqua facta. Sicut ergo quod dicitur 'Terra contremuit,' sic refertur ad terram Hierusalem, aut, si latius voluerit quis extendere, ad terram Judæam: sic et, 'Tenebræ factæ sunt ab hora sexta usque ad nonam, super omnem terram:' intellige, quod super omnem terram Judæam sunt factæ, aut certe super Hierusalem tantum. Sic ergo qui intelligit, sine culpa intelligit, et ne, magnitudinem miraculi ostendere volens, incidat in risum sapientium seculi hujus, et magis infidelitatem in hominibus sapientibus operetur quam fidem. Dicit autem aliquis contra hæc: Sic non ex defectione solis factæ sunt tenebræ tunc super omnem terram Judæam et Hierusalem, sed ex altera causa; ostende causam. Cui talia respondemus: Primum quidem, quod omnino Evangelistæ nec nominaverunt Solem in isto loco, sed tantum, Quia tenebræ factæ sunt super omnem terram. Si ergo tenebræ factæ sunt super omnem terram, sole non nominato; sine dubio consequens est intelligere, quasdam tenebrosissimas nubes, et forte non unam, sed multas et majores concurrisse super terram Judæam et Hierusalem, ad cooperiendos radios Solis: et ideo profundæ factæ sunt tenebræ a sexta hora usque ad nonam. Quomodo autem factæ sunt in tali loco, diximus: ne forte ut tenebræ palpabiles, in Ægypto hoc modo factæ fuerunt tribus diebus, non ex Solis defectione: sive autem ex eo, quod nubes tenebrosæ concurrerunt in unum, sive quod aër illic tunc spissior factus est super Ægyptios tantum: omnibus enim filiis Israël, sicut testatur Scriptura, fuerat lumen, in quibus locis fuerant commorati. Nam et impossibile est, in Solis defectione, quæ fit ex concursione Lunæ ad Solem, tribus diebus continuis fieri tenebras: et crederetur aliqua alia tenebrarum caussa fuisse in Ægypto, si vel nominatus fuisset et Sol, sive quasi obscuratus in tempore illo. Nunc autem Scriptura Exodi nihil aliud dicit, nisi quia 'Moyses extendit manum suam in cœlum, et factæ sunt tenebræ et caligo, et cætera, super totam terram Ægypti tribus diebus, et nemo vidit fratrem suum, neque surrexit aliquis de lecto suo tribus diebus.' Quod autem dico, super omnem terram Judæam, vel Hierusalem, ut non omne elementum terræ intelligamus, illud est argumentum, quod scriptum est in tertio libro regnorum, ubi Abdias dispensator Achab dixit Heliæ: 'Quid peccavi, quia dedisti servum tuum in manus Achab, ut mortificet me? vivit Deus tuus, si est gens, aut regnum ubi non misit Dominus meus quærere te? et dixi, Non est: et combussit regnum, et regiones ejus, quoniam non invenit te.' Quis enim tam lapideus sit, legens ista, ut æstimet, quoniam rex Israël Achab in omnem gentem mundi, et in omne regnum orbis terræ misit, quærens Heliam, et combussit ubicunque dictum est, 'Non est Helias?' Sed sine dubio

exaggregatorie dicta sunt illa, ostendentia quod satis eum quæsivit in gentibus, quæ fuerunt circa Judæam, secundum quod potuit requirere. Quemadmodum et universus orbis apud Lucam cap. II. describi dicitur a Cæsare Augusto: cum non intelligatur totus orbis, sed is qui sibi subjugus, suæ ditionis frena sustinuit: qui quantus fuerit, aut quibus clausus limitibus, historiarum fides aperit, quarum unica luce, Geographia, Vadianus noster doctissimus in Catechesi sua in Geographiam se ait deprehendisse, multo minus dimidio mundi, hoc est terræ, Romanis eo etiamnum tempore, quó florentissimum imperium eorum fuit, paruisse. At hodie multis Theologis, qui nihil nisi Aristotelem crepant, sat est, si tantum sciant nomen esse loci, quanquam sunt, ut Roterodamus ait, qui ex loco nonnunquam pecudem reddant. tam supinus est Geographiæ contemptus. Licet divo Hieronymo non satis erat nomina situsque locorum ex Geographorum libris habere cognita, nisi lustratis regionib. singula diligentius et oculis lustrasset. E contra vero beatus Dionysius Polycarpo Smyrneorum episcopo respondens, super eo quod ipsum conviciis incesseret Apollophanes sophista, quo cum Dionysius ipse Heliopoli (quæ urbs est Ægypti, et a Solis cultu nomen accepit) amice vivebat, quo tempore terrificus ille, et mundo (ut Fabri Scholiographi utar verbis) inauditus solis defectus passionis Christi contigit, modum solaris deliquii, ab aliis scriptoribus omissum, iis verbis declarat: 'Quid de illo, qui tempore crucis Dominicæ factus est, solis defectu dicturus es? Eramus tunc ambo apud Heliopolim, amboque simul incidentem mirabiliter soli lunæ globum notabamus, (non enim ejusce conjunctionis tunc aderat tempus,) ipsamque rursus ab hora nona ad vesperam ad solis diametrum supra naturæ vires restitutam. In memoriam autem illius revoca et aliud quiddam. Nempe enim (ut ipse non ignorat) eam lunæ incidentiam ab Orione cœpisse, et usque ad solaris corporis finem pervenisse, ac tum demum resilisse notavimus.' Verum hic Dionysius Erasmo videtur ψευδεπίγραφος.

Refugit] Instar trepidantis, ad rem maxime infandam. Sicut fertur, quod in mensa Thyeste comedente filios ab Atreo appositos, sol non patiens videre tantum scelus, obduxit faciem suam, et obscuratus est: ut refert enarrator Tragici Senecæ. Attamen Jo. Pontanus, lib. De Immanitate, inquit: 'Nec vero patrem immanitatis damnabimus, quippe qui ignorans deceptusque epulabatur; verum solem ipsum miramur potius, non retrovertisse gressus suos, non obvolvisse profundissima etiam caligine radios, lucem obtexuisse squaloribus, ne truculentissimi Regis facinus tam immane videret.'

Lugubri ferrugine] I. e. colore nigro. Sic Maro Georg. I. 'Cum caput obscura nitidum ferrugine texit.' et alibi de Charonte: 'Et ferruginea subvectat corpora cymba.' Est autem ferrugo, ex interpretatione Servii, purpura, nigriore sive cæruleo colore, quod Nonio placet. Nam ferrugineos hyacinthos Virgilius etiam dixit, et eum secutus in Hortis Columella. Bono autem epitheto ferrugo, h. e. niger color, lugubris dicitur, quod lugentes vestibus nigris obsoletisque luctum testantur. Sic Varroni amiculus nigellus dicitur lugubris vestis, et atrati lugentes ipsi: ut superius relatum est.

80 *Reliquit igneum axem*] Et hoc factum arbitratur divus Hieronymus, ut compleatur prophetia, dicens: 'Occumbet sol meridie, et contenebrabitur super terram in die lux.' Et in alio loco: 'Occubuit sol cum adhuc media esset dies Videtur-

que mihi, clarissimum lumen mundi, h. e. luminare majus retraxisse radios suos, ne aut pendentem videret Dominum, aut impii blasphemantes sua luce fruerentur.' Ne mireris D. Hieronymum suos soli oculos tribuere. nam in Commentariis quos in Ecclesiasten Solomonis scripsit, apertius amplectitur opinionem De anima orbium cælestium. Qua de re Paulus Riccius, Philosophus et Theologus ille, ob eruditionem multifariam vitæque candorem toti literarum orbi notus, acute (ut solet) disputat ubique philosophum Christianum agens.

Igneum axem] H. e. cælum: synecdochicos. Alias enim axis extrema pars cæli, h. e. polus, quorum duo sint, dicitur. sed et stipes teres circa quem rota vertitur, et tabula sectilis dicitur axis, ut docet Verrius. Cælum item ignem esse, Platonica est doctrina. Nam ubi Mosaica mysteria sic habent, 'In principio creavit Deus cælum et terram:' Plato ait, 'Deum primo ignem fecisse ac terram.' Ignem nimirum intelligens præcipue cælum. At schola Peripateticorum huic doctrinæ adversatur. Igneum ego cælum intelligo stellatum, quod stellæ ignes dicantur. Quod autem dicit, 'Solem reliquisse igneum axem,' non ita accipiendum est, ut is alio concesserit; sed quod propter exortas profundissimas illas tenebras, ut Origenis opinio est, solares radii cooperti fuerint; vel quod secundum Dionysium, vulgatamque sententiam sol occuluit radios suos in stupenda illa deliquii solis novitate, propter interpositam lunam inter aspectum nostrum et ipsum solem, qua interpositione nobis aufertur lumen solare, uti umbraculo candelæ lumen. Unde colligimus improprie dici, solem pati deliquium; cum neque luna ipsa tunc aliquid patitur, quia media pars ejus quæ objecta est soli illuminatur; verum nos hoc propter diametralem interpositionem minime animadvertimus.

Mœrens] Lugens, deflens. Nam, ut Cicero ait, 'mœror est ægritudo flebilis, a verbo mœreo,' quod secundum Varronem a marceo fit; quod mœrore corpus marcescat. Plautus mœrare dixit, pro mœrorem facere, ut et apud veteres pro mœsticia mœstitudo, et mœstiter pro mœste, et mœstare pro mœstificare.

Abdidit] Abscondit. Virg. pro occlusit posuit Æn. I. 'Sed pater omnipotens speluncis abdidit atris.'

81 *Horruisse chaos*] Quod sc. iterum ad illam profundam rerum confusionem inanitatemque revolveretur, unde secundum Hesiodum constitutus fuit. Horreo verbum accusandi casui junxit, ut Maro; 'Nec varios horrent strepitus.' Sæpe tamen absolute ponitur. Terent. 'Totus horreo.' Lactant. cum dativo junxit; 'Cui talia sacrificia non horreant.' Cum ablativo etiam Hieron. 'Horrebant sacco membra deformia.'

Chaos] Tenebras. sic alibi: 'Merso sole chaos Ingruit horridum.' Signantur autem hoc vocabulo tenebræ illæ, quæ sub illa rerum confusione ab initio fuerunt, ut est apud Hesiodum, quum nondum sol et reliqua sidera officium suum terris præberent. Naso; 'Nullus adhuc mundo præbebat lumina Titan, Nec nova crescendo reparabat cornua Phœbe.' χάσκειν Græci dicunt hiare. inde χάσμα, hiatus, chaos confusum dicitur.

Æternæ noctis] Tartari: quippe nox Erebo patre nata est, ut scribit Varro, et esse perpetua creditur apud Inferos. Seneca; 'Et pigro sedet nox atra mundo.' Haud ignorandum, quod in XII. tabulis scriptum est; 'Solis occasus vespera esto, inde prima fax, deinde concubia, mox nox intempesta, quæ non habet idoneum tempus rebus gerendis.' Præterea in finitione diei inclinatio mediæ noctis est initium diei, dein-

de gallicinium, postea conticinium, mox diluculum, postremo mane; ita diviserunt noctis et diei spacia. autor Varro in libro rerum humanarum. Quas partes sectatores Christi transtulerunt in sacrificium, vesperas, completorium, et matutinum. Veterum mos fuit, ad buccinam illas partes distinguere. Unde Seneca in proœmio lib. VII. Declamationum, Albutii declamatoris dicacitatem improbans, inquit; 'Sæpe declamante illo ter buccinavit.' Et Seneca Tragicus: 'Tertia misit buccina signum.' Cælius Sedulius idem quod Prudentius, h. e. non deliquium solis, sed tenebrarum miraculum solum, et expressius quidem, luculentissimis his, quos hic nequivi non subscribere, inclusit versibus; 'Sol, nube coruscos Abscondens radios, retro velatus amictu Delituit, tristemque replevit luctibus orbem: Tota sibi oppositum fratrem quod Delia haberet, Cum suberat terris, super ille in culmine cæli, Impia perpetuam timuerunt secula noctem.' Sed et Juvencus, ille nobilissimi (ut ait Hieronymus) generis Hispanus, prorsus accedit Prudentianæ sententiæ; 'Jam medium cursus lucis conscenderat orbem, Cum subito fugit ex oculis, furvisque tenebris Induitur, trepidumque diem sol nocte recondit.' At Picus junior in hymno II. ipsi Christo nuncupato, Dionysianam imitatus opinionem, cecinit; 'Tum sol occuluit radios, tum luna recursu Insolito abripuit lucem, sparsitque tenebras.'

82 *Solve vocem mens sonoram*] In occasione eorum quæ dicta sunt, hic invitat fidelem animam, ad depromendam laudem Christo. cui patienti cælum, terra, reliquaque elementa, ut conditori suo, mœsta per occasum, quodam quasi gemitu, si dicere liceat, parentarunt. Evangelicis notum est literis, tametsi Prudentius hic speciatim terræmotus non meminit, eam ipsam tam horrendum intremuisse, ut Picus cecinit, quod duodecim urbes in Asia motu ejus conciderint. Hoc ex historia naturæ Plinii, et Senecæ Nat. Quæst. lib. VI. conjiciunt eruditissimi religionis nostræ autores, contra Origenem.

Mens] Anima; quippe mens, animus, anima, et consilium, idem sunt, ut Lucret. opinatur lib. III. 'Consilium, quod nos animum mentemque vocamus.' Antiqui tamen animam atque animum ita separarunt, dicentes; 'Animo sapimus, anima vivimus, anima sine animo debilis est.' Varro tamen, in libro de diis selectis, tres esse affirmat animæ gradus in omni universaque natura; Unum, qui omnes partes corporis quæ vivunt transit, et non habet sensum, sed tantum ad vivendum valetudinem. hanc vim in nostro corpore permanere dicit in ossibus, unguibus, et capillis: sicut in mundo arbores, quæ sine sensu aluntur et crescunt, et modo quodam suo vivunt. Secundum animæ gradum dicit, in quo sensus est. hanc vim pervenire in oculos, aures, nares, os, tactum. Tertium gradum animæ esse summum, qui vocatur animus, in quo intelligentia præminet. hoc, præter hominem, omnes carere mortales: in qua quoniam homines Deo videntur esse similes, hanc partem animæ mundi Deum dicit: Deum autem in nobis genium vocari.

Solve] 'Solvere,' Nonius ait, 'usu significat enodare et religare.' Virg. Æn. XII. 'Solvite crinales vittas, capite orgia mecum.' Solvere debitum, reddere. Sall. Cat. 'Argentum ære solutum est.' M. Tull. in Verr. divinatione: 'Pro quo frumento pecunia omnis soluta non est.' Solvere, dimittere. Virg. Georg. II. 'Solve mares, mitte in Venerem pecuaria primus.' Solvere a curis, liberum esse. Virg. Georg. II. 'Risuque soluto.' Idem Æn. I. 'Solvite corde metum, Teucri.' Solvere, contemnere, despicere. Virg. Æn. IV. 'Solvitque

pudorem.' Solvere, excipere est. Idem x. 'Nec populos solvo.' Jurisconsultis legibus solvere est, id quod nunc dispensare vocant. Livius lib. x. ab Urb. Cond. 'Fabius legem recitari jussit, qua intra decem annos eandem consulem refici non liceret. Vix præ strepitu audita lex est, tribunique plebis nihil id impedimento futurum aiebant, se ad populum laturos ut legibus solveretur.' Idem lib. IX. de Bell. Maced. 'Pars tribunorum plebis negare rationem habendam esse, quod duos simul unus magistratus, præsertim curules, neque capere posset, neque gerere. Pars legibus solvi eum censere.' Utitur et Tranquillus in Cæsare: et Cicero in Philipp. II. Asconius in Orat. pro Corn. 'In omnibus,' inquit, 'senatusconsultis, quibus aliquem solvi legibus placebat, adjici erat solitum, ut de ea re ad populum ferretur. Sed paulatim ferri erat desitum, resque jam in eam consuetudinem venerat, ut postremo ne adjiceretur quidem in Senatusconsulto de Rogatione ad populum ferenda. Eaque ipsa Senatusconsultum per pauculos admodum fiebat. Actum deinde ea de rè in Senatu est magnis contentionibus. Cum Cornelius ita ferre rursus cœpit, ne quis in Senatu legibus solveretur, nisi ducenti affuissent. Solvere igitur canonibus, dicendum pro dispensare, quod et gratiam canonis legisque facere dici potest.' Ulpianus solutum esse legibus, accepit pro eo quod est, non teneri: quo verbo Julianus usus est, et antiqui sæpe usi. Cicero Philip. XI. 'Ille homo summo ingenio, summa potentia, qui ex ædilitate consulatum petit, solvatur legibus, quamvis leges eum non tenent.' Verba sunt ironica, significantia hominem perditissimum et exlegem.

Sonorum] Quod insuave, stridulumque sonat, et graviter. Sonorum proprie item, et sonax veterum vocabulo dicitur. Maro Æn. I. 'Luctantes ventos, tempestatesque sonoras.' Ovid. 'Conchaque sonaci Inspirare jubet.' at hic pro eo quod sonum efficit.

Mobilem] Nam quibus hæret lingua, verba copulare, sermonemque condere nequeunt, tametsi vocem producunt. Attribuunt id haudquaquam obscuri apud medicos nominis autores refrigerationi linguæ. sic enim tanquam stupens et attonita videtur: proinde a vino, continenteque oratione concalefactos verba facilius copulare. Quod Flaccus non ignoravit: 'Fœcundi calices quem non fecere disertum?' Unde memoriæ proditum est, Persas et Græcos, disputare volentes, vino amplius indulsisse. Sunt tamen, qui hæsitantis linguæ rationem calori ascribant nimio; eo nanque offensa oberrat quasi in salebris. Cæterum prisci vocem dari infantibus prius non putabant, quam terram attigissent, Levanam Deam dicentes, quæ pueris præesset de terra levandis. Autor est Augustinus Civitatis Divinæ lib. IV. item Macrob. Sympos. I. Varro De vita patrum lib. II.

Linguam] Pollux inquit: 'Simplicis vocis est organum epiglottis: lingua autem articulatæ.' Græci linguam, ut dixi, vocant γλῶτταν: aglotton, elinguem. Turbinatior linguæ pars vocatur proglossis: caruncula vere, qua connectitur inferiori parti oris, nuncupatur Hypoglossis. A lingua lingulam dici, non fere latet: hinc lingulares legimus tabulas, ex parte altera, ut alius in alium inire conveniréque possint, veluti linguæ præferentes schema.

83 *Dic*] Usum hujus verbi pete ex Nonio. Varro tradit, origine esse Græcum; hincque judicare, quod tunc jus dicatur; hinc judices, quod judicant accepta potestate, i. e. quibusdam verbis dicendo finiunt: qui et Dicastæ dicti sunt, quasi litium diremptores; a Dice Dea, judiciorum

præside. quæ dictio etiam jus significat; ob id Græce dicta, quia lites et contentiones dirimat. Quod docte, ut omnia, adnotavit Budæus in l. prima. ff. de just. et jure.

Trophæum passionis] Qua Christus fugavit dæmones, et eorum templa et simulachra subvertit. Unde et Sedulius: 'Proprii donans fulgore trophæi.' Et ante Egnatius ad Philippenses scribit, dæmonem interitum cognoscere sibi confessione crucis. Hoc enim, inquit, trophæum est contra ejus virtutem, quod videns expavescit, et audiens timet. Et Romanorum et Græcorum mos fuit celeberrimus; hostibus humana specie stipitem statuebant in summo aliquo jugo, eundemque spoliis ornatum, Trophæum nominabant. Cn. quippe Pompeius, ut Sallustius ait, in Pyrenæis de victis Hispanis trophæa statuit. Trophæi formam luculenter describit Maro lib. xi. 'Ingentem quercum decisis undique ramis Constituit tumulo, fulgentiaque induit arma Mezentî ducis exuvias; tibi, magne, trophæum, Bellipotens.' Apud eum plura. Trophæon Græci dicunt; Latini vero tropæum, a trope, quod est conversio; Tropæo verto; Tropoo in fugam verto. Scribit in artibus Dionysius, in oleæ laudibus illud merito recenseri, non modo quia sit Palladi sacra, sed quod veteribus ex ea constituebantur trophæa: quodque sit victoriæ symbolum. nam et Neptuno superato hac primum Dea est coronata. Illud forte mirum historiam magni Alexandri versanti contingat, nullum omnino vel Darii afflictis opibus, vel fusis fugatisque Indorum exercitibus numerosis, fuisse ab eo excitatum trophæum, more Græcorum, qui illis (ut diximus) fuit celeberrimus. Cæterum scire licet, Macedonum regibus cautum lege, ne facerent. Nam cum Caranus quandoque propinquum barbararum gentium regem Cisseum retudisset, ac ex Argivorum institutis trophæum constituisset victoriæ monumentum, veniens ex Olympo ferocior leo id eversum disjecit. Inde sancitum, ceu id plane ominosum foret, ne quis in reliquum Macedoniæ regnum erexisse trophæum vellet: tanquam res ea inimicitias indicet ἀδιαλλάκτους, velut dicas irreconciliabiles. Ex lib. xii. 20. Lectionum antiquarum Cælianarum.

Passionis] Mortis Christi, secundum carnem. Philippus Comment. 4. in Tusc. Quæst. Tullii scribit, recentioribus scriptoribus, potissimumque Ecclesiasticis, in crebro usu esse, passionem et passiones pro morbis et perturbationibus, quæ Græce dicuntur πάθη. verum ethnicos scriptores, illos emunctos et tersos, hac dictione abstinere, perinde ac parum proba Latinaque. Non Livium, non Quintilianum, non Plinium, non Celsum, non quempiam ex illa cohorte scriptorum classicorum hoc vocabulum usurpare: quamvis, teste Augustino, expressius ex Græco verbo πάθη ducantur passiones quam perturbationes.

Triumphale] Victricem: et bene. Quoniam Christus ignominia crucis devicit et prostravit hostem, principem tenebrarum, optima ratione convenire Christo triumphum, relatum est in Staurosticho. Triumphus Græca vox est: Græci enim dicunt θρίαμβον. Apud Romanos plena victoria consequebatur: ut qui dux hostem fuga converterat, ut paulo ante dixi, trophæum merebatur. Triumphus autem erat summus honor, qui victoribus ducibus publica cum hilaritate dabatur. Triumphantes enim albis equis, curru inaurato, capite coronato lauro per urbem vecti, Capitolium ascendebant ad templum Jovis opt. max. ubi mactato albo tauro, domum postea repetebant. Triumphandi mores olim distinctos fuisse, in Marcello scribit Plutarchus.

Crucem] Crux patibulum fuit, in quo damnati affigebantur: a veteri-

bus Gabalum dicta, ut Nonius inquit, Varronis testimonio. Et crucicarius dicitur, qui crucem meretur, h. e. scelestus: contumeliæ videlicet et opprobramenti nomen. Apul. lib. x. 'Nec tantillum cruciarius ille vel fortuna tam magni judicii, vel confertæ conspectu curiæ deterritus.' A patibulo quoque, crucem significante, patibulatum dicimus hominem, i. e. crucifixum. Plaut. in Mostell. 'Ita te forabunt patibulatum per illas stimulis.'

84 *Pange*] Celebra voce, vel fige in mente. Unde, Festo tradente, plantæ pangi dicuntur, cum in terra demittuntur: inde etiam versus pangi, vel figi in cæra dicuntur.

Vexillum] Signum salutiferæ crucis. Prisci illi suscepta fide, Christum (ut par est) arbitrantes Deum esse, debita veneratione prosecuti sunt, et crucem ipsius humanæ instaurationi instrumentum suis omnib. insignibus prætulere, uti salutare signum attollentes. Quod et Constantinus Imperator et sibi et exercitui superne monitus impressit, antequam victoria contra Maxentium potiretur, Labarumque in Christi crucem commutavit. Quod Prudentius innuit contra Symmachum, iis versibus; 'Christus purpureum gemmanti textus in auro Signabat labarum.' Vexilla, ut notum est, signa sunt militaria, quæ eriguntur, ubi manus conseruntur cum hostibus. Sunt autem Christi Domini nostri, regum regis, vexilla; flagella, corona spinea, clavi, lancea, et crux.

Refulget] Respondet compositum verbi fulgeo, quod Priscis idem quod ferio erat; inde fulgus. Dicimus autem fulgeo fulges, et fulgo fulgis. Maro Æn. vi. 'Illæ autem, paribus quas fulgere cernis in armis, Concordes animæ sunt.'

Notatis] Signatis, illitis unguento sacrosancti olei dum renascimur, in verba Christi jurantes; Hoc nos signo spiritalis armaturæ munitos atque instructos, tanquam pugiles, contra dæmonem decertaturos. Noto verbum secundum grammaticos fit a nomine nota, quod signum significat. Virg. Georg. iii. 'Continuoque notas et nomina gentis inurunt.' Aliquando probrum dicitur. Lucil. lib. x. 'Quem scis scire tuas omnes maculasque notasque.' Apud Jurisconsultos vulgatus est titulus de iis, qui notantur infamia.

Frontibus] Frons, commune duum generum. Varroni a foratu oculorum dicitur. Plin. in lib. xi. et aliis; sed homini tantum tristiciæ, hilaritatis, clementiæ, severitatis index. Hinc frontem explicare cum hilarescimus, contrahere eum ringimur, h. e. cum quid molestum est, dicimur. Frons habita est antiquitus pudori sacra, et facies item, id quod proverbio testatum est, quo dicunt 'Pudorem esse in oculis.' Inde frontem aut faciem perfricuisse dicuntur qui pudorem omnem dedidicerunt, velut abterso manu a vultu pudore; Effrontesque appellantur inverecundi. Fuere qui frontis signis vaticinia aucuparentur: nam quibus rugosior frons, magna animo versare, esse melancholicos; quibus vero exporrectior, esse fallaces, inprimis cujusmodi fere Bononiensis haberi cavillatur conciliator, quam rem ff. de offic. præsidis adnotavit Accursius, et Rhodog. ii. 25.

85 *O novum*] Hujus miraculi sacer Joannes meminit capite decimo nono Evangelii sui, summam adhibens, ut credatur, diligentiam. ait enim; 'Et qui vidit, testimonium perhibuit, et verum est testimonium ejus.' quasi dicat; Non aliunde audivi, sed ipse audivi, et verum est testimonium. Et merito sane contumelias narrat. illudere enim mortuo, Chrysostomus inquit, quam ipsum crucis supplicium longe pejus est. Nomen autem suum occuluit, inanis gloriæ tumorem, ut rem turpissimam, fugiens: ut apud

Cyrillum legimus. Ambrosius putat percussum esse post mortem, ut voluntarius magis quam necessarius exitus ejus fuisse doceatur. *O* est hoc loco admirandi adverbium, seu magis interjectio; utrunque enim dici potest, ut Priscian. lib. xv. docuit. Melius tamen interjectio dicetur, ut Donatus etiam scribit.

Novum miraculum] Cum post mortem sanguis in nostris corporibus congelascit. Ex illo autem incorrupto licet corpore, sed defuncto, sanguis et aqua manabat.

Novum] Quod nunquam tale factum fuerit. Apud Maronem in Palæmone mirandum interpretatur Servius, super hoc; 'Pollio et ipse facit nova carmina.' Cicero non semel novos homines vocat, qui jus gentilitatis, et majorum imagines nullas habebant.

Vulneris] Vulnerati lateris. Quod militum unus, subdubitans fortassis an mortuus esset, 'latus ejus compungit,' ut utar Cyrilli verbo; vel 'fodit,' ut Evangelistæ. Quanquam, ut adnotatum est ab Erasmo, pro ἔνυξε, Interpres legisse videtur ἤνοιξε quod significat 'aperuit.' Codrus Urceus sermone 10. ubi ostendit, quod usque ad ridicula in Etymologia verborum perventum est; 'Volo,' inquit, 'unum et alterum joci causa vobis enarrare. Diabolum exponunt isti, et (ne parvi faciatis) Theologi inflati, dictum, quod hominem duobus bolis devoret. O rem ridiculam, cum Græce διάβολος calumniator dicatur, ἀπὸ τοῦ διαβάλλεσθαι, i. e. a calumniando: et ideo apud Plautum Diabolus adolescens hoc nomine appellatus est. Audite aliud magis ridiculum. In Joannis Evangelio legitur: ἀλλ' εἷς τῶν στρατιωτῶν λόγχῃ αὐτοῦ τὴν πλευρὰν ἔνυξε. Nostri Theologi, sive sono vocabuli Græci decepti, ubi apud Græcos λόγχη, i. e. lancea scriptum est, crediderunt percussorem illum Longinum esse appellatum, et ita in illum hoc nomine exclamantes invehuntur nostri Theologi, sive divini verbi seminatores, Longinum proprio nomine militem illum appellant. Non miror si nos ridemus: quoniam et Diabolum ipsum, et illum quem isti dicunt Longinum, puto, si talia audiunt, maximos risus excitare. Illud tacere non possum, philologiam et sermones ipsos a Græcis venuste et eleganter translatos, ab indoctis non tantum non intellectos, verum etiam esse perversos, unde fit, ut apud Virgilium corrupte legatur, 'Suspicit Anchises;' h. e. sursum aspicit; pro eo quod legendum est Suscipit, i. e. respondet, et in sermone subsequitur, quod Græci dicunt ὑπολαμβάνει. Quod vitium etiam sacras literas occupavit. Nam in Evangelio, ubi Christus per parabolam declarare studet qui sit proximus, legitur corrupte: Jesus autem suspiciens: quod per ignorantiam crassam exponunt quidam, fuisse Christi consuetudinem, ut volens loqui sursum aspiceret. Græca scriptura ὑπολαβὼν habet, i. e. suscipiens, respondens; quod est eleganter fideliterque translatum.'

Stupendæ] Admirandæ.

Cædis] Vel punctionis militis, vel mortis: nam cædes mors est, ferro aut alia vi illata. Prior mihi magis placet sensus. Nam post punctionem militaris lanceæ continuo [Lacuna est, cui non explendæ sum. *Weitz.*] Et Evangelistam referens Prudentius.

86 *Hinc*] H. e. ab una lateris parte.

Cruoris] Sanguinis.

Fluxit] Decurrit. Maro Georg. II. 'Hæc eadem argenti rivos, ærisque metalla Ostendit venis, atque auro plurima fluxit.' Fluere, minui, deficere. Virg. Æn. II. 'Ex illo fluere, ac retro sublapsa referri Spes Danaum.' Fluere, latius ac liberius excrescere. Idem: 'Tu denique dura Exerce imperia, et ramos compesce

fluentes.' A fluo, flumen, quod est fluens aqua, autore Seneca. Pro fluxu Virg. usus est: 'Aut rapidus montano flumine torrens.'

Amnis] Id flumen quod circuit aliquid. Nam ab ambitu amnis, autore Varrone, deducitur. Cui astipulatur Pompeius: 'Amnis,' inquit, 'proprie dicitur a circum, ex Græca præpositione ἀμφὶ, quod est circum, tractum, et nare fluere.'

87 *Lympha*] Aqua. Unde vinum, quod plus satis aquæ habet, diximus lymphatius dici. Contra docet Beroaldus Commentario tertio in Quæst. Tusc. Cic. 'Nuperi,' inquit, 'novitiique scriptores, quia lympha est aqua, crediderunt congruenter dici lymphatum vinum, pro aquatum. Sed potior apud me est autoritas veterum, ad quam perinde atque ad anchoram confugimus.' A nymphis lymphas, diximus superius ex Festi doctrina, esse dictas, quas poëtæ dicunt esse amnium filias. Callimachus: 'Nymphæ Thessalides, amnis genus.' Elegantius noster Maro: 'Nymphæ, genus amnibus unde est.' fluviorum quippe origo a fontibus est, quos Nymphæ repræsentant. Ovid. 'Flumina collectis multiplicantur aquis.'

Lympha dat lavacrum, corona ex sanguine est] Id quod Ambrosius ait: 'Ex corpore, sed defuncto, omnium vita manabat. Aqua quæ diluit, et sanguis qui redimit. Lympha dat lavacrum, h. e. signat baptisma, quo abluitur et deletur peccatum omne, et originarium in primis, animaque emundata a labe dignum Deo habitaculum constituitur.' Originem enim, ut Leo pontifex, quam sumpsit in utero virginis, posuit in fonte baptismatis: dedit aquæ, quod dedit matri. Virtus enim altissimi, et obumbratio Spiritus Sancti quæ fecit ut Maria pareret Salvatorem, eadem fecit, ut regeneraret unda credentem. Ut enim in nativitate secundum carnem ex utero materno proles in lucem editur, novaque est naturæ fœtura; ita ex sacro fonte, quasi utero spiritali, nova soboles Spiritu Sancto vivificata in cælestem vitam educitur, atque nova fit per hujusmodi regenerationem in Christo creatura, ut scribit Apostolus ad Corinthios, dicens: 'Proinde si quis est in Christo, nova creatura est: vetera præterierunt, ecce nova facta sunt omnia.' Et ad Galatas, ad finem: 'Nam in Christo Jesu neque circumcisio quicquam valet, neque præputium, sed nova creatura.' Creationis regenerationisque, cujus significatio apud sacras literas est usitata, ut cum ait Psalmographus: 'Et populus, qui creabitur, laudabit Dominum.' Sicut et nasci apud easdem spiritalem interdum exprimit nativitatem. Et propheticus spiritus apud eundem: 'Annunciabitur Domino generatio ventura, et annunciabunt cæli justiciam ejus populo qui nascetur, quem fecit Dominus.' Et item: 'Emitte spiritum tuum, et creabuntur, et renovabis faciem terræ.' Tunc etiam, cum sc. emittitur S. Sanctus in eos qui fonte vivo baptismi abluuntur, renovatur facies terræ: quia anima hominis terra quidem spiritalis, quæ prius erat inanis et vacua, nunc cælesti imbre S. Sancti irrigata, fœcunda fit, et fructifera. Fit enim tunc, secundum (ut relatum est) Apostolum, nova creatura. h. e. (ex interpretatione M. Lutheri) 'novus homo, qui' (E. h. 4.) 'secundum Deum creatus est, in justicia et sanctitate veritatis.' Juxta Psalmum LI. 'Cor mundum crea in me, Deus.' Et 'observa,' inquit, 'justicia veritatis ad spiritum pertinet, sanctitas veritatis ad carnis mundiciam: ut justus in spiritu per fidem, et mundus in carne per castitatem vivat. Nam veritatis dicit, contra justiciam et sanctitatem speciei et simulationis, quæ ex lege sunt, nec faciunt novum hominem; nec secundum Deum, sed secundum hominem vivit et formatur, quicunque

est hujusmodi.' Sic Jacob. I. 'Voluntarie enim genuit nos verbo veritatis, ut essemus initium aliquod creaturæ ejus.'

Lavacrum] A lavando dictum, et significat balneum. Græce baptisterium, ἀπὸ τοῦ βάπτω, i. e. lavando, quo quis commode lavari possit. Scribendumque est lavacrum, ut Clitoveus admonet, sine spiritu in tertia syllaba, mediaque producte proferendum, sicut aratrum, simulacrum, ambulacrum. Baptisterii vocabulo Plinius junior et Sidonius e nostris usi sunt. Apud Prudentium nostrum extat Baptisterii nomine locus ubi martyres passi sunt.

Corona] Redemptio et liberatio generis humani.

Ex sanguine] Morte Christi, qua et opus salutis restitutionisque nostræ prorsus completum finitumque est; et Christus victoriosissimus sibi coronam, quæ non nisi victoribus tribuitur, debellatis dæmonibus hostibus adeptus est. A corona differt sertum: est enim catholica dictio, corona; serta specialis: continens duntaxat coronas quæ dicuntur Serviæ, quæ multis et multicoloribus floribus contexebantur, dictæ Serviæ, quod (autore Gellio) mancipia jure belli capta coronis induta veniebant, VII. 4. apud quem item extat lib. v. caput de coronis militaribus: quæ cum vulgus ipsum cognoscat, consulto hic præterimus, calamum ad minus hactenus recepta versari, quo novitate et varietate simul Lectoris animum (si quis unquam istius opellæ nostræ erit) a fastidio levemus. Corona igitur Græce διάδημα, θριγκὸς, κρήδεμνον, στέμμα, στέφανος, στέφος, ταινία. Corone, quæ vox animal signat quandoque, quod Appion larum esse credidit, h. e. fulicam; et ethyriam, i. e. mergum, alii cornicem interpretantur, interdum vero cricum hostii, i. e. annulum, dicitur et Corone in arcu, h. e. summum cornu et incisio, ubi nervus sedet. Unde inquit Eustathius: 'Bonum rerum finem, auream coronen, proverbium coronen dicit.' Locum adnotat Cælius, ubi id nomen positum est pro virilis membri summitate. Coronis deminutum facit. Est autem coronis quandoque montis vertex, aut structuræ summum: quandoque vero, quod in libri fine ponitur. unde est proverbii origo, Coronida imposuisse: significat ultimam rei manum admotam. Et sectarum summum ita vocant, κορωνὶς τῆς σοφίας. Signat et navis puppem, quod sit in ejus apice curvatum rostrum. Est item species ficus, quam et Coracinum vocant: quod fici similes corvis videantur colore. Coronis vero in libri calce apponi solita fere hanc præfert figuram primam. nam Aristophanis interpretes scribunt, esse lineam brevem utique, sed ab inferiori parte flexam. Ex iis vero amplius Martialis carmen illustratur, ex lib. x. 'Si nimius videor, seraque coronide longus Esse liber, legito pauca, libellus ero.' Hinc est illud Plutarchi elegantissimum, in Sermone qui est, 'An seni administranda resp.' 'Qui vero,' inquit, 'civilibus actionibus, et certaminibus innutritum non permittit ad facem et vitæ coronidem progredi, prorsum ingratus est.' Observatum in Pausaniæ monumentis, Deam quoque in Sicyonia Coronidem coli. Cujus tamen simulacrum peculiare templum habeat nullum: sed cum sacrificii appetit tempus, id in Palladis transferunt sacraria, honoreque prosequuntur. Porro antiquissimum coronarum genus ex lana fuit, autore Verrio. Ex Plutarchi Symposiis et Athenæo discimus, veteres coronatos, h. e. sertis ornatos, convivia agitasse. Tibullus: 'Jamdudum Syrio perfusus tempora nardo, Debueram sertis implicuisse comas.' Valerius De instit. antiq. scribit: 'Ionas primos unguenti, coronarumque in convivio dandarum, et secundæ mensæ ponendæ consuetudi-

nem, haud parva luxuriæ irritamenta, reperisse.'

Sanguine] Antiqui pro sanguine, voce notissima, hoc sanguen dicebant. Autor Priscianus lib. VI. adnotans super hac re testimonia priscorum. Est et sanguen arbor, quæ Virga sanguinea vulgo. A Columella sanguinaria herba dicitur a sanguine sistendo, quam polygonon Græci dicunt. Cato apud Gell. III. 7. 'Eumque inter mortuos vulneribus atque spirantem quod sanguen defluxerat, cognovere.' Sanguinem hic pro morte interpretatus est, quod in sacris literis pro peccato sæpius animadvertimus usurpatum: quoniam deficientem sanguinem insequitur mors. Nam inter humores sanguis longe præstantior censetur: siquidem est spirituum materia, quibus maxime stat vita et virtutis vegetatricis operatio, atque item animalis. Deinde quia ad vitæ principia accedit amplius, cum sit attemperati caloris, humectique. Præterea alit efficacius, instauratque, quod intercidit. proinde naturæ thesaurus habetur: et (ut Plato inquit) carnium et universi corporis pabulum, quo pereunte confestim insequatur mors.

88 *Vidit anguis*] Anguis, Sathanas. Qui dum virus insanabile infundit, aspis est: dum princeps superbiæ et summus dæmonum tyrannus, plus cæteris pravitatis habens, basiliscus: dum furens et frendens, quærens quem devoret, leo: dum ex insidiis occupans, et obliquis involutationibus, draco. Habet et alia in sacris literis nomina, quorum aliquot a nobis relata sunt in Commentariis Staurostichi. Anguis, serpentis genus est, vulgo notum. Hunc ex medulla hominis spinæ gigni, Plinius autor est. Volunt alii angues proprie aquarum esse. Maro: 'Immensis orbibus angues Incumbunt pelago.' Idem tamen dixit: 'Frigidus, o pueri, fugite hinc, latet anguis in herba.' Angues masculino genere dici, Virgilius est testis carmine jam citato, et alibi plerisque in locis. Angues fœminino Plaut. Amphyt. 'Devolant angues jubatæ in complnvium duo.' Varro Atacinus: 'Cujus ut aspexit torta caput angue revinctum.' Marcellus est autor. Pilades apud Plautum *jubati* legit. Cæterum Lucanus in nono multis versibus describit genera et naturam serpentum.

Vidit] Ex effectu. Nam mysterium crucis ante Christi passionem diabolo ignotum fuit, ut cum Origene gravissimi religionis nostræ autores sentiunt. Video, a visu, Varro ait de L. L. lib. VI. Quinque enim sensuum maximus est oculus. nam cum sensus nullus, quod abest mille passibus, sentire possit, oculorum sensus visusque pervenit ad stellas. Ad animum quoque transfertur. Et ex Grammaticis sunt qui tradunt: 'Videmus proprie animo, cernimus oculis:' Ciceronem advocantes, qui inquit quadam in epistola: 'Summa tamen eadem est, idem exitus, quem ego tam video animo, quam ea quæ oculis cernimus.' Quanquam usu hæc sunt confusa, ut et pleraque alia id genus Grammaticorum placita.

Immolatam hostiam] Quemadmodum prædixerat Esaias: 'Sicut ovis ad victimam ductus est, et sicut agnus coram tondente mutus, sic non aperuit os suum.' Quod cum in Actis Apostolorum reginæ Candacis Eunuchus rheda veheretur, et legens non intelligeret, interpretante Philippo super passione et nomine Salvatoris, intellexit. Et statim baptizatus, in Agni sanguine quem legebat, vir meruit appellari. Et Apostolus genti Æthiopum missus est. Hæc victima, hic Agnus de seipso loquitur in Hieremia: 'Ego quasi Agnus mansuetus, qui portatur ad victimam.' Et apud Apostolum: 'Nam et pascha nostrum pro nobis immolatus est Christus.' Quem Erasmus locum adnotans, dicit inge-

nue, nostræ lectioni, cui deest *Pro nobis*, magis accedere. Sed et in lib. Revelat. Joan. ‘ agnus occisus ’ sæpe memoratur.

Hostiam] Sacrificium. Ovid. Fast. I. ‘ Victima, quæ cecidit dextra victute, vocatur : Hostibus a victis hostia nomen habet.’ Servius censet hostias dici sacrificia, quæ ab iis fiunt, qui in hostem pergunt : victimas vero, quæ post victoriam. Sed et hæc confunduntur licenter, ut idem est autor. Nonio placet, hostiam ab eo dictam quod est hostire, i. e. comprimere, retundere, offendere, cædere. Majores, Donato teste, hostias harugas dicebant, ab hara, in qua concludi consueverunt. Macrob. lib. III. Sat. genera hostiarum tradit. Hic referendum id, quod versiculis Ovidianis jam relatis lumen infert, hostiam post cæsos hostes a quovis sacerdote, victimam vero ejus qui vicerat manibus immolari. Meminit et hostiarum succidanearum, item præcidanearum atque bidentum, Gell. lib. IV. et XVI. Porro de legibus Judaicarum victimarum legis in Levitico.

Sacri corporis] Sacri epitheton variis adjici rebus, docet Cælius VII. 12. Illud adjiciam, Codrum Urceum hoc poëtæ, ‘ Quid non mortalia pectora cogis, Auri sacra fames ?’ secus, atque ab interpretibus acceptum legimus, multo eruditius exponere.

Immolatam] Solebant Romani farina et sale et mero facere pultem, quam molam appellarunt, et sacrificaturi vergebant inter cornua victimæ : unde fit immolo verbum, quod est sacrifico.

89 *Vidit*] Repetitio verbi habet pathos, ut illud : ‘ Æneas ignarus abest, ignarus et absit.’

Perdidit] Amisit.

Venenum perusti fellis] H. e. imperium mortis, quod invidus dignitatis humanæ callida mendacique arte occupavit, statim atque primum parentem decepit. Eundem iniquitatis livorem etiam nunc habet circa nos proculdubio. Non quiescit enim unquam adversarius noster diabolus, sed ‘ tanquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret.’ Qua de re copiosius Origenes in Commentariis in Jobum. Indifferens nomen est venenum, et a conjunctis significatum accipit : nam bonum et malum venenum dici potest ; utque Latine venena, sic Græci pharmaca, quæ potu necant, quæ medicamenta vocant : ut apud Jureconsultos Caius ait.

Perusti] Consumpti, sc. invidia : cujus sedes fel habetur. estque hominis, atque adversus hominem duntaxat. Neque enim inter feras invidia fuerit, ut quibus nullum sit de felicitate alterius judicium ; neque gloria titillentur, aut dedecore moveantur, quibus rebus incrementa invidiæ subjiciuntur. ‘ Est enim invidia, ex proximi commodo proveniens dolor, originem ex superbia ducens,’ sicuti interpretatur Augustinus.

Fellis] Hoc in jecore est, non omnibus animantibus datum ; nam equi, muli, asini, capræ, apri, cameli, delphini non habent. Sed paucis hominum non est, quorum (ut ait Plinius) valetudo, forma, et vita longior. ‘ Est autem fel,’ eodem autore XI. 37. ‘nihil aliud quam purgamentum pessimi sanguinis, estque ejus virus maximum,’ ut ibidem explicat. Unde apte ad iniquitatem dæmonicam, quæ omnium maxima est, Prudentius transtulit.

90 *Saucius multo dolore*] Maro : ‘ At regina gravi jamdudum saucia cura.’ Saucii, Marcellus ait, dicuntur proprie vulnerati, non mœsti : sicut vult consuetudo. Accius Phœnissis : ‘ Ubi nunc vestra mœnia omnes saucios convisit, ut curentur diligentius.’ Turpilius Epiclero : ‘ Patrocinantem ubi factum audiverit saucius.’ Sallustius Hist. lib. II. ‘ Avidisque ita, promptisque ducibus, ut Metellus ictu tragulæ sauciaretur.’ Virg. Æn. II. ‘ Qualis mugitus, fugit cum saucius

aram Taurus.' Idem vII. 'Saucius at quadrupes nota intra tecta refugit.' Varro de vita pop. Rom. lib. IV. 'Itaque multis civibus ex utraque parte sauciis, multis occisis, fugatur.'

Multo] Immodico, infinito. Unde multum et satis eo distant, quod Multum infinitum est, Satis finitum.

Dolore] Cruciatu: a dolando, i. e. minuendo, dolorem derivant, quod dolore minuantur corpora. Cic. Quæst. Tusc. IV. 'Dolor,' inquit, 'ægritudo crucians:' subjicitque illum ægritudini, ut generi, sicuti invidentiam, æmulationem, obtrectationem, misericordiam, angorem, luctum, mœrorem, ærumnam, lamentationem, sollicitudinem, molestiam, afflictionem, desperationem. Dicere autem invidentiam maluit quam invidiam, tanquam invidiæ nomen ambiguum sit, cadatque in utrumque, et in eum qui invidet, et in eum cui invidetur. Unde potentia et opes invidiosæ dicuntur. 'Utendum est enim,' inquit, 'dicendi causa, verbo minus usitato: quoniam invidia non in eo qui invidet solum dicitur, sed etiam in eo cui invidetur.'

Fractus colla] Figura synecdoche. Hæc, Quintiliano docente, variare sermonem potest, ut ex uno plures intelligamus, parte totum, specie genus, præcedentibus sequentia, vel contra: omnia liberiora poëtis quam oratoribus; nam prosa, ut mucronem pro gladio, et tectum pro domo recipiet, ita non puppim pro navi nec abietem pro tabellis. et rursus, ut pro gladio ferrum, ita non pro equo quadrupedem. Collum distribuitur in cervicem et jugulum: estque collum gutturis et gulæ causa ab opt. max. Deo attributum: Guttur spiritus causa est; hoc siquidem halitum animantia trahunt, redduntque. Proinde quæ pulmone carent, neque item collum habent. Hinc gutturosus dicitur Jureconsultis. Gula vero est, qua cibus et potus devoratur; οἰσοφάγον vocant Græci, ab longitudine angustiaque cognominatum. Quæ colli expertia sunt, gulam manifestam non habent; sed nec habere necessarium. Et instrumentum spirationi accommodatum longitudinem habere oportuit. Propterea Galenus, VIII. De juvamentis, ob pulmonem esse præcipue collum scribit. Γειλαύχενας Græci vocant prætenues homines, et colli oblongioris. Collare, Nonius ait, vinculi genus, quo collum astringitur: advocat Lucilium.

Sibilat] Verbum notæ est significationis, quod et de ventis aliisque rebus dicitur. Veteres etiam sifilare protulisse palam est.

91 *Quid tibi*] Invehitur in principem tenebrarum, sicuti Propheta ex persona justorum morti internecione deletæ insultat: 'Absorpta est mors per victoriam: ubi nunc tuus, o mors, aculeus? ubi tua, inferne, victoria?'

Serpens] Diabole: cui secundum Scripturam dictum est, 'Super pectus tuum ambulabis:' 'ut calliditatem et versutias cogitationum ejus aperiret, quod omnes gressus ejus nequitiæ essent et fraudes,' ut ait auctor Quæstionum Hebraicarum. Et quia involutæ, flexuosæ, et obliquæ sunt dæmonicæ versutiæ et calliditates, haud inconcinne a Prudentio, in hymno ante somnum, mæandri appellantur: siquidem (ut adnotatum est ibidem a philosopho et theologo præclaro Clichtoveo) veteres obliquitates omnes mæandros appellarunt; a Mæandro fluvio, crebris flexibus ita sinuoso, ut ad originem reverti credatur.

Prophane] Hoc epitheton omnium malignorum spirituum malignissimo jure convenit, ut ex verbis beati Ignatii colligimus, quibus ipsum Sathanam sic objurgat: 'Tu incensor, draco, apostata, serpens perplexus, a Deo discedens, a Christo separatus, a Sancto Spiritu alienus, et a choro Angelorum exulans, injuriator, legis Dei

et legitimorum inimicus, qui super protoplastos insurrexisti, et a mandato Dei avertisti eos qui nihil te læserunt, qui adversus Abel Cain parricidam excitasti, qui in Job mala exercuisti. Tu ergo hujusmodi dicis Domino, Si cadens in terram adoraveris me? O audacia, o puniende serve fugitive, serve flagellande, exterminator bonorum; Domino dominorum, perfecto Deo omnium intelligibilium atque sensibilium dicis, Si cadens adoraveris me?' Auctore Festo, sunt fana a fando, quod ea pontifex per certa verba dedicat. Inde profani dicti, qui sacris initiati non erant: quod Virg. Æn. VI. significat, cum inquit; 'Procul o procul este profani, Conclamat vates.' nunc laicos vocamus, quasi populares. Laicum enim vulgo attrectabile significat; sicut sacrum dicitur et sanctum, cujus tactu populo interdictum est. Sic accipiuntur laici panes, primo Regum cap. XXI. ad sacrorum differentiam; et Ezechielis ultimo. *Profana urbis* proprie accipiuntur pro iis partibus, quæ usibus populi et usui promiscuo dedicatæ sunt.

Quid profuit tibi] Quid rei, quid commodi tibi attulit?

92 *Perculisse*] Percellere proprie urgere et impellere significat. Scribit Gell. II. 22. 'Circium ventum, armatum hominem, plaustrum oneratum, percellere.' Donatus exponens in Eunucho hæc Parmenonis verba, 'Perculeris jam tu me?' indicat proverbium, 'Percellere plaustrum:' quod, explicante Roterodamo, apparet dici solitum in eos, qui quempiam impellunt, quo suapte sponte jam propendebat. Translatum a plaustris onustis, quæ, quo exonerentur, solent everti. Fit autem id commodius in eam partem, in quam propter solum declivius inclinant. Ab hac, subdit Erasmus, sententia non abhorret Plautinum illud in Curculione: 'Qui monet, quasi adjuvat.' Verba sunt lenonis, qui libentius sit mutaturus fidem, admonitus a trapezita, quod tamen vel citra monitorem erat facturus. Sunt tamen qui in Donatò ambigi posse vident, mendum sit necne; cum Austrum percellere, ventum naufragium molientem, sit proverbialis locutio, qua Plautus utitur in Epidico, et Paulus (quod ab Erasmo adnotatum est) non gravatus est uti in epistolis suis; vel propter populos illos, de quibus meminit Gellius, qui cum Austro bellum gesserunt, vel quod ictus irritos facit, qui cum Austro pugnat; vel ab iis qui exercentur ad artem gladiatoriam, ensem per aëra ventilantes.

Primum plasma] Primum parentem Adamum, quem Deus formavit ex limo terræ, ut in sacra Genesi est, ἀπὸ τοῦ πλάσσειν, quod 'fingere' est; unde et plastes dicitur, h. e. fictor, et opus ipsum plasma, a quo recentiores quidam plasmare verbum deducunt; et plastice dictio apud Latinos usitata, ars fingendi ex argilla imagines. Et primum quidem plasma recte dixeris Adamum, non autem creaturam. Palam enim est, Deum primo dierum omnium condidisse mundum; et postremo operum suorum die, post bestias terræ juxta species suas, jumenta et omne reptile in genere suo; demum hominem e terra ad imaginem et similitudinem suam creasse, cui subjecit pisces maris, et omneis terræ animantes.

Versipelli] Doloso. In utramque facilis partem verborum concinnator, proprie versipellis dicitur; veluti pellem verteret, et in aliam figuram transiliret.

Hortamine] Suasu, quo primos parentes ad esum fructus vetiti ligni induxit; et mox eo gustato omnem ut ante dixi, in eis humanam propaginem in mortis barathrum pertraxit.

93 *Mortalis*] I. e. humana.

Forma] Natura. Forma nanque re-

bus a natura constantibus accommodatur, ut figura ab artificio; nempe a fingendo. At usu confunduntur, ut et figuræ de rebus tum natura, tum arte constantibus dicantur, non minus etiam et formæ figura de rebus natura constantibus, ut: 'Qua nimium placui tellus, ait, hisce: vel istam 'Quæ facit ut lædar, mutando perde figuram.' 'Poturæ te Nile grues, primoque volatu Effingunt varias casu monstrante figuras.' 'Contigit, ut quædam, sic non manifesta, videri Forma potest hominis, sed uti de marmore facta.' 'Sculpsit ebur, formamque dedit, qua fœmina nasci Nulla potest, operisque sui concepit amorem.' Figura etiam dicitur de magnitudinibus, quæ termino vel terminis conclusæ sunt: termino ut circulus et sphæra: terminis, ut triangulus, quadratum, quinquangulus, cubus, pyramis, et similia. Forma autem et de iis numeris dici reperitur, qui suis unitatibus dispositi, figuras ferme magnitudinum imitantur ac repræsentant: ut hæ sunt formæ numerorum, trigonus, tetragonus, pentagonus, altera parte longior, ante longior, tessera, pyramis, columnaris, seratilis. Forma etiam de naturæ magnitudinibus (ut et dictum est) dicitur: ut forma hominis, forma equi, forma leonis: secundum quam et unumquodque aut formosum aut deforme dicitur. imo et lineam, et superficiem, et trigonum et circulum, et hujusmodi pulchra formosaque dici volunt, quæ decentius deformata delineataque conspiciuntur. Albertus noster autor est, Democritum formam non dixisse omnem substantialem, sed accidentalem, quæ est figura, et color, ex situ atomorum causata.

Recepto Deo] Assumpta divinitate, quam dissimulans Christus se filium hominis appellat. At non quilibet Adæ filius, sed eximius ille filius hominis, humani generis restitutor.

Diluit culpam] Quod proprie est reorum. At 'Filius hominis, cum non cognovisset peccatum, pro nobis peccatum factus est:' et quod, juxta Apostolum, nos pro nostris debebamus sceleribus sustinere, 'ille pro nobis passus est, pacificans per sanguinem crucis suæ sive quæ in terra sive quæ in cælis sunt.' Facta est autem dilutio culpæ, ordinatione immensæ Dei sapientiæ, et peroppposita iis quæ lapsum humani generis induxerunt, et persimilia iis quæ ruinæ fuerunt instrumenta: nempe ea satisfactio non in fastu regio, nec jactantia honoris ac gloriæ fieri debuit, eo quod originale peccatum, a Messia expiandum, de superbia et elatione pullulavit: quin potius in humilitate ac tolerantia, non in curribus et in equis, sed in nomine Domini Dei nostri: et non in victoria, nec humano triumpho, sed in labore, jejunio, vigiliis, fortitudine animi, contemptu cenodoxiæ, misericordia compassibili, amore Dei præcipuo, dilectione hominum recta, et in ipsa tandem heroica, liberali, ac spontanea morte: quoniam contra vitium sola virtute pugnatur: et imperia, principatus, stemmata, coronas hujus seculi nemo sapiens unquam magni duxit. Quin hoc est sapere, gloriam hujus mundi contemnere: quoniam 'cum interierit gloriosus dives, non sumet omnia' (ut inquit Psaltes), 'neque descendet cum eo gloria ejus.' Quicquid igitur de trophæis et de subjectione populorum scribitur in literis consecratis, id omne post creditam nihilominus historiam, si quæ facta enarrantur, de mundo tamen intellectuali et supernis potestatibus a Cabalistis (tradente Reuchlino) intelligitur: ita ut Messia, rex futurus, optimo jure levia et abjecta hæc istius seculi deliramenta, magistratus, honores, et regna, tanquam vana et stulta, non modo neglecturus sit, verumetiam contempturus: qui ad abolendum humanæ speciei reatum,

et ad aperiendum virtuti viam adveniat.

Culpam] Reatum, peccatum: hoc loco hæc est ejus, secundum Donatum, qui nescius aliquem læsit. Si postrema hæc duo carmina per submutationem, i. e. per adversum intellexeris, lucidior erit sensus: scilicet divina natura recepto homine, h. e. humanitate, destruxit peccatum, per quod mors mundum occupavit.

94. *Ad brevem se mortis usum*] Innuit hic Dominicæ resurrectionis mysterium, et simul causam ejus exprimit. Hoc autem, cum naturæ leges juraque procul transilierit, et difficilius et tardius quam cætera nostræ redemptionis mysteria receptum atque persuasum est mentibus humanis. Nam et discipuli post multas manifestationes Christi a mortuis suscitati ipsis factas, post multa itidem argumenta, signa et indicia, quibus præbuit seipsum illis vivum, adhuc subdubitarunt de illius resurrectione. ut jam in cælum ascensurus Christus exprobraverit illis incredulitatem illorum, et duritiam cordis ad credendum. Athenienses item, audita resurrectione mortuorum ab Apostolo, cum stans in medio Areopagi, verba vitæ et salutis æternæ ipsis annunciaret, irriserunt eum. Quod autem Dominus post resurrectionem suam visus sit Cephæ, i. e. Petro, et Apostolis omnibus simul, et pluribus vicibus, testatur Joannes. Quod vero supra quam quingentis fratribus et Jacobo, nullus quatuor Evangelistarum expresse depromit. De apparitione autem facta Jacobo, Hieronymus testatur, se legisse in Evangelio quod secundum Hebræos appellatur: 'Dominus autem ivit ad Jacobum, et apparuit ei. Juraverat enim Jacobus, se non comesturum panem ab illa hora qua biberat calicem Domini, donec videret Dominum resurgentem a mortuis. Et Dominus ait: Adferte mensam et panem. Quo facto, tulit panem, et benedixit ac fregit, et dedit Jacobo Justo, et dixit ei: Frater mi, comede panem tuum, quia resurrexit filius hominis a dormientibus.' Hæc se legisse dicit Hieronymus. Quod plus quam quingentis fratribus semel apparuerit, id Apostolus et ex revelatione et ex vivæ vocis oraculo cognovisse poterat. nam dicit: 'Plures eorum adhuc manent.' et Martialis etiam, unus discipulorum Christi, in epistolis scriptum reliquit, se eum vidisse. Et Ignatius in suis scribit ad Smyrnenses: 'Ego autem non solum natum eum et crucifixum, in corpore passum scio, sed etiam post resurrectionem in carne eum novi.' Et quod a Paulo visus sit, in Actis legitur: et Corinthi Dominum ei apparuisse. et in Hierusalem cum oraret, Dominum vidisse præcipientem ei: 'Festina, et exi velociter ex Hierusalem, quia non recipient testimonium tuum de me.' et insuper addentem: 'Vade, quoniam ego in nationes longe mittam te.' Verum ut ambiguitas omnis tolleretur, in Symbolo quod Apostolorum vulgus appellat, adjecta est particula Secundum Scripturas, ex priore Pauli ad Corinthios: 'Qui tradit,' inquit, 'nobis in primis quod et acceperam, quod Christus mortuus fuerit pro peccatis nostris secundum Scripturas.' Igitur cum Scripturis sacris indubitato credendum sit, absque ulla hæsitatione et Christum a mortuis resurrexisse, ut perhibent Scripturæ, credendum est. Quanquam sunt, et inter eos Ambrosius præcipue, qui pulchre astruunt resurrectionis fidem, quam Prudentius noster (quem Faber primo in Paulum Commentariorum sub nomine cujusdam sanctorum advocat) et Christi et carnis humanæ resurrectionem gravi carmine confessus est. E quo subjicere libitum fuit, quibus sese alloquitur, hosce versiculos: 'Pel-

lite corde metum, mea membra, et credite vosmet Cum Christo reditura Deo, nam vos gerit ille, Et secum revocat; morbos ridete minaces, Inflictos casus contemnite, tetra sepulchra Despuite, et surgens quo Christus provocat, ite.'

Dux salutis] Jesus Christus. 'Nec enim' (Petrus ait repletus Spiritu Sancto) 'aliud nomen est sub cælo datum inter homines, in quo oporteat nos salvos fieri.' Ex Commentariis Cæsaris colligimus, inter Ducem et Imperatorem differre, ut inter primum et primo proximos. Nomen est duorum commune generum, ut princeps et comes. Quare indoctorum sunt hæ voces, ducissa, principissa, comitissa.

Se obtulit] Quia ipse voluit, oblatus est: non enim necessitate crucem, sed voluntate sustinuit, dicens in Evangelio: 'Calicem quem mihi dedit pater, non bibam illum?' Et ad Petrum, qui scandalizabatur a crucis nomine, quia non noverat mysterium, et humano pavore trepidabat: 'Vade retro me, Sathana; scandalum es mihi: quia non sapis ea quæ Dei sunt, sed quæ hominum.' Alioquin si non esset propria voluntate oblatus, qui indicari et prædicere poterat proditorem, et Apostolis loquebatur: 'Omnes vos in nocte hac in me scandalum sustinebitis?' poterat eos, qui ad se missi fuerant, declinare, quibus occurrit intrepidus, et ultro se obtulit dicens: 'Quem quæritis? qui statim ceciderunt retrorsum.' Vocem enim præsentis Dei ferre non poterant. Cæterum quod hostia pro peccato sit Christus, et oblatus sit pro purgatione peccatorum, omnes Scripturæ testantur: quarum aliquot testimonia superius advocavimus, et præcipue Pauli ad Hebræos scribentis: 'Hoc enim fecit semel, semetipsum offerendo hostiam.'

Ad brevem usum mortis] Alludit ad illud Propheticum: 'Ego dormivi, et soporatus sum, et exurrexi, quia Dominus suscepit me.' Exponit Faber, pietatis plena anima, cujus paulo inferius verba de duplici morte subscribam: 'Ego in morte quievi, in sepulchro jacui, et a morte excitatus sum: quia me pater sustinuit, et in vitam revocavit me.'

Brevem] Parvum: opponitur longo breve: descenditque (Festo autore) a Græco quod est βραχὺ, a quo bracca indumenti genus, a cujus habitu Gallia braccata aliquando dicta, cum reliqua a nutriendi capilli studio comata diceretur. Quanquam sint qui toti id nomen Galliæ tribuant, illo Lucani versu moniti: 'Crinibus effusis toti prælate Comatæ.' A breve fit breviarium, opus concisum: Græce genere fœminino Epitome dicitur. Invaluit autem perversa consuetudo, ut Epitoma neutro genere dicatur: unde Epitomata libros Flori inscribunt. Id autem (Budæo teste) nec analogia, nec usu, nec autoritate doctorum defendi potest, erroreque eorum ductum arbitratur qui epitoma, ut epithema et anathema, et similia dici putaverunt. Tranquillus Breviarii vocabulo in Augusto usus est: 'Fecit et breviarium totius imperii, quantum militum sub signis ubique esset, quantum pecuniæ in ærario et fiscis, et vectigaliorum residuis.' Breviarium autem Tranquillo hic volumen est ferme, aut libellus, quem Statum generalem vocamus, quo singulis annis princeps tam de ærarii pecunia, quam de fiscali statuit, quid eo anno fieri velit, quam summam instrumento ministerioque omni aulico expensam ferri placeat. In eo etiam breviario princeps anniversaria constitutione stipendia quædam augeri, quædam circumcidi, quædam expungi eradique jubet. Unde erasi appellati Plinio in Panegyrico, quos extra statum positos dicimus. Brevis etiam et breve dici, idem Budæus adnotavit in lege ultima de conveniendis fisci

debitoribus. C. lib. x. 'Inter chartulas confiscati brevis quidam asseveratur inventus, qui nomina debitorum contineret.' Lampridius de Alexandro: 'Milites suos sic ubique scivit, ut in cubiculo haberet breves, et numerum et tempora militantium.' Flavius in Aureliano: 'Breve,' inquit, 'nominum conscripsit.' Nomina hic intelligenda sunt, capita breviarii, i. e. rationis, quibus expensæ pecuniæ feruntur. A brevi, diminutiva forma, breviculus deducitur. Hanc dictionem Alciatus restituit in Rubrica C. de sententia ex periculo recitandis, non dubitans quin legendum sit, *Et de sententiis ex breviculo*, h. e. ab schedula seu scriptura, pictatione. quia totus ille titulus tractat, quemadmodum sententiæ ex scripto recitari debeant.

Usum] Hoc loco ipsam utendi significationem habet: estque earum rerum, quæ nobis utentibus permanent: abusus earum, quæ nobus utentibus pereunt. Legitur: 'Cui legatus est usus bonorum, illi non est legatus abusus.' sunt enim hæc inter se contraria. 'Usus frequentia omnium magistrorum præcepta superat,' ut M. Cic. non semel dixit, et post eum Plin. ad Tac. 'Adjiciam, quod me docuit usus, magister egregius.' Quintilianus tradit xii. 6. 'Usum sine doctrina, quam citra usum doctrinam, plus valere.' Ab usu, usuarium, ex quo usum captamus, dicitur: et usura pro usu, apud Plautum, Ciceronem, Senecam, Apuleium, et alios. Interdum etiam significat fœnus: sed hoc differunt, quod usura est primum illud lucrum ex pecunia credita: ut fœnus, si statuto die non reddatur duplum aut quadruplum solvas, est usura usuræ.

Mortis] 'Quæ illi,' secundum Apost. ad Rom. cap. vi. 'amplius non dominatur: nam quod mortuus fuit, peccato mortuus fuit semel.' At hic advertendum est, duplicem esse mortem, primam et secundam. Prima, dissolutio est corporis et animæ: secunda, in gehennæ tormentis æterna, summæ vitæ privatio. Prima, invidia diaboli introivit in orbem terrarum: nam Deus creaverat hominem indissolubilem. Secunda autem primo loco debetur diabolo, qui ante hominem peccavit, et cujus suggestione peccavit homo: et secundo loco, hominibus qui diabolum imitantur. Prima mors in resurrectione universaliter erit absorpta in victoria immortalitatis, et indissolubilitatis animæ a corpore: nam mortem hanc primus parens mundo intulit. Secunda autem mors non tolletur: nam hæc non primi parentis, sed diaboli est; antequam enim homines essent, diabolo debita est, qui peccat ab initio, et qui reparandus non est. Ad primam mortem, stimulus et punctio, peccatum: aggravatio autem peccati, lex: i. e. legis transgressio. Post resurrectionem nihil amplius adjicietur, quod inducere possit dissolutionem: nulla amplius lex quæ transgredi possit, nulla amplius maligni suggestio. Nam omnis ejus tyrannis, licentia, et potentia sublata erit, et ultimo judicio ad æterna supplicia erit judicatus. Prima igitur mors omnino erit sublata, noxium peccatum sublatum, et lex medicina peccati sublata: nam in secunda morte nullus curabilis: et secunda et æterna vita nullius morbi susceptibilis. Sed dices: Si mors gehennæ, mors diaboli est, et ante homines introducta; ergo illa prima mors dici debet, et ea quæ in corporis et animæ dissolutione harmoniæ est, secunda. Verum dicis, si hominem ad angelum, et angelum quidem transfugam comparas: non autem, si semper in homine stas. nam dissolutio in homine præcedit hominis mortem gehennæ: et ideo jure illa prima, et hæc secunda mors dicitur. Cum igitur illam primam, et hanc secundam dicunt, semper ad

hominum statum aspici volunt, et de hominis morte esse loquendum: de qua id verissimum erit, 'Absorpta est mors in victoria: ubi tuus, mors, stimulus? ubi tua, inferne, victoria?' Sic et alteram vitam quam secundam appellamus, quæ est in adeptione summæ et æternæ vitæ, quæ (inquit Joannes) erat apud patrem, et apparuit nobis, boni angeli ante nos habuerunt: et nostra etiam prima, si angelos contemplamur, longe illa posterior. cum igitur illam secundam appellamus, nosipsos solum respicimus.

25 *Ut redire insuesceret*] Hæc una caussarum est, quibus curiosius de rebus sacris tractantes necessariam fuisse resurrectionem confirmant: scilicet, ut spes hominum fidentius excitaretur similitudine reviviscentis Dei. Redire, i. e. reviviscere.

Olim sepultos] Non ociose hoc adjicit, significans mortuos resumpturos sua corpora, et non nova, h. e. alia corpora tum specie, tum numero, ut quorundam error invexerat. 'Ruffinus scribit, referente Pico in Commentariis, 'in Aquileiensi Ecclesia moris fuisse, ut, dum caneret symbolum sacerdos, et deventum esset ad articulum resurrectionis, subderet (tollendæ scil. ambiguitatis gratia) 'hujus carnis resurrectione:' quæ tamen sine ulla pronominis expressione sublata videtur, si vis consideretur vocabuli: nihil enim aliud est resurgere, quam reviviscere, ut decernit Augustinus; et Damascenus resurrectionem definit, secundam ejus, quod cecidit, surrectionem. et sanctissimus ille Job scrupulum sustulit universum, de resurrectione ipsa scribens: 'Et in carne mea videbo Deum Salvatorem meum, quem visurus sum' (inquit) 'ego ipse, et non alius.'

6 *Dissolutis vinculis*] Amotis impedimentis. Dissoluti, ut nominis est, id genus ferme hominum qui asoti dicuntur verbo Græco, id est luxu et ganeæ studio perditi, et Latine nequam, verbo significantissimo: eorumque vitium asotia, quam Gellius luxum et popinationem interpretatur, de quibus Cicero de Fin. II. loquens ita inquit: 'Nolim enim mihi fingere asotos, ut soletis, qui in mensam vomant, et de conviviis auferantur, crudique postridie se rursus ingurgitent, qui solem (ut aiunt) nec occidentem unquam viderint, nec orientem, qui consumptis patrimoniis egeant. Nemo nostrum istius generis asotos jucunde putat vivere.' De hujusmodi quodam asoto jocus est ille oratorius apud Ciceronem, relatus in secundo dialogo de Oratore. Gallus olim testis in Pisonem cum innumerabilem Magio præfecto pecuniam dixisset datam, atque Scaurus tenuitatem Magii redargueret: 'Erras,' inquit, 'Scaure; ego enim non Magium conservasse dico, sed tanquam nudus nuces legeret, in ventrem abstulisse.'

Pristinorum peccaminum] Paterni, h. e. originalis peccati. plurale pro unitatis numero. Sic Christianus Maro: 'Quin et defuncti scrutatus corda satelles, Auratis inscripta notis invenit Iesu Nomina.' de Egnatio loquitur. In ejus corde, aiunt, dulcissimum nomen Jesu aureis elementis scriptum repertum fuisse. Hoc numero et peccatum apud Joannem cap. I. Evangelii sui legendum, adnotavit Erasmus super his verbis, 'Peccata mundi,' τὴν ἁμαρτίαν τοῦ κόσμου, i. e. peccatum mundi, numero singulari; ac plus quiddam expressit, quam si dixisset peccata. Hic agnus ipsa est innocentia, et solus a suis tollit peccatum: hoc est, ipsam tyrannidem, et vim omnium peccatorum, ut jam nullum sit in eis peccatum. Nam (quemadmodum idem Joannes in Epistola sua) summam omnis impietatis, et ceu medium vitiorum omnium, malignitatem vocat,

cum scribit mundum in maligno positum: ita hic peccatum mundi vocat, omnium vitiorum colluviem. Consentiunt cum Græcis exemplaribus duo vetustissimi codices, quorum testimonium non semel adduxit Roterodamus. Denique sic hunc adducit locum Origenes homilia x. in Numeros: De originis autem labe non est eadem hominum opinio. Siquidem Pelagiani et Manichæi hoc originis stigma humano generi inustum fuisse negant. Quin et e nostris recentiores, an peccatum parentum fuerit superbia, an fuerit gula, an fraus: an sit peccatum voluntarium, an sit privatio justitiæ originalis, an sit mollis concupiscentia, vel libidinosa cupiditas: an transfundatur cum semine, an a primi parentis voluntate proveniat, an consistat in carne vel in anima, summa etiam dissensione pronunciant: nimirum qui ament calumniosa certamina. Quæ futura prævidit Apostolus, admonens ab his abstinendum velut vanis ostentosisque quæstiunculis: cujus si sensum cognovissent, nunquam in tam spaciosum originalis peccati pelagus jactati fuissent. Sane latissimum est inter Apostoli et eorum disserendi modos interstitium: ut vere dixit Faber ille, Christiana pietate nobilis. Quin et magnus ille Roterodamus, qui ambulantibus in tenebris sophismatum lux tandem orta est, explicans Apostoli ad Rom. cap. 6. locum, quem illi totum ad peccatum originale referunt, admonet nobis videndum, ne plus satis oderimus Pelagianos: non quod nolit illorum explodi sententiam, qui negant ullum esse peccatum originale, sed quod nolit illud per occasionem affectate admisceri ubi non est opus, sive quod in ea disputatione libeat argutari: sive ut quemadmodum astrologi repertis epicyclis sese e multis difficultatibus expediunt, ita nos affectate ad hoc quæstionum κρησφύγετον passim recurramus: nisi forte nobis permittimus, ut in disputando cum adversario, qui vincendus est magis quam docendus, Scripturæ verba ad victoriam nostram utcunque detorqueamus, quod adversus Jovinianum pugnans Hieronymus facere videtur, nonnunquam et Augustinus. Hæc Roterodamus dixit, non quod faveat negantibus esse peccatum originis, sed quod nolit, si fieri possit, ullam vim fieri Scripturis divinis. Quin potius ex ipsa disputationis consequentia diligenter expendamus quid senserit Paulus, dispicientes quid hic agat, unde cœperit, quorsum tendat, et num consentaneum sit illum statim mysterium hoc gentibus aperire voluisse, quod hodie quoque magis creditur quam intelligitur, nimirum communi sensu reclamante.

Pristinorum] Pristinum a prisco ita distat, quod prisca sunt, quæ superioribus seculis, aut superiori ætate fuerunt: pristina vero, quæ superioribus annis, mensibus, diebus, et nostra memoria fuerunt. Aut si de rebus quæ non senescunt sermo habeatur, non priscum, sed pristinum dicimus: ut, Pharos et Tyrus nunquam in pristinum statum redibunt.

97 *Tunc patres, sanctique multi*] Scil. patefacta jam cælesti janua per passionem Christi, et eversa dæmonica potestate descensu ad Inferos Christi animæ, quæ divino verbo conjuncta erat, et corpori etiam, quod in sepulchro jacebat. 'Quod enim,' ut scriptum est, 'semel assumpsit, nunquam dimisit:' ut ex Clichtovei verbis cognosces, quæ retuli in Scholiis quæ in Iambicum rhythmum Divæ Annæ ab Erasmo inscriptum adjecimus.

Prævium] Siquidem, ut Apostolus scribit ad Corinth. cap. xv. 'Christus primitiæ eorum, qui dormierant, fuit.' Sed quomodo Christus primitiæ dormientium factus est, cum et Adam, et tam innumera ante eum multitudo

dormierit? Sane primitiæ dormientium est factus. Nam primus est, qui justus, et consummata quidem justitia justus, non debitor mortis, mortem oppetiit: cæteri autem qui præcesserunt, debitores mortis erant. Itaque primus justorum, atque adeo primitiæ justorum dormientium. Et quanquam ita est, videtur tamen Paulus potius hic intelligere, quod Christus factus est primitiæ dormientium, i. e. primitiæ ex dormientibus: quod et approbatio ejus ostendere videtur. Sed quomodo id, inquies, cum idem sit primitiæ ex dormientibus, et primus resurgentium a mortuis? Nunc autem ante Christum (suscitante Helia Propheta) filius viduæ Sareptanæ resurrexit a mortuis: resurrexit et Lazarus, et ii, quos Dominus ante passionem suam suscitavit. Id nosse oportet, duplicem esse resurrectionem: hanc perfectam, illam imperfectam: hanc veritatem, illam umbram: hanc cum immutatione; illam sine immutatione. Cum immutatione intellige, cum id quod mortale erat, induit immortalitatem, efficiturque immortale. Christus autem primus omnium completa resurrectione vera, et quæ per immutationem est, surrexit a mortuis: Christus, inquit, resurgens a mortuis non ultra moritur, mors illi ultra non dominabitur. Cæteri autem, qui ante Christum surrexerunt a mortuis, imperfecta resurrectione umbratili, et non per immutationem surrexerunt. Nam et filius viduæ, et Lazarus, et reliqui, quos suscitavit divina Christi benignitas, iterum mortui sunt: non igitur hujusmodi vera et consummata fuit resurrectio, sed umbra et figura veræ et consummatæ resurrectionis, quam in fine adipiscentur. Sed Christus vera resurrectione resurrexit, et ii proxime qui ob ejus honorem eum eo surrexerunt, ut eum ascendentem in altum comitarentur, quos et juxta eloquium duceret ex captivitate ducens captivitatem: qualem et nos in fine seculi miserante Domino expectamus, et resurrectioni Christi conformem: non Lazari, non cujusquam aliorum qui ante Christum Dominum surrexerunt, unusquisque in suo ordine, sua gloria, suo splendore. In primo Apostoli, et qui cum Christo fuerunt, et illi adhæserunt, et martyres in suo, et virgines in suo, et reliqua plebs sancta similiter in suo: quemadmodum Christus omnia sciens et potens, et scit et voluit.

Prævium] Antecedentem. Cic. 'Alcyon genuit claris dilapsus ab astris Prævius auroræ Solis noctisque satelles.' Nequeo præterire silentio, Antecessorum vocabulum non satis Latine accipi pro præmortuis: quod vel Justiniani Cæsaris titulus demonstrat. Quanquam non ignoro, nonnullos magis probare, quod pro antecessoribus in eo legatur *assessoribus*. Animadverti ego Peutingerum, Jurisconsultum egregium, non statim recipere, quod recognitum fertur ad libros Juris civilis, quos Florentini a Pisanis occuparunt: quod ex Ludovico Bolognino Bononiensi, viro non imi subsellii in Jurisperitorum schola, præceptore suo cognoverat. Non Imperatoris Justiniani germanas saltem, sed et longo post illum tempore ab librario quodam non satis Latino, quos vocant Pandectas exscriptas fuisse. Digestorum autem titulum, quo in iis Justinianus est usus, Peutinger, cui magna est diligentia in omni etiam disciplinarum genere, quarum habet supellectilem prædivitem, quosecunque depravatos codices emendandi his verbis ostendit: 'Imp. Cæsar Flavius Justinianus, Francicus, Anticus, Alanicus, Africus, Vandalicus: Theodoro, Tridoro, Taleto et Cratino antecessoribus, et Salominio viro disertissimo, Salutem.' Quantum hic titulus a communi Rubrica distet, conferens illum, quisque facile colliget. Quam probe vero jam

vides verbosissimi quidam cartas impleverint, super his verbis, In nomine Domini nostri Jesu Christi. Quæ exemplaria vera non habent. At curæ fuit religiosissimo Principi, Notariis præscribere formulam, quo triobolaris cujuspiam, vel potius (ut quod sentio dicam) usurarii, aut Simoniaci negocii conscribenda instrumenta rite auspicarentur.

98 *Revertentem*] Resurgentem. Quamvis enim tempore mortis Christi eorum monumenta fuerint aperta, non tamen dicuntur nisi cum Christo resurrexisse, ut ipse revera fuerit primitiæ resurgentium. Et per anticipationem illud a Matthæo narratum est: quemadmodum sæpenumero et multa alia in Scriptura, in describenda Christi passione, ut Clichtoveus admonet. Accedit huic sententiæ Prudentius; subdit enim: 'Tertio demum die sumunt indumenta carnis, eque bustis prodeunt.' Quanquam si quis expenderit ipsa Matthæi verba, apprehendet, hanc interpretationem nonnihil esse detortam: ut copiosius apud Erasmum legere est, explicantem hunc locum Apostoli, 'Ex resurrectione mortuorum:' ad Romanos cap. I.

Secuti] Siquidem non legimus eos in sua sepulchra, et in suum pulverem amplius rediisse, sed (ut dictum jam est) Christum ascendisse in altum, et captivam duxisse captivitatem.

Tertio die] Quomodo Christus dicatur resurrexisse tertio die, testimonio Erasmi Roterodami, Stapulensis ea de re in libello cui titulus est, 'De tribus Magdalenis et triduo Christi,' diligenter disseruit. At ipsi Erasmo nihil causæ videtur, cur ad tam coactam ac violentam confugiat interpretationem: cum nodus, quem hæc Marci verba, 'Post tres dies,' invexerunt, haud magno negocio explicari possit. Primum, si tertium diem numeremus non a morte Servatoris, sed a tota passione, quæ cœpit pridie Parasceves: cum jam iniretur consilium de comprehendendo Jesu, cum venderetur, cum tæderet ac mœreret. Siquidem passionis summam videtur et ipse Marcus suis verbis complecti: 'Et cœpit,' inquit, docere eos, quod oporteret filium hominis multa pati, et reprobari a senioribus, summisque sacerdotibus ac scribis, et occidi, et post treis dies resurgere.' Sic enim recensuit, ut 'post treis dies,' ad totum sermonem qui præcessit referri possit, non tantum ad id quod erat postremum, 'occidi.' Quemadmodum proximo capite recensuit: 'Filius hominis traditur in manus hominum, et occident eum, et occisus tertio die resurget.' Hic quoniam triduum numerat ab occisione, 'tertio die' dixit, non post triduum. Alter modus est, si per synecdochen accipiamus, factum post treis dies, quod factum sit post tertium diem exortum. Quemadmodum et vulgo loquimur, 'Ab eo die cœpit odisse me:' cum eodem die cœperit odisse, et, 'Post eum diem desiit amare:' cum eodem die desierit.

Die] Censorinus, in lib. de Die natali, explicat variam diei apud varias gentes observationem: aitque alterum naturalem, de quo rerum scriptores utplurimum loquuntur: alterum vero dici civilem. Naturalem quidem, ab Oriente Sole ad Solis Occasum: civilem, unum cœli circumactum, quo dies verus et nox continetur. Paulus de verborum significatione: 'Cujuscunque diei major,' inquit, 'pars est horarum septem primarum diei, non supremarum.' Per quod designatur, diem tantum fuisse duodecim horarum. In quam sententiam totis pedibus ivit Pedianus.

99 *Sumunt*] Resumunt. Picus in hymno ad Christum: 'Tunc mea, tunc

subito redivivus membra resumam.'

Indumenta carnis] Ipsa corporea membra, quibus anima ante dissolutionem veluti veste induta erat. Siquidem corporum duntaxat erit resurrectio, non etiam animarum. Nempe id resurrecturum est in novissimo die, quod per mortem intercidit in interitum. Animæ autem humanæ per mortem corporis non sustinent interitum, sed manent superstites: corpora vero hominum et sentiunt obitum, et dissolutionem in pulverem. recte igitur indumenta carnis dixit, cujus et nos credimus resurrectionem, juxta symbolum vulgatum: quæ eadem est et resurrectio mortuorum, secundum symbolum Nicenum.

Prodeunt] Egrediuntur. Veteres, pro prodeunt, prodinunt scripsere. Ennius: 'Prodinunt famuli cum candida lumina lucent.'

E bustis] Monumentis, sepulchris, conditoriis. Bustum proprie est locus in quo mortuus est combustus et sepultus. Dicitur bustum, quasi bene ustum. Nam antiquitas cadavera comburebat, ut in Legibus scribit Cic. Romæ Corneliorum primus Sylla cremari voluit, ut auctor est Plinius. apud Græcos bustum primus instituit Hercules, antea ignotum. Aliquando busta sepulchra vocamus. Servius pyras, busta, et rogos ita discriminat: 'Pyra,' inquit, 'est lignorum congeries: rogus, cum ardere cœperit: bustum vero, jam exustum vocatur.' Quem ordinem servat Virg. dicens: 'Ter circum accensos decurrere rogos.' Item: 'Semiustaque servant Busta.' Donatus vero sic refert in Æn. XI. Commentario: 'Busta sunt,' inquit, 'loca in quibus busta arserunt.' Primo enim pyra dicuntur, et rogi: postea busta vocitantur, ubi arserunt.' Apud Solonem pœna ex lege constituta est, si quis bustum violaverit, dejecerit. Bustum putat appellari M. Tullius, quod Græci tumbam vocant. A busto bustuarii gladiatores dicti, quod ante sepulchra depugnare solebant.

100 *Cerneres*] Cerneret quis: secunda pro tertia persona. Nonius: Cernere significat videre, ut hoc loco: rursum disponere, apud Lucilium: amittere, apud Varronem: indicare, apud Pacuvium: audire, apud Acciam. Cernere rursum, dimicare vel contendere, apud Plautum: 'Pro patria Amphytrio dum cernit cum hostibus.' Et apud Maronem: 'Inter se coiisse viros, et cernere ferro.' Cernere rursum, cedere. Unde et 'cernere hæreditatem filii patribus,' i. e. cedere dicti sunt.

Coire] Adunari, conjungi. Ulpiano 'societas coita' dicitur. Proprie autem coire est, simul ire. Pro, congredi, a Terentio in Phormione positum est. ubi Donatus: Translatio a prælio: nam et congredi milites, et coire dicuntur.

Aridis favillis] Extincto cinere. Est enim favilla, deserto igne. His autem verbis et sequentibus manifeste innuit Prudentius, animas iisdem numero corporibus, quibus excesserint, copulatum iri; quandoquidem animæ ad ea corpora suapte ferantur, quibus animalem vitam infuderunt. Ex quo præclare Avicenna ait animam quæ corpori cuipiam inesse cœperit, ita naturalem proclivitatem nancisci, ut illi uni adhærescens, a cæteris refugiat, in eoque tuendo occupetur.

101 *Frigidum pulverem*] Ut frigida mors. Pulvis erat apud antiquos, et pulver. Sed ab eo quod est pulvis, genitivus erit hujus pulvis: a pulvere autem, pulveris. Sed deinde in usu est pulvis in rectis tantum: pulver etiam in obliquis.

Tepescere] Tepefieri: repeteque verbum 'Cerneres.'

Resumptis venis] Resumpto sanguine: continens pro contento. Sunt namque venæ sanguinis receptacula,

ut arteriæ spiritus, Seneca tradente. A. Gell. tamen scribit XVIII. 11. 'Venam receptaculum esse sanguinis, arteriam vero ejusdem commixturæ: sed in qua spiritus plus, sanguinis minus.' Magnus etymologicus sententiam Senecæ comprobat. Aristoteles de venis multa lib. III. De Animal. Avicenna: 'Venarum munia sunt,' inquit, 'membris sanguinem insinuare.'

102 *Ossa, nervos, ac medullas*] Rursum repete verbum 'Cerneres.'

Tegi] Operiri, copulari et adunari. Ab hoc verbo, quod Philippus adnotavit nono Commentario in asinum aureum, protulit Apuleius Tegile, pro subligaculo tegumentoque verendorum, a tegendo ducto vocabulo. Plinius tradit, tegulo harundinum domos a Septentrionalibus populis operiri: ubi tegulum accipitur pro tegumento operimentoque domorum. Tegillum dixere veteres per diminutionem, pro tecto. Velamenta autem genitalium multijugis vocabulis dici, idem Beroaldus alibi adnotavit. Nanque subligar, subligaculum campestre, succinctoria, perizomata, fœminalia, femoralia, braccæ, et dictione Apuleiana tegile dicuntur. Tali autem tegili hodieque operarios pistorios in pane conficiendo uti videmus, verenda tantum convelantes, reliquo corpore nudato.

Ossa] Propter treis causas ossa tradunt principaliter facta: quarum una est, ut sint corporis fundamentum, in quo tota consistit machina corporis: sicut patet in spondylis, in quibus totum corpus consistit fundatum. Altera causa est, ut ossa sint arma corporis. Tertia, ut sint corporis sustentatio, sicut columnæ domus. Treis aliæ causæ sunt quorundam ossium, quorum quædam creantur ut repleant vacuitatem aliquorum membrorum, sicut parva quædam ossa replent vacuitates, quæ sunt inter articulos digitorum pedis et manus, quæ sunt fere in figura lentis, et a quibusdam vocantur ossa sesamina. sesama autem est quoddam semen parvum, cui similem habent figuram. Secunda autem est, quia quædam creantur ad hoc, ut suspensoria, ut in ipsa suspendantur quædam membra, quæ indigent suspensione: sicut os epiglottale in gutture, quod est simile lambdæ literæ Græcæ, in qua suspenduntur musculi gutturis et linguæ. Tertia quidem est, quia aliqua causantur, ut sint loco basis alicujus membri nobilis in homine vel in alio animali: sicut os cordis in homine, et aliis animalibus ossa cordis habentibus. Os creatum est vacuum, continuæ et unicæ vacuitatis, et porosum et durum: propter quod Empedocles dixit, majorem partem ossis Vulcano attribui, quia ignis indurat. auctor Albertus in animalium historia. Illud item observatione dignissimum, ossa in homine comperiri numero exactissimo, et in summa (ut dicitur) summarum ducenta quadraginta octo: sicuti in digitos misere diligentia præsigni Hippocrates, Galenus, Rasis, Avicenna, et Averrois quoque: quanquam hosce, iis mox singillatim recensendis, nonnihil dissidere animadverterim. Albertus 200. et 76. In capite connumerantur novem et quinquaginta: in thorace 67. cui supputationi accedat, quod in corde os reperitur, etiamsi ab universo id numero secludat Averrois *primo Colligit.* Id vero, Aristotele tradente, unam habet rationem, ut basis sit ac fundamentum motus cordis: nec id in omnibus repereris, sed in equis modo, et bobus, certo genere, ut idem arbitratur: Albertus id se vidisse tradit in cervis, et in homine quoque, et in multis præterea animalibus. Brachiis, manibusque, duo ascribuntur et 60. pedibus 60.

Nervos] Hos in corde habere ortum, Aristotelis sententia est: quoniam id nervulos suo ampliore ventriculo con-

tineat, et vena, quam Aortam dicunt, nervosa sit. Albido glutinosoque humore nervos et nasci et ali, idem affirmat autor. cujusmodi etiam humorem mucori assimilem eis circumjectum videmus. Avicenna et Galeni interpres nervos ab cerebro et nuca produci scribit: alicubi tamen Aristoteli hærendum est opinatus. Averrois Galenum sequitur, relicto Aristotele. At Albertus, vir doctior quam politior, (Cælius ait,) nervos a cerebro dividi tradit, dum ad pellem perveniunt cerebro obtentam: oriri autem a corde. Item alios dici sensuum vehicula, alios motuum: hos quoque ab occipitio produci, ab anteriore parte illos.

Medullas] Quod in osse media sit, quis ignorat dictam medullam, et adverbium notæ significationis medullitus?

Cutis] Hominis pellem Herodotus Anthropen nuncupavit.

103 *Post ut*] Postquam.

Resolvit] Scil. Christus: resolvit, destruxit.

Occasum vitæ] Peccatum. Nam is per peccatum introductus est. Hominem futurum fuisse immortalem, si non peccasset, non Christiana modo astruit veritas, (nempe ante peccatum terra sponte alimenta suggerebat accommoda, propterea apud Moysem Deus: 'In sudore vultus tui vescaris pane,') sed et Magi una cum Platone, carminibus suis parari immortalitatem posse, asseverabant. Zoroastris magiam nil aliud in Alcibiade putat Plato, quam Dei cultum. Et alibi idem Plato, non carminibus modo sancit, verum philosophicis item rationibus, et temperati animum et corpus, vel semper, vel diu saltem, a morte procul posse servari. Hoc nec Avicenna negaverit, qui animo in seipsum restituto, in corpora quævis, mirandam concessit potestatem.

Reddidit] Restituit, reparavit, reduxit.

Hominem] Adamum, h. e. genus humanum, quandoquidem Adam est humani generis appellatio communis, quo nomine terra natus significatur: eademque voce utrumque includi, marem fœminamque, probat Geneseos Scriptura: 'Masculum et fœminam creavit eos, et benedixit illis, et vocavit nomen eorum Adam.' Quo in loco testantur interpretes, dictionem Hebraicam id sonare, quod apud nos homo. Nam et Caius ait: 'Hominis appellatione tam masculum quam fœminam contineri.' Quamobrem Lactantium arbitror adcredidisse, videri appellatum hominem, quod sit factus ex humo. Sed etymon id Fabio non admodum arrisit: quasi vero non omnibus, inquit, animalibus eadem sit origo: aut illi primi mortales ante nomen imposuerint terræ quam sibi. Gel. IV. 1. definit: 'Homo est mortale animal, rationis et scientiæ capiens.'

104 *Victor*] Quod indomabili virtute, superata morte, surrexit ad vitam immortalem: vel quod (ut in hymno Sapphico canimus) mortis moriens ministrum exsuperaverit.

Ascendit] Quia descenderat. 'Nemo enim' (ut Nicodemo ait apud Joan. cap. III.) 'ascendit in cœlum, nisi qui descendit e cœlo, filius hominis, qui est in cœlo.' Unde Ambrosius ait: 'Descendisti quidem filius hominis, nec patri cum descenderas abfuisti: sed descendisti nobis, ut te oculis ac mentibus videremus, ut in te crederemus. Ergo et ascende nobis, ut te sequamur mentibus, quem oculis videre non possumus. Ascendisti Apostolis, quibus dixisti: Qui me videt, videt et patrem. Denique Joannes ubi te quæreret scivit. Apud patrem quæsivit et reperit, et ideo ait: Et verbum erat apud Deum. Ascendisti et Paulo: qui non contentus solus te sequi, nos quoque docuit quemadmodum te sequamur, et ubi te reperire possemus, dicens:

Si ergo consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est, ad dexteram Dei sedens.' Divus Hieronymus: 'Nunquid,' ait, 'corporaliter omnes cælos, et universas sublimitates, et cælorum circulos quos philosophi sphæras vocant, transiens atque transcendens, stetit in summo cæli fornice, et (ut ipsorum verbo utar) abside; an certe omnia corporalia contemnens atque despiciens, et æterna contemplans, super cælos, i. e. super invisibilia stetisse credendus est? Quod ego melius puto.'

Arduum] Sublime, utpote super omnes cælos: arduus enim interdum altum, excelsum, et sublime signat. Ovid. 'Mons ibi verticibus petit arduus astra duobus.'

Tribunal] Sedem, solium, in quo a patre, ut enarrabimus paulo post, constitutus, humano generi jus est dicturus. Vel accipe 'altum tribunal,' ipsum cælum, juxta illud Propheticum: 'Cælum mihi sedes est, terra autem scabellum pedum meorum.' Quamvis Deus ipse sit ubique, et in cælo sursum, et in terra deorsum, qui per Prophetam 'se cælum et terram implere' dicit. Quinimo super omnia est et infra omnia, extra omnia et intra omnia, ante omnia et post omnia, qui neque includi rebus neque excludi potest: frequenter tamen in Scripturis, et præsertim hoc in loco 'in cælis corporibusque, et globis cælestibus esse' dicitur, propter excellentiora et mirabiliora Dei opera, in sphærarum cælestium pulchritudine, harmonia, ordine, ac operatione clarius relucentia. Sunt enim ipsa corpora cælestia, inde fluxæ incorruptibilisque substantiæ, magnitudinis admirandæ, figuræ sphæricæ, claritatis eximiæ, et multiplici siderum splendore decorata, irrequietæ vertiginis, et motus perpetui; propter quæ immensa Dei potentia, sapientia, et bonitas in ipsis dilucidius, quam in aliis mundi corporibus declaratur. Manifestatur nanque Dei potentia in cælorum magnitudine et stabilitate; sapientia in ipsorum pulchritudine, et inconfuso ordine; bonitas vero in communicatione et distributione virtutis ipsorum in hæc inferiora corpora, quæ ab ipsis illustrantur et gubernantur. Nimirum igitur Scriptura frequentius Deum in cælis esse commemorat quam in aliis quibuscunque corporibus. *Tribunal*, Fabius (ut in commentariis progymnasmatum Capnionorum adnotavimus) notat eos, qui tribunale quam tribunal malunt dicere. Plinius utitur pro tabulatis excrescentibus, ut a Catanæo observatum est.

Alti] Summi. Plautus decenter appellat 'summi subsellii virum' eum qui in summo, h. e. honoratiore loco honoris causa discumbit: sicut e contrario imi subsellii, pro despectissimo, vilissimoque.

Patris] Non Christi modo, sed et per Christum omnium pie Deo patri in Christo viventium. Quinetiam rerum quarumcunque in sacris literis quandoque pater appellatur: sed magis proprie intellectibilis naturæ, quæ ad ejus imaginem et similitudinem est facta. Deus autem pater noster dicitur multifariam. Primum, creatione: ut apud Malachiam: 'Nunquid non pater unus omnium nostrum? nunquid non Deus unus creavit nos?' Et in Deuteron. 'Nonne ipse est pater tuus, qui possedit te, et fecit et creavit te?' Secundo, redemptione: ut apud Esaiam: 'Tu autem Pater noster, et redemptor noster, a seculo nomen tuum.' Tertio, sacramentali regeneratione: ut apud Joan. 'Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem Filios Dei fieri, iis qui credunt in nomine ejus: qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt.' Quarto,

adoptione per gratiam: ut apud Paulum ad Rom. 'Non accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum Dei, in quo clamamus, Abba Pater.'

105 *Inclytam reportans cælo passionis gloriam*] Ut ipse dixit apud Lucam: 'O stulti et tardi corde ad credendum in omnibus, quæ locuti sunt Prophetæ. Nonne hæc oportuit pati Christum et intrare in gloriam suam?'

Inclytam] Præstantem, nobilem, prælustrem, κλυτὸν Græci famigerabilem dicunt, et insignem. Apud nos in hac dictione in auget, non diminuit. Et bene inclytam dicit. Siquidem Christus, ut Paulus ad Coloss. scribit, 'expoliatos principatus ac potestates ostentavit palam, triumphans illos per semetipsum.'

Gloriam] Cicero hanc sic describit: 'Gloria est frequens de aliquo fama cum laude: quam Græcanicum proverbium admonet, contingere potissimum apud posteros.' Alioqui, quemadmodum recte dixit Ovid. 'Pascitur in vivis livor, post fata quiescit.'

106 *Macte judex mortuorum*] His verbis Christum judicem omnium venturum significatur: 'cui Deus Pater dedit. Neque enim judicat is quenquam,' ut apud Joan. cap. v. legimus, 'sed omnem judicium dedit filio.' Hoc judicium admonet Chrysostomus semper præ oculis habeamus: ita semper virtuti vacare poterimus. Nam sicut qui diei illius obliviscitur, tanquam freno abjecto in præcipitium defertur; ita quem continuus hic percellit timor, modeste vivendi viam ingreditur; 'Recordare,' inquit, 'novissima tua, et in æternum non peccabis.' Qui enim dimittit peccata nunc miserando, is tum judicando pandet: qui propter nos mortuus est, is universæ naturæ judex apparebit.

Macte] Cumulate, et magis aucte, hac judicii potestate a patre delegata. At id non cum adversariis et impiis ita intelligendum est, quod filius acceperit quod non habet, atque ita pater major quam filius existimetur, ut qui abundaverit, et dederit filio, veluti indigenti et accipienti: sed, ut Cyrillus exponit, 'Datum sibi a patre ait judicium, non quia potestatem hanc ipse natura non habeat: sed per dispensationem, ut homo, in divina potestate sita esse docet universa.' Quare in quantum quidem verbum Dei Deus est, hanc potestatem naturaliter habet: in quantum autem homo factus est (quoniam ad hominem dicitur, Quid enim habes, quod non accepisti?) accepisse hanc se potestatem aperte profitetur. et ad hunc sensum recte a Prudentio Christus dicitur judex auctus et cumulatus. Non enim statim, ut idem sacer auctor refert, necessario, neque semper non habenti datur, nec major est semper qui dat quam qui accipit. Quid enim respondebis, si Psalmistam audiveris, dicentem: 'Date gloriam Deo?' Gloriane carere Deum putabis, aut majores creatore creatos homines arbitraberis, quia gloriam Deo afferre jubeantur? Plena gloriæ Deitas est, etiamsi nihil a nobis acceperit. Quod autem a te habet, si id loco honoris accipit, non est minor propterea eo, qui obtulit. Quare nec pater major proprio filio est, quia ei totum judicium dederit. Deinde considerandum diligentius est, quia judicare actus quidam potius est, quam substantia. Nam si non actus, sed substantia esset, cum quis judicare cessaret, confestim etiam abesse cessaret: quod manifeste falsum est. Nil ergo aliud judicare est, quam quidam actus atque operatio. Quid igitur pater filio suo dedit, si totum ei judicium præstitit? nihil aliud profecto, quam actum quendam super eos qui judicantur. Quomodo igitur major natura quam filius, aut quid præbuit

filio quod non habebat? Nonne ipse liquido dicit, Omnia quæ habet pater, mea sunt? Quomodo igitur (inquies) datum sibi esse judicium intelligemus? Audi, quæso, atque attende. Nam quemadmodum cum Deus pater creare omnia possit, per filium tamen, ut per virtutem suam id facit; sic cum judicare orbem queat, per filium ut per justitiam suam id peragit. Veluti si quis diceret, ignem naturali suo calori cremandi potestatem dedisse, non longe aberraret a veritate, quia cremandi actus hoc modo perficitur. Sic datum esse judicium filio intelligentes, a diaboli laqueis non capiemur. Si vero impudenter contendunt, dicentes honorem filio accessisse cum factus sit judex; ostendant nobis, quo modo Dominus erat omnium, qui hac laude in novissimis temporibus coronatur.

Macte] Servius docet, a sacris tractum: quoties enim aut tus, aut vinum super victimam fundebatur, dicebant, 'Mactus est taurus vino vel ture:' h. e. cumulata est hostia, et magis aucta. Inde ad eos qui virtute vel honoribus aucti sunt transfertur. Marcus Tullius de Repub. 'Ferunt laudibus, mactant honoribus:' i. e. magis augent. Seneca nono epistolarum: 'Macte virtutis esto.' Sanguinolentis, et ex acie redeuntibus hoc dicitur. Cato tamen in Re Rust. 'Macte,' inquit, 'vino inferiori esto, et macte hac illac e dape polluenda esto.' Ac interdum aliter. Conjungi septimo casu autores sunt Donatus et Diomedes. Martialis etiam genitivum ascripsit, 'Macte animi' dicens. Variari per casus, multorum testimonio confirmatur. nam Pompeius nominativum singularem, sicut Cato, protulit, mactus, h. e. ferto, scribens. Curtius lib. IV. pluralem: 'Vos quidem macti virtute estote.' Sic Plin. senior lib. IV. 'Macti ingenio et cæli interpretes.' Veruntamen apud Liv. lib. II. ab Urbe condita, indeclinabile positum esse videtur: 'Juberem,' inquit, 'macte virtute esse.' Sic non multo post Secundus, 'Macte uterque in rempublicam merito.' qua dictione videtur usus Actius, Nonio dicente, qui multorum testimonia super hoc verbo citat.

Judex] Judex est, qui vel invitus potest cogi ad cognoscendam litem, ut prætor et reliqui magistratus ordinarii: arbiter vero, qui quasi vir bonus disceptator electus est ab utrisque litigantibus. Unde nemo potest cogi a prætore ad arbitrum suscipiendum, quoniam hæc res est libera et absoluta, et extra necessitatem jurisdictionis posita: ut testatur Ulpian. ff. IV. titul. de arbitris. Sed ubi semel quis in se reciperet compromissum, quod ad similitudinem judiciorum redigitur, et ad finiendas lites pertinet, ad curam et solicitudinem suam hanc rem prætor pertinere putat. Si quis vero judex sit, arbitrium recipere ejusdem rei de qua judex est, et in se recompromitti jubere, prohibetur lege Julia: et si sententiam dixerit, non est danda pœnæ persecutio. Senec. de benef. 'Melior videtur conditio caussæ bonæ, si ad judicem quam ad arbitrum mittitur.' Quia illum formula includit, et certos quos non excedit terminos ponit: hujus libera, et nullis astricta vinculis religio, et detrahere potest, et adjicere, et sententiam suam non prout lex, aut justicia suadet, sed prout humanitas aut misericordia, impulit regere. Lege Marc. Tullium in oratione pro Murena, quæ dicantur de arbitrio.

Mortuorum] Peccatorum. Nanque de solis peccatoribus fiet cognitio, quod ii ex bono maloque commixti sint, habentes fidem et professionem piorum, vitam impiorum. Piorum autem certissima salus est, ut impiorum certa damnatio. Igitur solum, ut diximus, judicandi erunt peccatores. Sunt tamen ex neotericis, qui

putant Christum generatim in omnes laturum, ut et præmiis afficiantur probi, et flagitiosa sceleratorum reorum immanitas judicetur. Opinanturque causæ cognitionem tacitam futuram sententiam, tamen voce latum iri: quandoquidem Christum in tribunali non modo divinitus, sed etiam humanitus dijudicaturum dicant. Quibusdam autem placet, mente et voce rerum testificationem fore, propterea quod ita conscientiæ theatrum perspicuum fore dicunt, ut necesse sit cuiquam futurum tanquam in speculo testari id, cujus sine recuperatione aut provocatione arguatur. Atque etiam cælites hoc judicii tempore affuturos censent, qui tanquam custodes et testes in judicium vocentur: idque a Platone confirmari volunt, qui auctore L. Apuleio dicat, vocationem cælitibus in resurrectione dari, eosque non modo delectis et descriptis patrocinandi, sed etiam accusandi reos, negociique exhibendi jus habituros. At vero Thomas, quanquam affirmet nihil sibi satis pro certo in ejusmodi disceptatione liquere, probabilius tamen videri dicit, judicium in accusatione reorum, vel in patrocinio proborum, aut in sententia dicunda tacitum futurum; propterea quod, si nominatim generatimque omne genus humanum censendum esse diceretur, negari nullo modo posse affirmat, quin in censura esset temporis incredibile conterendum spacium.

Viventium] Piorum, justorum, qui in Evangelio in resurrectionem vitæ resurgent, et stabunt in magna constantia: contra impii suam agnoscent insaniam, nec hiscere poterunt adversus manifestam Dei justiciam. qua de re graviter et erudite (ut omnia) Roterodamus disserit in enarratione Psal. I.

107 *Qui dexter cluis in arce parentis*] Cur autem ad dexteram filius esse dicatur, moveat aliquem fortasse. Licet enim dignitatis gradus non sit, ubi plenitudo divinitatis est, tamen ideo ad dextram sedet Filius, non quo præferatur Patri, sed ne inferior esse credatur. Et ideo ad dexteram filius; quia, secundum Evangelistam, ad dexteram oves, ad sinistram vero constituentur hœdi. Necesse est ergo partem ovium primus agnus obtineat, et secuturo immaculato gregi locum dux immaculatus anticipet. Sicut ait Joannes in Apoc. dicens: 'Hi sunt, qui sequuntur agnum quocumque vadit, qui se cum mulieribus non coinquinaverunt.' Refert ergo propheta David; 'Dixit Dominus Domino meo, sede ad dextram meam;' h. e. Dominus pater Domino Deo Christo filio throni sui offert sublimem consessum, et honoris gratia ad dexteram suam illum æterna sede constituit. Secundum consuetudinem nostram illi consessus offertur, qui aliquo opere perfecto victor adveniens honoris gratia promeretur ut sedeat. Ita ergo et homo Jesus Christus passione sua diabolum superans, resurrectione sua inferna reserans, tanquam perfecto opere ad cælos victor adveniens, audit a Deo patre; 'Sede ad dexteram meam.' Nec mirum si unius sedis offertur filio consessus a Patre, qui unius est substantiæ et naturæ cum Patre.

Cluis] Fulges. Cluere, autore Plinio, antiqui pugnare dicebant, unde Grammatici clypeum detorquebant; ex qua etymologia Venerem, quam colebant armatam, Cluacinam dictarunt. Baptista Pius refutat Veneti Hermolai opinionem, qui cluere pro esse capit. Cluere Marcellus pro nominari exponit; hoc enim verbum vim passivam habet. Plautus sæpe utitur in hoc significatu. et Terent. 'Ennius per gentes cluebat omnium miserrimus.' h. e. vocabatur. His vero, qui cluere pro splendere et apparere nobilem et gloriosum volunt

interpretari, non repugno, a dictione κλέος, quæ gloriam significat; etsi κλῄζω significat nomino et voco, ut prima significatione verbum cluo significet splendeo, sed consequenter appareo; unde 'Cluebat miserrimus' cum dixit Ennius, interpretare, apparebat.

Virtutibus] Potentia, majestate, et viribus, quib. totum hunc mundum moderatur. Ne intelligas angelicos spiritus, qui appellatione virtutum, ut ante dixi, complectuntur, cujusvis hierarchiæ et ordinis fuerint.

Dexter] Qui partis dextræ est, nota dicitur significatione. interdum et aptus, commodus. Unde proverbiali sermone, 'Dextrum pedem in calceum, sinistrum in pelvim,' dictum in eos, qui se norunt commode ad rei præsentis conditionem applicare, proque loco, tempore, negociis aliam atque aliam sustinere personam refert Erasmus, Græcanicum hoc adagium apud Aristophanem explicans; Δεξιὸν εἰς ὑπόδημα, ἀριστερὸν εἰς ποδόνιπτρον. est autem hexametrum heroicum; 'Dextrum in calceolo, lævum vero podoniptro.' Podoniptrum Græco vas, in quo pedes lavantur.

In arce] In cælo supremo omnium, in quo præcipue relucet potestas et gloria Christi, sicuti principis terreni vis atque potestas in arce eminentissima conspicitur. Arx autem et arca, quasi archana, i. e. secretæ res dictæ sunt. Prima vero origine ab arcendo Arcadibus dictas fuisse, Solino placuit; quoniam munitissimos quosque tenebant colles.

108 *Inde venturus justus ultor omnium criminum*] Perhibet illud sæpius ipse Christus, apud Matt. cap. XVI. 'Futurum est,' inquit, 'ut Filius hominis veniat in gloria Patris sui cum angelis suis, et tunc reddet unicuique juxta facta ipsius.' Et apud Luc. cap. XXI. 'Nam virtutes cælorum movebuntur, et tunc videbunt Filium hominis venientem in nube cum potestate et gloria magna.' Et multis aliis in locis Scripturæ.

Venturus] Sc. in novissimo die, quem non est noscere; qui pater illum posuit in sua potestate. Hunc autem diem Apostolus (ut didicimus a Christianissimo theologo Roterodamo) tribus notis signavit; iræ, quod tum misericordiæ locus non erit; revelationis, quod omnia nuda erunt, quæ nunc latent; et justi judicii, quod recte pro cujusque meritis pronunciandum est. Est autem Græcis justi judicii unica dictio, et ob id (ut utar Erasmi verbis) venustior, ut distingueret novato verbo divinum judicium a nostris judiciis, in quibus non raro nocens elabitur, et innocens damnatur.

Justus ultor] Siquidem ad eum spectat, juxta illud propheticum; 'Deus ultionum, Domine Deus ultionum ostende te, (vel ulciscere: quod ex Hebreo aptius quadrare videtur Fabro ex præcedentibus et sequentibus,) judicium et vindictam facere. Nanque, Mihi vindictam, et ego retribuam, dicit Dominus.'

Justus] Qui solus ita justus est, ut omnibus reddat quod reddendum est. Lutherus in commentariis suis ad Galat. pulchre (meo judicio) explicat, ut solus Christus justus sit; admonens commodum fore, 'justiciam Dei in Scripturis semper pro fide et gratia accipi, rarissime pro severitate, qua damnat impios, et liberat justos,' ut nunc passim usus habet. Sed et hæc dictio, justus, apud Jurisconsultos frequens, non satis (ut Budæus arbitratur) intelligitur. Gaius de arrogatione loquens; 'Is qui adoptat,' inquit, 'rogatur, an velit eum, quem adoptaturus sit, justum sibi filium esse.' Justum filium intelligo, non verum, (ut aliqui censent,) sed omnibus partibus (ut ita dicam) filiationis veri filii vicem obtinentem, naturalis et legitimi filii loco cedentem. In l. universis. qui dare tutores vel

curatores possint. C. 'minor ante impetratam veniam ætatis non habet justam personam litem instituendi.' justam pro idonea et plena intelligo. 'Justum vadem' (inquit Festus) 'idoneum sponsorem vocabant.' Sic 'justum prælium' Livius; 'Deinde eos qui in montibus erant, levibus præliis fatigavit: postremo coactos in aciem descendere justo prælio devicit.' Justo pro pleno intellige; i. e. quod vere et proprie prælii nomine censeri possit. Sic 'justum exilium.' Idem lib. VI. sec. belli Pun. de Fulvio perduellionis reo loquens; 'Priusquam dies comitiorum aderat, Caius Fulvius exulatum Tarquinios abiit: id ei justum exilium esse scivit plebs.' i. e. plebs decrevit spontaneum exilium Fulvio plenum et verum esse, aut pro pleno ac legitimo cedere, quod formale nunc appellant. Simile est, ac si dicamus, fideicommissarium, non esse justum hæredem; i. e. plenum, vel plane hæredem. Justum enim est, omnibus numeris plenum, quod Græci ἀκριβὲς dicunt. Galenus identidem utitur, ἀκριβὲς ἐρυσίπελας; i. e. 'justum plenumque erysipelas.' et hujusmodi alia appellando. lib. XIV. Therap. justa magnitudo hominis dicitur, non tam mediocris, quam plena et congrua, quæ sc. minor est enormi, nihilo tamen defecta. A Græcis ἱκνούμενον μέγεθος dicitur: quod Theodorus, ex Theophrasto, debitam magnitudinem transtulit. Idem Theophrastus ἱκνούμενον καιρὸν pro justo tempore dixit. Aristot. in princ. IV. Polit. de gymnastica loquens, τὴν ἱκνουμένην ἕξιν, καὶ τὴν ἱκνουμένην ἐπιστήμην, pro justa habitudine, et pro justa scientia dixit. Hanc autem justam habitudinem Plautus athleticam appellat, h. e. plenam, duntaxat in eo qui gymnasticam exercet: alioqui illa habitudo plenior est justa, ut Quintilianus ait: et justam palæstræ scientiam apud Aristotelem intelligere oportet, omnibus numeris palæstricis perfectam, qualis olim erat in pentathlis, qui quinque certamina obibant. Leonardus exactius transtulit, sed significantius justam dicere potuit. Dicitur etiam justum Græce ad verbum, i. e. δίκαιον. Herodot. in II. αἱ δὲ ἑκατὸν ὀργυιαὶ δίκαιαί εἰσι στάδιον ἑξάπλεθρον: 'Centum autem justi passus stadium sunt sex jugerum.' Colum. lib. II. 'Justa enim fieri nequeunt, quum induruit ager:' i. e. plenæ operæ, et ordinatæ, integræ, tagwerck, ut vulgus loquitur. Idem lib. III. 'Jugerum vineæ quinque operis ablaqueatur, quinque foditur, tribus occatur. Jugerum valentis et jam constitutæ vineæ quatuor operis putatur, sex alligatur: arbusto ejusmodi nihil potest apte finiri, quoniam inæqualitas arborum non patitur operis justa comprehendi.' Sic in VI. 'Justa cibariorum conficere.' Et in X. de apibus: 'Justis operum peractis, recipiunt se, nec remeant ad aquam.' Plin. lib. XXXIII. 'Miscent æra falsæ monetæ, alii e pondere subtrahunt, cum sit justum 84. e libris signari.' Justum ubique positum est pro pleno: h. e. nec redundanti, nec defectuoso. Tranquill. in Claudio: 'Gladiatoria munera plurifaria ac multiplicia exhibuit, anniversarium in castris Prætorianis sine venatione apparatuque, justum atque legitimum in septis.' Ibid. 'Extraordinarium et breve, dierumque paucorum, justum et legitimumque munus dixit:' pro eo, qui ex formula munerum dabatur, i. e. in quo nihil deerat prorsus nec rerum, nec dierum, nec apparatus. Justi dies alia et nova quadam ratione dicti sunt, ut videtur in lege XII. tabularum his verbis: 'Æris confessis rebusque jure judicatis triginta dies justi sunto, post deinde manus injectio esto.' De his Gell. lib. XIX. ita inquit: 'Confessis igitur æris ac debiti judicatis, triginta dies sunt dati conquirendæ pecuniæ causa, quam dissolve-

rent, eosque dies decemviri justos appellaverant, velut quoddam justicium, i. e. juris inter eos quasi interstitionem quandam et cessationem, quibus diebus nihil cum iis jure agi posset.' Justos igitur dies dicere possumus, qui de rigore (ut dicimus) dantur, et quibus pauciores dari non possunt. Justi etiam dies dicebantur triginta dies, cum exercitus esset imperatus, et vexillum in arce positum: ut autor est Festus. Macrob. Sat. lib. I. 'Præliares,' inquit, 'dies ab justis non separaverim. Siquidem justi sunt triginta dies continui, quibus exercitui imperato vexillum rufi coloris in arce positum est. Præliares autem omneis, quibus fas est res repetere vel hostem lacessere.' Justos dies hodie quadraginta dies dicere possumus, qui legitimis hæredibus dantur ad constituendum, an hæredes esse velint: et si qui sunt ejusmodi dies, quibus cum aliquo justicium sit: quo verbo (i. e. justicio) significare possumus id genus rescripti principalis quod statum vocamus, quasi litis sistendæ gratiam, quæ militibus extra regnum merentib. ad aliquot menses indulgeri solet. Status enim a sistendo dicitur, ut status dies dicitur constitutus dies, quem nunc præfixum vocant. Festus: '"Status,' inquit, 'dies dicebatur judicii causa constitutus.' Justitium autem juris statio est, quasi inhibitio: quod verbum olim licet publicam juris cessationem significaret, quo tempore lege agi non poterat, nec tria verba prætori dicere licebat, Do, dico, addico; potest tamen et privam juris cessationem morib. nostris significare. Antiqui indicere justitium dicebant. Livius lib. x. ab Urbe cond. 'His nuptiis senatus conterritus, justitium indici, delectum omnis generis hominum haberi jussit.' Justitium autem remitti dicebatur, cum pristinam facultatem tractandarum litium publice restituebant. Idem eod. lib. 'Itaque et supplicationes ob rem bene gestam consulis nomine decernunt, justitium remittunt, quod fuerat dies decem et octo, supplicatioque perfecta fuit.' Supplicationes erant, quas processiones dicimus. Cessum hodie tollere dicunt, pro, sacrorum cessationem remittere. Indicere enim et remittere interdictum dici debet. Hoc autem fortasse sacristitium dici potest, ut interstitium et justitium. Verum enimvero in l. III. ff. pro socio justa hæreditas dicitur, i. e. vere et plane hæreditas, quæ jure legitimo obvenit, i. e. cognationis nomine. Hic enim titulus hæredis plenissimus est, et omnibus partibus juris nixus.

Omnium criminum] Scelerum, delictorum, peccatorum. Porro criminum omnium fontes hæc tria demonstrantur, quibus diabolus Christum tentavit: sc. carnis oblectatio, species gloriæ, aviditas potentiæ. Hæc tria Paulus admonet cavenda, dicitque liberum ab eis expectare justiciæ coronam. Neque enim unquam, ad Thess. inquit, per sermonem adulationis versati sumus, quemadmodum nostis, nec per occasionem avariciæ (Deus est testis) neque quærentes ex hominibus gloriam, nec a nobis, nec ab aliis, cum possemus in autoritate esse. Martianus noster titulo de pœnis autor est, homines peccare aut proposito, aut impetu, aut casu.

109 *Te senes et te juventus*] Omnem sexum atque ætatem invitat ad concinendum Deo laudem, propemodum illud dictum Psalmi proponens: 'Juvenes et virgines, senes cum junioribus, laudent nomen Domini.'

Senes] Senex dicitur quasi seminex, h. e. semimortuus, quod acta majore ætatis suæ parte jam morti propinquus sit. Nex enim mortem significat: quo nominativo sæpius veteres quam neoterici usi sunt. Sisena: 'Quoniam neque mea nex, neque intercessio posse videtur illorum de-

mentem reprimere audaciam.' Quidam differre volunt senes, veteres, et antiquos: quod senes sint, qui usque ad senilem ætatem vixerint, quantum ad privatam eorum vitam attinet: veteres vero, quantum ad publicum tempus spectat, qui alia ætate vixerunt etiamsi ipsi non pervenerunt ad senectutem. Antiqui autem utrique, sed magis veteres quam senes. A sene, senectus, senecta, et senium deducuntur, ejusdem fere significationis; quanquam veteres senium pro tædio et molestia posuerint, quod senes omnibus molesti sint. Unde illud frequens ad Homerum, χαλεπὸν γῆρας, i. e. 'Molesta senectus.' Iliad. Σὲ δὲ βίη λάλυται, χαλεπὸν δέ σε γῆρας ὀπάζει. I. e. 'Viribus effœtum jam te premit aspra senectus.' Et apud Virg. 'Subeunt morbi, tristisque senectus.' Horat. in Arte Poët. 'Multa ferunt anni venientes commoda secum, Multa recedentes adimunt.' Juven. 'Circumsilit agmine facto Morborum omne genus.' Roterodamus item in carmine oppido eleganti de Senectutis incommodis; 'Teterrima porro Senecta morbus ingens, Nullis arcerive potest, pellive medelis: Quin derepente oborta, Corporis epotet succos, animique vigorem Hebetet.' Idem testatur Senarius ille proverbialis: Φόβου τὸ γῆρας· οὐ γὰρ ἔρχεται μόνον. I. e. 'Metue senectam, non enim sola advenit.' Item, χαλεπὸν τὸ γῆράς ἐστιν ἀνθρώποις βάρος. I. e. 'Pergrave senectus est onus mortalibus.' Huc allusit anus Plautina, quæ, tarditatem incessus excusans, ait, se grave pondus gestare; 'Tantum,' inquit, 'hoc oneris quod fero. Quid oneris? Annos septuaginta et quatuor.' Item M. Tull. in Cat. maj. 'Quæ plerisque senibus sic odiosa est, ut onus se Ætna gravius dicant sustinere.' Arist. De animalibus lib. v. senectutem appellat νόσον φυσικὴν, i. e. morbum naturalem; quemadmodum et morbus senectus est adventicia, propterea quod nonnulli morbi id efficiant in homine, quod senectus; et senectus similia gignat, qualia morbi. Seneca 'morbum insanabilem' appellat. Donatus adscribit verba Apollodori ex Græca comœdia, τὸ γῆράς ἐστιν αὐτὸ νόσημα. i.e. 'Ipsa senectus morbus est.'

Juventus] Juvenum frequentia; ut apud Maronem; 'At patiens operum, parvoque assueta juventas.' Juventus autem a juvenibus dicta est; et juvenes dicuntur (ut Jurisconsultis placet) qui adolescentiam excesserunt ætatem, quoad incipiant inter seniores numerari. Significat interdum juventus ætatem ipsam juvenilem. Virg. 'Interea superat gregibus tum læta juventas.' Hæc etiam juventa dicitur, ut superius; 'Exitu dulcis juventæ.' aliquando juvenum frequentiam, ut hic. Quandoque juventus Deam significat, quæ huic ætati præest, quæ et Juventas a nonnullis appellatur. Porro Lucret. lib. v. 'equum juvencum' dixit, h. e. juvenem. Nanque juvencum, ut interpres ait Pius, pro juniori accipi, diminutio docet. Juvenculos enim ephebos, et parvos juvencos, h. e. juvenes dictamus. Catulli phalecius ille versiculus cui non obvius; 'O qui flosculus es juvenculorum.' Male igitur quidam convellunt carmen id Ovidianum; 'Graia juvenca venit, quæ te, patriamque domumque Perdet, io prohibe, Graia juvenca venit.' Sic enim legendum est, non autem *juventa*. Juvencam enim apud Ovidium adolescentulam Helenam interpretatur. 'Gallinas juvencas' Gaza apud Aristotelem vertit lib. vi. de Anim. quod νεοττίδες philosophus scripserat. Verbum est apud Ambrosium in libello de Cain, juvenculascere, quo juventutem imitari significat; inquit enim; 'Juvenculascat in adolescentia, senecta canescat.' Fœminam juvencam quis dicere recuset? cum vaccam puellam subinde dicat Albertus.

Chorus] Frequentia et multitudo. a

χαρὰ, i. e. lætitia, chorum nominaverunt. ut interpretatur Plato, qui treis choros fieri præcipit, videl. puerilem, juvenilem, et senilem; quod ex instituto Laconico sumptum videtur. Nanque apud Lacedæmonios ex disciplina Lycurgi treis chori constituti sunt. unus senum, qui sic canebat; 'Nos olim fuimus robusti juvenes.' alter juvenum, qui succinebat; 'Nos autem sumus.' tertius vero puerorum, a quo illud cantabatur; 'Nos erimus multo meliores.' Chorum Senec. et Macrob. ex multorum vocibus constare autumant; unum tamen ex omnib. sonum reddi, ubi aliqua acuta, aliqua gravis, aliqua media vox est. Hinc χορηγὸς Græce dicitur choreæ princeps, et expensæ suppeditator, et chori conviviique magister. Choragium vero generali vocabulo dicitur instrumentum atque apparatus. Unde choragium gloriæ in quarto Rhet. ad Herenn. choragium scenæ apud Festum; choragium funeris, apud Apuleium, pro instrumento sc. et apparatu. Fulgentius Placiades accipit pro virginali funere: quod Beroaldus non approbat in secundo in Suetonium commentario.

Parvulorum] Puellorum siquidem parvulus esse potest, qui natu sit grandis: cujusmodi sunt pumiliones, et pygmei, poëticus (ut ait Roterodamus) populus.

110 *Turba*] I. e. cœtus. Aiunt differre turbam et turbas: quod numero singulari multitudinem significet, plurali vero rixam et contentionem.

Matrum] Mater est, quæ quodvis animal parturit. Matrem veteres etiam nutricem dici volunt. Plautus in Menæch. 'Ita forma simili pueri, ut mater sua non internosse posset, quæ mammam dabat: neque adeo mater ipsa, quæ illos pepererat.' Maro: 'Et lambere matrem Impavidos;' i. e. nutricem.

Virginum] Virgines non solum fœminæ dicuntur, verumetiam pueri investes. Nam et quicunque ex ephebis excesserant, devirginari dicebantur. Marcellus. Idem autor est, omne castum veteres incorruptum sub virginis vocabulo appellasse. Hac ratione semper virgines Furiæ dictæ sunt. Erinnyes enim, malefactorum ultrices, corrumpi non queunt, quo minus pœnas sumant de iis qui commeruerunt. Vitiatas itaque dicimus virgines, quæ pudicitiam posuerunt.

Simplices puellulæ] Quia sine astu et dolo sunt. Olim pueræ, pro puellæ. Varro de vita patrum: 'Pueri, liberi, et pueræ, ministrabant.' Pueritia quoque pro puritas, auctor est Nonius: et Festus ait, quod puelli pueri dicebantur per diminutionem: puellæ, quasi puræ et virgines: inde puellulæ, virgines teneriusculæ. Puellis autem, etiam apud Ethnicos, simplicitas tribuitur in primis. Naso: 'Fallere credentem non est operosa puellam Gloria, simplicitas digna favore fuit.' Ambros. lib. 2. Offic. scribit: 'Ad omnia abundare animi directam simplicitatem, satisque seipsam commendare.'

111 *Perstrepent*] Personent, alta voce canant. alias valde strepere est. Terent. 'Foras simul prorunnt se, abeunt lavatum, perstrepunt: ita ut fit, domini ubi absunt.'

Pudicis] Castis: ab hoc fit comparativum pudicius, servata forma analogiæ, et non pudicicius. Absurdum autem esset, a pudicitia deductum credere pudicicius. Plin. junior ad Tacit. de liberis domi instruendis: 'Ubi enim aut jucundius morarentur, quam in patria, aut pudicius continerentur quam sub oculis parentum, aut minore sumptu quam domi?'

Concentibus] Cantionibus, cantilenis.

112 *Fluminum lapsus*] Invitantur hic ad decantandam Deo laudem inanima, rationisque expertia, juxta canticum trium puerorum: in quo itidem inanima rationisque expertia dicun-

tur Deo benedicere, quia argumento sint Deo benedicendi, ipsumque laudandi. Sicut enim in imagine egregie depicta aut sculpta unaquæque particula corporis ita effigiati aut exculpti præbet materiam laudandi artificem ipsum, ut Apellem aut Phidiam, cognoscendique ejus industriam, et excellentiam artis; ita in hoc divino opificio, et tota mundi fabrica, unaquæque creatura, ut pars quædam universi, prædicandam ipsius Dei opificis præbet potentiam, sapientiam, bonitatem, providentiam, atque perfectionem.

Lapsus] Decursus, descensiones. Labi enim pro eo quod est descendere, vetus dictum. Maro: 'Labere nympha polo.' Servius ait: 'Labi proprie est serpentum.'

Fluminum] Flumen, Seneca autore, (ut ante dixi,) est fluens aqua: dictum, quod fluat, Maronemque pro fluxu fluminis vocabulo usum. Est enim aliquo gentium tributus fluminibus honos, vel propter emolumentum, ut apud Ægyptios Nilo: vel propter pulchritudinem, ut apud Thessalos Peneo: vel propter magnitudinem, ut apud Scythas Istro: vel propter fabulam, ut apud Spartiatas Eurotæ: vel propter sacrificia, ut apud Athenienses Ilisso. Quo fit, ut amnes quoque propter utilitatem eorum qui ab ipsis commoda acciperent, honores sortirentur.

Crepidines] Crepido prærupti saxi margo, et extremitas viarum. vel ripæ paulo eminentiores crepidines dicuntur: autor est Nicolaus Angelius. Plaut. insulas vocat 'ferri crepidinas,' ab alligatis crura vinculis ferreis crepitantibus.

Littorum] Est autem littus, quo maximus fluctus hybernus pervenit. ita M. Tullius arbiter assumtus olim constituit; ut juris civilis auctor Celsus ait.

113 *Imber*] Pluvia. Ab imbre fit imbrifer: unde venti Noti cognomentum, quo et imbricitor appellatur a ciendis imbribus. Quid sit, et unde imber, docet Apuleius in Cosmographia. Ab imbre recipiendo appellatur imbrex, canale quod in recto ponitur, ut per id defluat aqua. ab imbrice imbricium fit, ejusdem significationis. Martial. 'Imbricio poteras Sexte lavare pedes.'

Æstus] Calor, hoc loco. Nam æstus marini impetus, vel commotiones, inquit Marcellus, advocans hoc Lucretianum carmen, lib. IV. 'Frigus ut a fluviis, calor a sole, æstus ab undis Æquoris, exesor mærorum littora circum.' Plaut. in Asin. 'Quam magis te in altum capessis, tam æstus te in portum refert.'

Nix] Nix generatur, cum nubes (priusquam in humorem stillet) congelatur: et h. e. frigiditatis regionis in qua fit, signum, et temporis. Non enim constringeretur ac gelaretur, multa existente caliditate, et non supervincente frigore. Debet tamen aliquid caloris esse, nubem elevare sufficiens. Conveniunt pluvia, ros, pruina, et nix; nam fiunt ob infrigidationem omnia. Et pluvia et ros sunt idem, et pruina et nix idem, sola paucitate et multitudine distantia. nam pluvia ex multo vapore, multis locis et multo tempore collecto, generatur: ros ex pauco, et ephemero vapore: et pruina ex gelato vapore: nix vero ex gelata nube. Aristot. autor Meteor. II. 8. Præter hanc Aristotelicæ literæ sententiam adjecit Faber quatuor nivis accidentia, quæ huic insunt tetrasticho: 'Candida nix nimium, tu fundis acumina visus, Tu cadis ut floccus, messibus apta venis. Ismaron et Rhodopen, et Caucason, Othryn, et Alpes, Præruptos montes tu sine fine tegis.' Nive in potu et ferculis refrigerandis est usa antiquitas. erant enim Romæ officinæ nivis reponendæ, cujus saporem paleis quibus custodiebatur inquinabant. In quam luxuriam disti-

cho Martialis invehitur: 'Non potare nivem, sed aquam potare rigentem De nive commenta est ingeniosa gula.' Sed plurib. Senec. lib. IV. Nat. Quæst. et Plin. senior lib. XIX. eam Macrob. ex autoritate Aristot. scribit esse corporibus noxiam, Athenæus tradit, vinum ex nive reddi frigidissimum, et antiquam Græciam eam bibisse, atque magno æstu ab Alexandro servatam.

Pruina] A perurendo dicta est pruina: urit enim germina, cum sole liquefacta est. lapsa enim persidet, et gelat: nec fit nisi immoto aëre, et sereno. Malum hoc timent rustici ac vinitores circiter calendas Maias: quo tempore videmus frequenter supplicationes a sacerdotibus indici plebi religiosæ, sibique ac suis vitibus pertimenti. Nec ideo tamen propitiant semper divinum numen, iratum vitiis nostris. Sic Beroaldus. De pruina vide Pontani Meteora: quod opus utinam nostri non modo legerent, sed etiam ad verbum ediscerent, omissis quibusdam Metaurorum (sic enim loquuntur fere imperiti isti) glossematicis deliramentis, ipsis etiam Getis barbarioribus, quæ nihilo secius Aristoteli non verentur adscribere, tanto philosopho. Sed quid istis facias, qui nesciunt Aristotelem Græce scripsisse omnia? et quæ meteora sunt, metaura vocant, ut et alia multa perverse: hoc modo indicantes æque se scire Græce ac Latine. Hoc ipsum idem Beroaldus admonebat.

Sylva] Ea proprie dicitur, unde materia cæditur: a Græco quod est ὕλη. Lucus vero sacer est, et incæduus. Grammatici etiam pro rebus temere congestis: ut cum dicunt, 'Probum reliquisse non mediocrem sylvam observationum sermonis antiqui.' Sylva item dicitur poëma, calore quodam ingenii et subito furore ac poëtico spiritu fusum: cujus generis sylvæ sunt Papinii. Quintil. lib. X. 'Diversum huic vitium eorum, qui primum decurrere per materiam stilo quam velocissimo volunt, et sequentes calorem atque impetum ex tempore scribunt, repetunt deinde et componunt quæ effuderant, Sylvas vocant.'

Aura] Ventus. Est tamen, ut diximus, auræ et venti discrimen, tametsi confundantur: per ventos enim asperos flatus et imbricitatores, h. e. imbrem commoventes flatus: *per auram* vero, ventum leniter spirantem, suavemque flatum intelligimus. Quandoque pro favore ponitur: unde aurarii, pro fautoribus. Maro lib. VI. 'Jam quoque nunc nimium gaudens popularibus auris.' seu (quod perplacet) auram popularem captantibus: quod olim Principes quidam fecerunt, et Cæsares, laudabiliter illi, qui bonis moribus populi favorem sunt promeriti: ut 'Alexander,' autore Lampridio, 'qui exauctoratum militem aniculæ servum dedit, quam injuriose læserat, quod carpentarius artifex esset ut eam pasceret.' Sunt qui scribant, ejus filium trucidasse unicum anilitatis solatium, et egestatis adjumentum. Quare sunt, qui legunt, *quod filius carpentarius esset, et eam pasceret*. Subdit Lampridius: 'Animatum imperium ejus, cum fuerit durus et tetricus, icciroo vocatum est, quod senatorem nullum occiderit.' Tollendum est adulterinum verbum Animatum, et subdatur Anæmaton, h. e. sine sanguine. ita vocatur ab Herodiano, cujus testimonio Lampridius utitur. Quod Egnatius non animadvertit.

Nox] Hoc loco nox pro nocte sensibili ponitur: et umbra terræ dicitur, quod noctis est rerum abdere colores. Maro: 'Et rebus nox abstulit atra colorem.' Proverbialiter nox humida de malis ingruentibus dici solitum, autor est Diogenianus, quem et Erasmus refert: quemadmodum de lætiore fortuna dicimus, exoriri lucem.

Dies] Et hic pro die sensibili poni-

tur. Sunt autem principii ejus variæ opiniones, quarum Macrob. meminit. Et licet significet spacium 22. vel 24. horarum, ponitur tamen pro tempore. Terentius in ἑαυτὸν τιμωρουμένῳ: 'Aut illud falsum est, quod vulgo audio dici, Diem adimere ægritudinem hominibus.' Naso; 'Non venit ante suam nostra querela diem.'

114 *Concelebrent*] Collaudent, venerentur. Celebrare est, solenniter peragere. Celebrata, pro solennia et justa posuit Martial. 'Inscripsit tumulo septem celebrata virorum Se fecisse Chloë.'

Sæculorum sæculis] Damascenus cap. I. sec. Orthodoxæ fidei: 'Operæ precium sane est,' inquit, 'ut intelligamus sæculi nomen multa designare; compluscula enim significat. nam sæculum dicitur uniuscujusque hominum vita. dicitur rursus sæculum universa præsens vita, et sæculum futura vita post resurrectionem, nullo fine claudenda. Dicitur rursus sæculum, non tempus, neque temporis pars, latione solis et cursu mensurata, per dies videlicet et noctes constituta; sed quod coëxtenditur sempiternis, instar cujusdam temporalis motus, et spacii; quod enim iis quæ in tempore sunt tempus, illis sempiternis est sæculum. Dicuntur etiam septem sæcula mundi hujus, a cæli et terræ videlicet creatione, usque ad communem hominum consummationem et resuscitationem. Est enim particularis consummatio, ea quæ est uniuscujusque mors; est autem communis et omnimoda consummatio, quando futura est communis hominum resurrectio. Octavum autem sæculum est, quod futurum est. Ante vero mundi constitutionem, cum sol nondum erat, diem a nocte dirimens, non erat mensurabile sæculum, sed quod comprotenditur sempiternis, veluti quidam temporalis motus et spacium. Unum etiam sæculum est, secundum id quod dicitur Deus æternus; quin imo et prææternus; ipse enim et sæculum fecit. Nam solus sine principio Deus existens, omnium ipse est factor sæculorum, et omnium quæ sunt. At cum Deum dico, manifestum est, quoniam patrem, et unigenitum filium ejus Dominum nostrum Jesum Christum et spiritum ejus omnisanctum, unum Deum nostrum dico. Dicuntur autem sæcula sæculorum, secundum id quod hujus mundi septem sæcula sunt multa sæcula, videlicet hominum vitas continentia: et sæculum unum omnium sæculorum contentivum est. Et sæculum sæculi dicitur præsens et futurum; æterna autem vita, et æternum supplicium, quod sine fine, futurum sæculum ostendunt: neque enim post resurrectionem tempus diebus et noctibus numerabitur; erit magis una dies sine vespere, Sole justiciæ persplendide justis illucescente, peccatoribus autem nox profunda intransibilis. A qua nos liberet Deus, fons lucis et vitæ, totius bonitatis autor, et ad se confugientibus auxiliator; Amen.'

GEORGII FABRICII

IN HYMNOS QUOSDAM PRUDENTII

EXPOSITIO.

AURELII PRUDENTII CLEMENTIS VITA.

Prudentius nascitur anno Christi cccl. imperii Constantini, Constantii, et Constantis xi. natione Hispanus, patria Numantinus, seu (ut recentiores) Cæsar-augustanus. Cum Julianus apostata imperium acciperet, annum egit decimum quintum, seque puerum vidisse scribit, quod milite quodam Christiano præsente, litare in sacris Imperator non potuerit. Ad ætatem maturiorem perveniens, ambitioni studuit: nam caussas egit, et civilia gessit officia, et jus dixit, et miles Palatinus extitit, demum Urbis præfecturam accepit. Consul non fuit, ut hactenus ejus libri fuerunt inscripti: qui error, e loco primæ præfationis male intellecto, natus est: deinde e notis literarum V. C. quas Aldus et Lilius interpretantur, 'Viri Consularis;' sed rectius Alciatus, 'Viri Clarissimi:' aitque abolitam ea ætate fuisse consuetudinem, qua quis consularis diceretur. Aggressus ad scribendum est anno ætatis septimo et quinquagesimo: materiam librorum suorum ipse percurrit, in præfatione Cathemerinon:

Hymnis continuet dies,
Nec nox ulla vacet, quin Dominum canat;
Pugnet contra hereses, Catholicam discutiat fidem,
Conculcet sacra gentium,
Labem Roma tuis inferat idolis,
Carmen Martyribus devoveat, laudet Apostolos.

Hinc colligimus, alia opera, quæ Prudentio tribuuntur, ipsius non esse: quia omnium, quæ nunc edita extant, facit mentionem: aliorum nullam, ut Dittochæi [leg. *Diptychi*] et Hexaëmeri, de quibus apud Gennadium. De Psychomachia ejusdem Alcimus ad

Fuscinam sororem meminit. Vidit vastitatem Gothicam a duce Radagasto factam, cujus milites voverant Diis suis, sanguine Christiano se propinaturos: quorum tandem compressa in montibus Etruscorum Pollentinis est immanitas, ingenti miraculo, quod Augustinus de C. D. testatur. Prudentio adimunt doctrinam viri obscuri Leonhardus Quercetanus, et Petrus Summontius, eique nihil relinquunt præter nudam religionem, qua nos contenti sumus, et virum illum, nobilitate et eruditione excellentissimum, majorem putamus, quam umbræ illæ viderint, et plus habere veteris elegantiæ Romanæ, quam ipsi aut intellexerint aut assecuti sint.

CATHEMERINON.

HYMN. II. Hymnus puerilis; in quo pietatis studiosi animo et vocibus DEUM orant, ut eorum actiones salutariter gubernet. Adolescentuli enim literis dediti, cum ad aliud nullum vitæ genus splendidum aut lucrosum aptos se intelligant, in eoque perseverare cupiant, ut suis laboribus ingeniisque uni Deo serviant aliquando, ac placeant perpetuo; suas operas, labores, mores, vitam merito Deo commendant: ut ipse in tantis tenebris mundi ac fluctibus rerum suam lucem in mentibus teneris accendat, eamque spiritu sacro ventillet, atque conservet, ut DEUM vere agnoscant, errores tenebrasque fugiant, intuenti Deo omnia digne vivant ac grata faciant.

1 *Nox*] Diem confert studiis pietatis, noctem mundanis; et occasione ortus diei excitat ad Christum, veram lucem, inspiciendum; tenebrarum vero noctis deterret a malis et prophanis actionibus. Admonet, ut tempus ætatis ita transigant, 'tanquam in die ambulantes composite,' secundum Apostolum; et tanquam in conspectu atque oculis semper et ubique versentur.

Tenebræ] In omni obscuritate confusio: ea obscuritas est, aut noctis, aut tenebrarum, aut nubium, aut caliginis. Mundus rectissime comparatur omnis generis tenebris, solus Christus luci. Respicit ad illud dictum Johannis, 'Lux in tenebris lucet, et tenebræ eam non apprehenderunt;' et apud eundem Christus lucem mundi se appellat. Nox a tenebris ita discernitur, ut lux a die. nam possunt esse tenebræ, quæ non sunt noctis: et potest esse lux, quæ non sit diei.

Nubila] Quæ privant nos die, sed non luce.

2 *Confusa*] Quicquid est, quod perturbat aut terret in mundo: quicquid privationem ordinis aut lucis affert. Revera sine luce, ut in nova Ægyptiorum plaga, nulla actionum est series, et omnia pavoris sunt plenissima: adeo ut surgere de loco, præ cæcitate et formidine non audeas, ut Exod. x. dicitur. Fuerunt enim tenebræ illæ densissimæ, et tenebris noctis majores. et, ut ita dicam, palpabiles, ψηλαφητὸν σκότος.

3 *Intrat*] In illa obscura.

Albescit] Oriente die sereno.

4 *Christus venit*] Adventus Christi lucem et lætitiam secum affert, tenebras et horrorem fugat.

Discedite] Alludit ad vetera præconia, ἑκὰς ἑκὰς ἔστε βέβηλοι, et ἑκὰς ἔστω ἀλιτρός. Ita ille in re ludicra: 'Discedite segnes.'

5 *Caligo terræ*] Quæ e terra nas-

citur: nisi enim terra Soli interponeretur, nullæ essent tenebræ, nox nulla.

Scinditur] Dissipatur, dispergitur.

6 *Percussa*] Tacta, fugata.

7 *Color*] Qui erat ablatus obscuritate noctis. Tenebræ sunt privationes colorum.

8 *Vultu*] Aspectu, adventu.

Nitentis sideris] Sidus pro sole, ταπείνωσις καταχρηστική, quæ tamen nonnihil corrigitur epitheto.

9 *Nostra*] Ut Solis lumen tenebras discutit: ita lex Dei aperit detegitque peccata.

11 *Ruptis*] Prolatis in apertum delictis.

12 *Regnante*] Qui regnare non videtur ei, qui peccat, securitate et contemtu.

Pallescit] Terretur. Consequens pro antecedente. Terror conscientiæ primus pœnitentiæ gradus est.

13 *Claudere*] Tegere, operire, dicente Christo; 'Nihil tam abstrusum, quod non proferetur.'

14 *Fuscum*] Nigrum, caliginosum, improbum, per metalepsim. Deus nostra etiam cogitata non ignorat.

15 *Mane*] Luce micante.

16 *Secreta*] Deus est καρδιογνώστης (ut David et Jeremias testantur), 'scrutator renum atque cordium.'

17 *Ante lucem*] Ante diei tempus, ante solis exortum. Per inductionem probat impios gaudere tenebris, ut furem, insidiatorem, adulterum, potatorem.

Squallido] Tenebricoso, obscuro.

18 *Impune*] Quia nemine vidente.

19 *Lux. dol. con.*] Ut contra; 'nox est accommoda fraudi.'

22 *Amat*] Cupit, delectatur.

Ten. obtegi] In operto versari.

23 *Aptamque*] 'Qui male agit, odit lucem.' Nox turpitudinis et fraudium administra, et secundum Poëtam, 'nihil moderabile suadet,' et recte, 'apta rebus turpibus,' perhibetur.

37 *Hæc hora*] Tempus diei matutinum.

Cunctis] Quos exprimet per species, et vitæ officia.

39 *Togatus*] Civis, per notationem. Romani enim toga usi sunt.

40 *Arator*] Agricola, rusticus.

Institor] Κάπηλος, ein Sonnenkrämer, ein Höcke, qui emit, quod lucro vendat.

41 *For. gloria*] Eloquentiæ seu juris studium.

42 *Raptat*] Non omnes judicio accedunt ad vitæ genus, in quo vitam consumunt.

Classicum] Gloria et fama militaris. Studiorum in hac vita finis est, aut honor, ut eorum, qui occupantur in Rep. aut fructus et pecunia, ut agricolarum et mercatorum, et aliorum.

45 *Nos*] Nos, qui religiosæ et honestæ vitæ sumus studiosi, qui nec lucrum petimus, nec dicendo valemus, nec militare possumus; nos, inquam, qui cœlorum cupidi, mediocritate contenti, tibi studemus, te cognoscere, te celebrare mentis corporisque viribus desideramus.

Lucelli] Ut opifices.

Fœnoris] Ut mercatores.

46 *Fandi nescii*] Ut oratores et jurisconsulti.

47 *Arte for. bell.*] Ut duces et milites.

48 *Te Christe*] Studia divina sunt, Dei vera cognitio, et pro eis summis beneficiis perpetua gratiarum actio. Vita hominis Christiani sit laus et invocatio Dei, secundum Davidem, 'laudans invocavi Dominum.'

49 *Mente*] Expressit locum Pauli ad Eph. 'Impleamini Spiritu, loquentes vobis ipsi psalmis et hymnis, et cantionibus Spiritualibus, canentes et psallentes in corde vestro Domino, gratias agentes semper de omnibus, in nomine Domini nostri Jesu Christi.' Repetit eundem ad Coloss.

50 *Voce*] Recte cum laude conjunguntur mens, vox, oratio, gemitus. Deus laudatur animo, quæ ejus præ-

cipua laus est. Animi affectum indicat oratio, exprimit cantus, ostendit veneratio, testantur lachrymæ.

51 *Curvato genu*] Gestu supplicantium.

52 *Flendo*] Hoc asyndeton ὁμοιοτελευτικὸν elegans in carmine Iambico.

53 *His quæstibus*] Mentis sinceritate.

54 *Hac arte*] Hoc præconio et fide.

56 *Cum sol*] Juxta Psalm. 'In matutinis meditabor de te.'

Resurgens] Oriens, ad nos rediens.

57 *Intende*] Precatio incipit, ut Deus actiones nostras gubernet, quæ multum habent vitiositatis ac tenebrarum.

59 *Fucis*] Inani specie integritatis.

60 *Luce*] Cognitione, invocatione, observantia.

61 *Durare*] Præclare revocat nos ad memoriam fœderis, quod est cum Deo initum in Baptismo. Quemadmodum insiti sumus societati Ecclesiæ per lavacrum regenerationis; ita cotidie renasci debemus Deo, et mori carni, eamque secundum Apostolum crucifigere et mortificare, cum pravis affectibus et cupiditatibus noxiis.

62 *Quales*] Natura hominis tota peccato vitiata est, et male agendi occasiones innumeras vita subministrat cotidiana. Peccata ingenerata atque insita, modo 'sordes' nominat; peccatorum omissiones, 'atras nubes.' Totum mundi theatrum, in quo et auctores et spectatores sumus, vocat 'noctem.'

64 *Jordane*] Pro quavis aqua. In fluvio Jordane baptizatus Christus est, et se baptizari voluit Imp. Constantinus.

65 *Dehinc*] Post baptismum.

66 *Infecit*] Obscuravit, obduxit, a tinctoribus lanarum sumtum.

67 *Eoi*] Eoum sidus, pro lumine Solis orientis. Regem Solis, appellat Christum, lucis auctorem.

68 *Vultu*] Vultus Dei serenat omnia, et quicquid ipse aspicit, lumine sacro perfundit.

69 *Qui tetram*] Sermo est allegoricus et parabolicus. Nostra delicta etiamsi pice atque hebeno sint nigriora, redduntur lacte candidiora, et puriora crystallo, gratuita Dei in Christo misericordia. De hebeno Virg. Georg. I. 'Sola India nigrum Fert hebenum.' Sed nasci etiam in Æthiopia scribit Herodot., in Ægypto Lucanus. κρυστάλλου διαφεγγέστερον apud Lucianum. Ovid. de Pont. II. 'Cui pectora lacte, Et non calcata candidiora nive.' Idem Met. XIII. 'Totus pice nigrior atra.' Prudentius comparat peccata colori nigro, propter cæcitatem mentis humanæ: Isaias rubro, quia sanguine Christi fuerunt pianda.

73 *Sub nocte*] Jacobus luctatur cum Angelo per noctem, quem cum nollet dimittere, femur ejus tactum luxatur: post luctam statim (ut Moses inquit) ei Sol ortus est. Hanc luctam interpretari videtur Prudentius (ut locuti barbari sunt) anagogice, ut dicat, victoriam non esse in humanis viribus, Deumque vinci non posse, nisi quis refrenet libidines, noctisque caligine excussa, lucem intueatur. Sententia autem hujus historiæ revera τυπικὴ est. Luctatur cum Angelo Jacobus, quia non patitur sibi extorqueri promissionem, quam a Deo acceperat, quamvis ei obstare præsentia pericula cerneret: unde et nomen luctatoris a fidei constantia consequitur. Femur tangitur et tabescit; e femore enim Jacobi oriturum erat semen illud nobile et sanctum, quod peccato non esset obnoxium, ut per illud tolli peccata possent. Post ejusmodi luctam jam lux oritur, quia cum imbecillitas nostra verbo Dei atque fide evasit atque vicit, ipse etiam Solis splendor illuminatior videtur. Lucta Jacobi, fidei luctantis est effigies, quæ Deum in suis promissis, quasi in amplexu devinctum tenet. Femur labefactatum,

carnis nostræ imago, cujus facultas debilis est, et potentia claudicat, quod ad Deum vincendum attinet. Fide igitur paratur victoria, cui omnia cedunt, Deus quoque, eamque in animis hominum lux fulgens, et lætissima quies sequitur. Elisabetha matrem Christi prædicat beatam, non quod mundi Servatorem acceperit, sed quod crediderit voci Dei, quam nunciavit Angelus; nam sine fide nec concipere potuisset.

Cærulea] Obscure nigra; quia diei vicina. Ita Virg. 'Cæruleis vittis,' pro nigris, et quibus utebantur in funeribus.

74 *Luctator*] Historia apud Mosen legitur Gen. XXXII.

75 *Eo*] Tamdiu donec. Sunt separatæ dictiones Eo et Usquedum.

77 *Jubar*] Prima orientis Solis lux radios veluti jubas projiciens.

80 *Culpæ vigorem*] Peccandi potestatem.

82 *Quæ corporis*] In homine sunt, intellectus, qui in cerebro sedem habet; animositas, quæ in corde; concupiscentia, quæ infra cordis locum posita est.

83 *Longe*] Quia cum partibus excellentioribus nihil commune habet.

84 *Diram*] Malorum ducem et auctorem.

85 *Hæc nos*] Τὰς ἀλληγορίας, quod sensum non apertum habent, recte dicit imagines.

87 *Cedat Deo*] Deo non cedere impium est. Unde in alia lucta dicitur apud Virg. Æn. v. 'Non vires alias aversaque numina sentis? Cede Deo.'

88 *Vires rebelles*] Frustra Deo restitit, quisquis resistit.

89 *Erit beatior*] Beatitudinem in abstinentia et castitate ponit, quibus luctamur contra intemperantiam ac libidinem. Sed non is verus et propinquus Poëtæ sensus est.

93 *Facessat*] Abeat, recedat. Optantis, non imperantis est.

95 *Lapsos*] Respicit ad illum locum, qui est ad Hebræos: 'Facite, ut recti sint gressus pedum vestrorum, ne claudicatio aberret a via.'

97 *Lux*] Lucis nomine verbum Dei intelligit, de quo scriptum est, 'Lucerna pedibus meis verbum tuum.'

99 *Nihil loquamur*] Hominis Christiani et sermonem et cogitationes sanctas esse ait oportere: absit fraus a lingua, ab animo impietas.

101 *Sic tota*] Precatur ut hominis quoque actiones externæ liberæ sint atque puræ a peccatis illis turpibus mendacii, injuriæ, concupiscentiæ, omnis denique immundiciæ.

103 *Oculi lubrici*] In quibus sedes concupiscentiæ. Quæ non videmus, rarius concupiscimus.

105 *Speculator*] Insignis sententia contra securitatem. Ita Syracides: 'Oculi Domini vident omnes vias hominis, et in partes abditas intuentur.' ὀφθαλμοὶ γὰρ Κυρίου ὑψίστου μυριοπλασίως ἡλίου φωτεινότεροι, ut ait idem.

109 *Hic testis*] Quia inspicit et novit.

Hic arbiter] Quia vindicat et punit.

111 *Humana*] Deus videt et aperta et latentia, 'Ipse' (ut ait David) 'novit cordis abscondita:' 'Ipsum' (ut testatur Job) 'nulla latet cogitatio.'

Hymn. vi. 'Somnus omni animantium generi datus ad quietem est,' ut ait Philosophus. Igitur vir pius in hoc hymno petit, ut post varios diei labores finitos, placidam quietem Deus largiatur, terrores somniorum depellat, somnia salutaria immittat, qualia viris sanctis sæpe sunt immissa. Meminerit ante somnum omnis Christianus beneficiorum Filii Dei; et in ipso somno aliquid pie de Christo meditandum incidat. 'Ades, Pater supreme, Quem nemo vidit unquam,' &c.

1 *Ades*] Invocatio brevis; in qua ostendit, se Deum verum colere, ea majestate, qua se patefecit, et ad flu-

vium Jordanem, et in monte Thabore; videlicet in tribus personis unum et omnipotentem, et potestate æquali. Qui enim tali luce agnoscunt, talique fide adorant, il soli exaudiri, et vocis optatis solent perfrui.

2 *Quem nemo vidit*] De verbis Johannis hoc dicit, quæ leguntur cap. I. 'Deum nemo vidit;' non solum quod ad ipsius substantiam et majestatem, quam tamen videre homines cupiunt, ut in Semeles Thebanæ historia finxerunt antiqui; sed etiam ejus voluntatem de ratione salutis nostræ nemo unquam cognovit, 'nisi cui ipse in Filio per Spiritum Sanctum revelare voluit.'

3 *Patris sermo*] Filius Dei dicitur *λόγος*, quia æterna mens et sapientia Patris est, Deus cum Patre, lumen de lumine: qui e sinu Patris generi humano mentem et voluntatem Dei enunciavit, et cum patribus locutus est, et usque ad finem mundi doctrinam Evangelii per vocem ministerii conservat.

4 *Spiritus benigne*] Spiritus Sanctus æternus ille est amor inter Patrem et Filium. Distinguit personas Divinitatis, et singulis aliquam proprietatem attribuit, Patrem nominat *ἀόρατον*, Filium *λόγον*, Sanctum Spiritum benignum.

5 *O Trinitas*] Post personarum distinctionem altius loquitur de ortu. Filius a Patre est, ab æterno. Spiritus Sanctus a Patre et Filio procedit ab æterno. Missus in mundum Filius a Patre est, ut homo fieret, et homines Patri cælesti restitueret in gratiam. Missus in mundum Spiritus Sanctus a Patre et Filio, ut de ambobus testaretur: de quibus missionibus Johan. cap. I. Luc. Act. II. Ait præterea, quod sint pariter potentes, æqualiter sapientes, Pater, Filius, Spiritus Sanctus.

9 *Fluxit*] Proponit petitionis summam, quod dies discesserit, et sumit inde petendi occasionem, ut labori quies, recreatio lassitudini, ægritudini oblivio succedat: quod somno fieri videmus.

Fluxit] Effluxit, desiit.

Labor diei] Dies est laboribus hominum destinatus.

10 *Redit*] Per solidum intervallum.

11 *Blandus*] Quia 'somnus,' ut ait Aristoteles, 'omni animantium generi gratissimus.'

Sopor] Sopor proprie est somnus artior et profundior.

Vicissim] Nisi esset laborum et quietis vicissitudo, vita hominum durare non posset longius.

12 *Fessos artus*] Idem de alterna requie scribit Poëta: 'Fessaque membra novat.' Ecclesiastes v. 'Somnus dulcis operantium.' Item Horat. 'Lenis agrestium Somnus virorum.' Γλυκύθυμος ὕπνος dicitur Aristophani, quod animum mulceat.

13 *Mens æstuans*] Quemadmodum procellis tolluntur fluctus, et turbantur æstuaria: ita interdum exagitatur mens inquietudine: et ut corpus vulnere, ita animus curis læditur. Metus autem et sollicitudines aut deponuntur, aut mitigantur per somnum.

15 *Totis, &c.*] Omni desiderat cupiditate, ut solent sitientes potum desiderare. In similitudine non persistit, sed transit ad aliam. Bibere ad plura pertinet, quam ad sensus: ut hoc loco, 'bibere medullis:' apud Horatium, 'bibere pectore.' Item ab uno sensu ad alium transfertur: ut 'aure bibere' Propert.

16 *Oblivialе*] Pro somno, qui oblivisci facit rerum omnium. 'Ut gravis corporis morbus somnum adimit,' secundum Syracidem XXXI. ita molesta animi ægritudo somnum inducit, ut in historia Jonæ.

17 *Serpit*] Somnus sensim et lente obrependo corpus occupat.

18 *Lethea vis*] Pro oblivione, more

Poëtico. Lethe fluvius apud Inferos fingitur, de quo 'animæ' (ut Virg.) 'oblivia potant.' Revera fluvius est in Insula Creta, juxta quem Harmonia mariti Cadmi oblita est. Ejusdem itidem nominis in Celtiberia, ut Strabo lib. III. in Magnesia, ut idem lib. XIV. Dicuntur hi fluvii a Platone ἀμελεῖς, quia inducunt oblivionem et incuriam.

19 *Miseris*] Vere miseri sunt, qui metu, anxietate, periculis nunquam carent.

Doloris ægri] Molestiarum; quæ pariunt ægritudinem, quæve animum de statu tranquillitatis deturbant.

21 *Lex hæc*] Deus voluit succedere labori somnum, ut hac quasi medicina servaret vitam animantium laboriosam. Prodest somnus fessis, et prodest dolentibus.

22 *Deo jubente*] Somno quiescere et ejus frui dulcedine, donum Dei est, secundum Salomon. Prov. III. 'Cum dormies, non timebis: cum quiesces, suavis erit somnus tuus.'

24 *Medicabilis*] Ita Menander ait somnum esse ὑγείαν βίου, καὶ σώματος σωτηρίαν.

Quies] Pro somno; consequens pro antecedente; unde somnus παυστὴρ πόνων, ab Alexide: ἡσυχίας γενετὴρ, ab Agathia: κακῶν ἀνάπαυλα ab Orpheo. Ita Ovid. 'Somne, quies rerum.'

26 *Venas*] Origo venarum cor est, venæ sanguinis sunt receptacula, in sanguine spiritus insunt, spiritus ad cerebrum feruntur, somni sedes cerebrum est, ad quod post cibum vis humorum ascendit, et somnum efficit: qui quidem post saturitatem celerius, et post repletionem statim invadit, ut in ebriis. Hinc Poëta ait: 'Vina quies sequitur.' Et ille in Comœdia, κραιπαλᾷς, inquit: καταν ύστασον, παύσῃ γάρ. 'Crapulatus es? dormito, et levaberis.' Rectior doctrina Syracidæ: 'Viscera temperantis fruuntur somno salubri.' Nam temperans mane surgens animi compos est, hoc est, munera vitæ exequi utiliter potest.

27 *Feriatum*] A Labore solutum, ab opere liberum, a lassitudine vacuum.

28 *Placat*] Mitigat, post æstus videlicet et curas, ut supra dixit.

Rigante] 'Ex humore somnus maximus contingit,' ait Macrobius.

Per Auras] Cum vapores diminuti sunt, et facti subtiliores, solvuntur. Unde animus etiam vigorem in sensibus concipit, et somnia varia immittit aut ostendit.

31 *Per figuras*] Quas vocant φαντάσματα.

32 *Operta*] Obscura, immanifesta.

33 *Soluta curis*] Liberata molestiis. Animus hominis cum sit divinus, a Deoque inspiratus, non potest quiescere, etiam in dormiente.

34 *Origo cœlum*] Quia a Deo insita.

35 *Ab æthra*] Æthra est pars cœli lucida atque ignea.

36 *Iners*] Sine motu et vigore.

37 *Multiform.*] Varias rerum figuras, ut modo nominavit.

39 *Repente currens*] Quia visa sunt non corpora: umbræ, non substantiæ. Animi motus motuum omnium celerrimus.

40 *Tenui actu*] Quia sine re. Dixit enim, 'Facies sibi ipsa fingit.'

Fruatur] Frui videatur. Phantasma enim est, quod imagines inanes et mox evanescentes objicit.

43 *Splendor*] Lux quædam futurorum nuncia, lux (ut mox dicet) serena.

45 *Plerumque*] Magna ex parte.

46 *Mendax imago*] Nihil usitatius est, quam ut ludant somnia. ita Tibull. 'Somnia fallaci ludunt temeraria nocte.' Et Petron. 'Somnia, quæ mentes ludunt volitantibus umbris.'

Ambage fallit] Inde est, quod Macrobius somnium definit, 'quod tegit figuris, et velat ambagibus rem aliquam significandam.'

49 *Quam rara*] Qui vita integri sunt, et Deo chari, hi interdum in somnis vident res veras, et ex iis futura conjiciunt.

51 *Vibrans*] Micans. Ut, 'sæva vibrantes luce tenebras.'

53 *Coinq. vitiis*] Contaminatum peccatis, impurum sceleribus, sordidum malefactis.

54 *Impiavit*] Ita polluit, ut piaculo egeat.

55 *Lusus*] Territus, vexatus.

56 *Species trem.*] Impii terrifica habent somnia. Unde Job inquit: 'Terrebis me per somnia, et per visiones horrore concuties.'

57 *Hoc Patriarcha*] Historiam adducit e libro primo Mosis, qua probat piis hominibus fatidica contingere somnia. Josephus, Jacobi F. in Ægyptum venditus, et propter dominam protervam in carcerem injuste conjectus, duobus aulicis simul vinctis, verum e somniis prædixit: alteri incolumitatem et honores pristinos, alteri turpissimum interitum: exitus utrumque statim probavit.

62 *Dat*] Porrigit, ministrat.

64 *Fixum*] In crucem actum.

Volucres] Volucres rapaces sunt corvi, vultures, aquilæ, qui cadaveribus vescuntur.

66 *Perplexa*] Ita dubia et ambigua, quæ nemo alius sciret aut interpretaretur.

67 *Movit*] Movendo impulit, persuadendo coëgit.

68 *Acervis*] Frumenti cumulis, quos in horrea regia cumulavit.

69 *Præsul*] Præfectus a frumento.

Tetrarches] Princeps. Moses scribit, eum proximam a rege habuisse dignitatem, et cæteris ornamentis regi fuisse parem, solio tantum excepto.

71 *Sociam virgam*] Sceptrum seu potestatem obtinere: quia consors regni erat.

72 *Resedit aula*] Resedit in aula, i. e. in regno dominatus est.

73 *Profunda*] Abdita, paucis intellecta.

74 *Soporem aperit*] In somno patefacit.

77 *Evangelista*] Johannes, Zebedæi filius, frater Jacobi, in insulam Pathmon a Domitiano relegatur, sub Nerva ad Ecclesiam Ephesinam redit, sub Trajano moritur. Fuit in ministerio annis octo et sexaginta. Extat ejus historia evangelica, una epistola, et liber Apocalypsis.

78 *Fidissimus*] In sinu Christi quievit.

79 *Signata*] Obscurata, obsignata.

80 *Nebulis*] Sodulius ait, 'hæc ipsum vidisse in somnis.' Prudentius 'in luce clara vidisse, remotis nebulis.'

81 *Tonantis*] Jesum Christum Dei Patris æterni et Virginis filium. Apocal. v.

82 *Cæde*] Ita enim senes illi Musici Agnum allequuntur eodem capite: 'Occisus es, et redemisti nos Deo, per sanguinem tuum.'

86 *Anceps*] Parte utraque acutus.

87 *Fulgurans*] Instar fulguris coruscans.

88 *Duplicem*] Geminatum, certum.

89 *Quæsitor*] Præses judicii, qui habet summam sententiæ dicendæ potestatem.

Solus] Qui venturus ad judicandum viventes et mortuos, et ad damnandum animam atque corpus.

92 *Prima ac secunda*] Apocal. xx. 'Infernus et mors conjecti sunt in stagnum ignis, hæc est mors secunda.' Una mors est peccati, quam nemo potest effugere: alter damnationis, de qua pii liberantur per fidem in Christi sanguinem.

93 *Benignus*] Clemens vindex, quia secunda morte tantum impios affligit. Ultor est, vindex facti. Alibi: 'Omnium venturus inde justus Ultor criminum.' Apud Romanos Jupiter, Mars, Hercules, Bacchus, dicti sunt Ultores.

95 *Paucos*] Quia multos perditos etiam vocat ad pœnitentiam, ut Ma-

nassen, peccatricem, latronem, Mauricium.

98 *Tribuit*] 'Pater omne judicium Filio dedit.' Johan. v.

98 *Tribunal*] Respicit ad nomen quæsitoris, qui solus tribunal tenet, cæteris judicibus sedentibus in subselliis.

101 *Cruenti*] Quia strages piorum edet.

102 *Extinctor*] Nam 'eum conficiet spiritu oris sui, et abolebit claritate adventus sui,' ut Paulus scribit Thess. II. 2.

Antichristi] 'Qui est homo ille scelerosus, filius perditus, qui est adversarius Christi, et effertur adversus omne, quod Deus aut numen appellatur.' ibid.

107 *Sanguinis charybdim*] Charybdis pro gurgite et voragine non explenda: quia 'ebria de sanguine sanctorum et de sanguine martyrum Jesu,' ut loquitur Evangelista. Potest igitur 'sanguinis charybdis' dici de eo qui cædibus satiari non potest.

109 *Hæc nempè*] Hoc Johannes dicit de Babylone, cap. XIX. Hieronymus de Roma intelligit.

111 *Imam*] In lacum sulfuris conjicietur, igni perpetuo addicta. Gehennæ, pro æterni ignis supplicio: nominis origo paulo ante explicata.

114 *Heros*] Evangelista sacer.

115 *Spiritu*] Recte. In spiritu enim se fuisse, et vidisse hæc ait.

Sagaci] Tot rerum futurarum præsago.

117 *Nil miremur*] Ut de rebus tam abditis instruamur, quas paucis Deus solet aperire.

118 *Implet*] Occupat, obtundit.

119 *Concreta*] Insita, ingenita.

120 *Viciat*] Ineptos facit.

121 *Sat est*] Nos simus contenti eo munere, quod tranquille somno quiescimus, ad refectionem corporis et virium, nec terremur horrendis visis aut somniis.

122 *Fessum*] Curis, laboribus, angustiis: quæ præcipuæ fatigationis caussæ sunt.

123 *Sinistrum*] Terribile, portentosum.

124 *Vanæ*] Omnis umbra vana est, ut omnis quies dulcis est: sunt naturæ epitheta.

125 *Cultor Dei*] O Christiane, qui Deum vere colis, vere invocas. Alloquitur homines pios, revocans illis in memoriam, quod per lavacrum Baptismi sint recepti in gratiam Dei: et porro adhortans, ut passione et merito Christi vera fide utantur, quasi firmissimo præsidio contra omnes insultus, præstigias, et pericula.

126 *Fontis*] Per Baptismum renascimur, per Spiritum Sanctum renovamur. Hæc Poëta loquitur ex verbis Pauli ad Timotheum, qui Baptismum nominat λοῦτρον παλιγγενεσίας καὶ ἀνακαινώσεως πνεύματος ἁγίου.

130 *Castum*] Decet adolescentes castitas et silentium.

132 *Crucis*] Per crucem passio et mors Domini nostri Jesu Christi intelligitur.

134 *Fugiunt*] Ubi Christus est, ibi salus et lux est: ubi fides, ibi nulla fluctuatio.

137 *Procul*] Vox abominantis, ut terrores somniorum et Satanæ insidiantis absint ludibria.

140 *Præstigiator*] Quia mille modis decipit, etiam μετασχηματισμῷ, 'cum se in angelum lucis transfigurat.'

141 *O tortuose serpens*] Specie serpentis primum hominem Diabolus perdidit; unde nomen serpentis retinuit.

142 *Mæandros*] Mæander fluvius est in Caria, Phrygiæ regione, qui cursu obliquo fertur, et in se recurrere videtur. Accipitur pro quovis flexu atque errore.

144 *Agitas*] Versas, exagitas.

Quieta] Simplicia, recta.

145 *Discede*] Præsentia Christi tollit peccatum. Unde peccatum abest, locus nullus damnationis est.

Hic est] Prope cultores Dei.

146 *Hic*] In castis cubilibus.

146 *Liquesce*] Ut limax solet.

147 *Signum*] Crux, i. e. meritum Christi.

149 *Fatiscens*] I. e. fatigatum, sive labore, sive dolore, sive angustia.

150 *Recline*] Reclinatum, quiescens, ab habitu dormientium. Virgil. 'Posita cervice reclinis.'

152 *Meditabimur*] Ejus memoriam reputabimus, etiam lassi et dormientes.

HYMN. IX. SIVE PÆAN DE VITA ET MORTE CHRISTI. Pæan est carmen gratulatorium, propter partam aliquam victoriam. Tale primum Diis suis Græci, postea etiam viris claris cecinerunt, ut scribit Suidas, et interpres Thucydidis. Tale cecinit Jason sacerdos impio tyranno Epiphani, cum præfectus ejus Apollonius urbem sacram intraret, ut in historia Macabæorum testatur Jason Cyrenæus. Iste verus Pæanum usus est, quem e Prudentio, Sedulio, Fortunato accepimus, in laudem Filii Dei; et Prudentius quidem tractationem plane Pæanicam habet, veteribus usitatam: cæteri pares artificio non sunt, sed argumenti tamen præstantia non sunt dissimiles.

Omni Hora atque Die] Titulus seu inscriptio Pæanis hujus hæc est, quia nullum esse tempus vacuum debet a meditatione beneficiorum Christi. 'Septies in die laudem dixi tibi,' inquit David.

1 *Da*] Olim pueri, ut est apud Athenæum, ad lyram canebant, aut cithara ludente puero, canebant alii; ad quam antiquorum consuetudinem hic respexit. Exordium habet attentionem, quod alios secum excitat ad canendum, de re maxima, et cognitione omnium dignissima. Davidicum est alios simul advocare ad laudandum Deum.

Choreis] Genus carminis Trochaicum innuit.

Canam fidelibus] Quia certissimam scribit historiam, et omnibus Christianis memoria tenendam.

2 *Dulce*] Propter materiam.

Melodum] Propter harmoniam.

Gesta Christi] Ἐπεξήγησις, quæ simul propositionem continet. Gesta, inquit, quia facta et miracula tantum describit, conciones omittit.

Insignia] Præcipua; quis enim omnia scriberet? cum Johannes testetur, 'mundum capere libros non posse, si scribenda essent universa.'

3 *Camena*] Innuit genus orationis, quia carmine scriptum sit: genus item carminis, quia lyricum seu melicum elegerit, quasi suavius et magis volubile, ideoque et ad intelligendum et ad discendum aptius. Innuit præterea, qualis materia eligenda et ad quem finem. Pangimus aliquid novi aut sancti, unde etiam de fœderibus dicitur: Laudamus, quæ insignia sunt, et imitatione digna, sicuti ea sunt potissimum, quæ ad Deum pertinent.

Solum] Omnis laus Deo debetur, et uni solique debetur, omni tempore atque momento.

4 *Christus*] Subjectum propositionis tractat, et ostendit Christum merito cani et laudari. Idem enim fecit David rex potens, et Propheta divinus, neque solum carmine et voce, sed instrumentorum modis atque generibus: qualia ipse commemorat lyram, citharam, tubam, tympanum: item κινύραν δεκάχορδον et νάβλαν δεκάφθογγον, ut recentes Græci annotarunt. Carminis materiam non ipse finxit aut elegit, sed a Spiritu Sancto cœlitus didicit, et eo afflante atque dictitante perscripsit. Ita Petrus inquit; 'A Spiritu Sancto impulsi locuti sunt sancti Dei homines.'

Rex] Davidem intelligit, qui et Propheta fuit, et Psalmos scripsit, quod munus Sacerdotum erat.

5 *Infulatus*] Infula, nostrorum Pontificum insigne, Ebræorum Ephod seu superhumerale, ut cidaris Persa-

rum, apex Romanorum.

Voce] Musica aut est in voce et cantibus, quæ ἁρμονικὴ dicitur Platoni; aut instrumentis ὀργανικὴ Varroni: hæc rursus aut intenditur chordis, ut lyra; aut pulsatur bacillo vel plectro, ut tympanum et nablum.

7 *Facta nos*] David scripsit non visa, asseruit non facta, confirmavit nondum exhibita: nos vero et facta jam, et probata afferimus, nec unius aut alterius, sed orbis universi et hominum omnium testimonio, Christum videlicet Deum verum, in terris versatum, et officio Doctoris functum, salutem attulisse mortalibus. In scribendo dictionem, 'etiam' divisimus, pro, et, jam, ex manu scripto.

9 *Cominus*] Quia naturam hominis et fragilitatem carnis Christus assumsit, sed absque peccato et macula.

Docendis] Ad docendos mortales, vel docendorum mortalium caussa. Genus orationis simile illi Horatiano, 'Est in horto, Phylli, nectendis apium coronis.' Christus Doctoris munere functus est, testaturque ipse coram Pilato, 'se ideo missum esse, ut doceat.' Summus sacerdos Christus docuit supra annos tres, ipse se in cruce victimam immolavit, pro discipulis et hostibus oravit.

10 *Corde natus*] Christus primum Deus verus et omnipotens, et ante omnia existens, et conditor universæ naturæ, filius æterni Dei, ex cujus corde natus sit, describitur. Deinde homo verus, a Spiritu Sancto conceptus, et de Virgine in lucem mortalem editus, monstratur. Prima Christi nativitas, quæ caruit initio, desumta ex Evangelista Johanne: alteram Matthæus et Lucas, quo tempore et loco habuerit initium, diligenter describunt.

11 *Fons*] Fons pro origine rerum.

Clausula] Clausula pro fine, quo res omnes clauduntur.

13 *Ipse jussit*] Ita Moses, 'Dixit Deus, Fiat, et factum est.' Ita David. 'Ipse dixit, et facta sunt: ipse mandavit, et creata sunt.' Idem repetit Johannes, 'Omnia per ipsum facta sunt.'

14 *Ponti*] Pro Ponto, ταπείνωσις.

15 *Lunæ*] Nam quæ his cæli luminibus sunt subjecta, caduca, fluxa, et ruitura sunt.

16 *Corporis*] Utitur verbo Divi Pauli, μορφὴν δούλου λαβών. Non ita formam intelligit, quasi umbram aut imaginem inanem: sed quod vere fuerit homo, ita uti apparuit. Ideo se ipse hic exponit, dicens, 'membra morti obnoxia,' i. e. sicuti hominis mortalia. Hoc cum satis explicare nequeam, divi Ambrosii verba apponam: 'Quia forma Dei accepit formam servi, utrumque Deus, utrumque homo: atque hoc totum et Deus dicatur, propter Deum: et homo, propter hominem.'

17 *Protoplasti*] Πρωτόπλαστος primogenitus, seu primus parens, hoc est, Adam. πρωτόκτιστος. Canit eodem modo Ecclesia, 'Propter Nos, Et Nostram salutem descendit de cælis.'

18 *Lex*] Pœna legis, damnatio inobedientiæ.

Noxialis] Noxiam, i. e. mortem afferens, vel morte puniens.

Tartaro] Exitus ab Infernis nulli patet, ut est apud Lucam in narratione de divite et immiti epulone.

19 *Beatus*] Gratulatur de adventu Christi in carnem humanam. Virginem esse puerperam, Spiritum Sanctum fecundare puellam, Deum nasci hominem, res vere admirandæ et miraculosæ sunt: sed eorum miraculorum fructus dulcissimus, quia nobis parit beatitudinem et salutem: gloria immensa, quia quicquid in cælis est, in laudem Dei propter homines exultat: memoria antiquissima, quia a Patriarchis et Prophetis longo tempore ante sunt denuntiata.

22 *Psallat altitudo*] Dei beneficium immensum Angeli celebrant, quorum

exemplo nullius hominis lingua taceat aut vox silescat. Dei misericordiam Prophetæ prædicant illis speratam, sed nondum ostentatam: quorum imitatione, nos etiam ipsius veritatem et clementiam in Filio exhibito omni laude extollamus.

24 *Linguarum*] Pro, nulla lingua, Græcismus.

25 *Vates*] Patriarchæ, Adamus, Enochus, Noas.

26 *Prophetarum*] Bileami, Davidis, Isaiæ, Micheæ, Danielis.

Fideles] Certæ minime fallaces.

27 *Promissus*] Abrahæ, Isaaco, Jacobo, Davidi.

Cuncta collaudent] Ἐπιφώνημα. In hanc sententiam alibi Prudentius, 'Christum celebret, Christum sonet, omnia Christum, Muta etiam fidibus sanctis animata, loquantur.'

28 *Cantharis*] Johan. cap. II. hos cantharos nominat μετρητάς: usurpat poculum pro mensura, per metonymiam: partem pro toto, per synecdochen. Sequitur jam enumeratio miraculorum, quibus Christus se mundo patefecit, quod non solum homo fuerit natus de homine, verum etiam æternus et omnipotens Deus natura et virtute cælesti. Nam et elementis et ventis imperat, et non solum attactu aut sputo, sed uno sæpe verbulo morbos gravissimos sanat, et cibo exiguo innumeros explet, et plura recolligit, quam expenderit: denique defunctos et elatos suscitat, corruptos et fœtentes in vitam revocat. Recenset autor miracula ea fere, quæ vel e pluribus, vel ab omnibus Evangelistis memoriæ sunt prodita.

Infusa lympha] Primum Christi miraculum est, quo ex aquis vinum facit in nuptiis egeni hospitis: quo miraculo ornat vitæ genus, quod in Paradiso ante lapsum instituit, et id monstrat esse sacrosanctum; quia convivio cum matre virgine et Apostolis ipse interest.

Falernum] Figura duplicata, species pro genere, et regio pro regione. Vinum Italicum pro Syrio ponitur, ut facilior intellectus sit legenti. Inter Syriæ vina, Byblinon ab Archestrato, Sareptanum a Tralliano laudatur: illud ex firmissimis fuit, hoc e tenuissimis; unde ab eodem ὑδατῶδες: his addit Tyrium Plinius, Gazeticum Apollinaris.

29 *Promptum*] 'Vinum ex hydria promere,' modo est, res tenues augere, et pauperes ditare: quod Dei omnipotentiæ munus est. Proverbiale, 'ex aquali vinum fundere,' de inusitata: ac si dicas, 'uvas de spinis colligere,' qua sententia dixit Paulinus, 'pro tritico tribuli, pro uvis spinæ.'

30 *Rex*] Rex pro sponso: est enim cujusvis eminentiæ vocabulum, ut 'rex puericiæ,' apud Horatium: 'rex caussarum,' apud Asconium: pro summo doctore, aut oratore.

Membra] Intelligit et externos et internos morbos malignos, curatuque difficiles, quos omnes Christus curavit, ut legitur Matth. et Luc. IV. Marc. et Johan. VI.

31 *Viscerum put.*] Decem leprosi curantur. Luc. XVII. item unus Matth. VIII. Marc. I. Luc. V.

32 *Fit ratum*] 'Volo' (inquit Christus), 'mundus esto.' Luc. V. Idem, 'Recipe visum,' Luc. XVIII.

33 *Turgidam*] Maculosam et deformem.

Vulnerum piamina] Intelligit per piamina, oblationem donorum, quam præcipit Moses, Levit. XIV. Non autem propter donum sanatus est, sed propter fidem in Christum: et sanitatem antea accepit, quam donum obtulit, aut jussus offerre fuit.

34 *Perennibus tenebris*] Periphrasis cæcitatis, quam tenebras perennes vocat: nam hunc a primo ortu cæcum fuisse, Johan. IX. cap. scribit. Comparat Christus huic cæco, ut mundum universum, qui cæcus est, et in cæcitate perit, nisi caretur et illumine-

tur a Christo. Narrant hanc historiam Marc. IX. et Johan. IX. de duobus aliis cæcis, Matth. IX. de Bartimæo, Marc. X.

Jam sepulta] Deposita, non magis curabilia, quam hominis sepulti.

35 *Illinis limo*] Τῷ πηλῷ. Ita alibi, 'Illevit cæcos oculos, et lumina limo Reddidit.'

Sacri et oris] Τῷ πτύσματι, sputo immisso in oculos.

36 *Hac medela*] Ad hominem illuminandum, ore et verbo Christi: ad sanandum, digito et omnipotentia ipsius opus est. Curantur cæci duo. Matth. IX. et XX. quorum Christus tangit oculos. Unus curatur verbo, Luc. XVIII.

Orbibus] Oculis, a forma rotunda.

37 *Increpas ventum*] I. e. vento interminaris, ventis pacem imperas, ut loquitur Paulinus. Tempestas verbo sedatur, Marc. IV. Matth. et Luc. VIII. Cyrillus: 'Scimus eundem esse qui super cervicali dormivit, et eundem qui mare ac ventos cum potestate increpavit.'

Furentem] Matth. ait: σεισμὸς μέγας ἐγένετο. Marc. γίνεται λαίλαψ ἀνέμου μεγάλη. 'Ventum furentem,' pro turbine aut typhone. Virg. 'Tempestatum regem ventosque furentes.'

Quod procellis] Tempestatibus ruentibus, quæ tristitiam parerent propter metum periculi.

38 *Æquor*] I. e. totum mare moveat et concitet, et, ut Horatius loquitur, invertat.

Fundo ab imo] Quasi proverbiale est. Ut, 'Fundoque exæstuat imo.' Verrat, expressit τὸ σαίρειν, ut Lucret. 'verrentes æquora venti.'

Vexet] Agitet et obruat, quia navis fluctibus jam injectis opprimebatur.

Vagam ratem] Instabilem, cui ars magistri, aut remorum vis nihil proderat, propter procellæ iniquitatem et magnitudinem.

39 *Jussus obsecundat*] 'Ο ἄνεμος ὑπακούει. Obsecundare proprie est venti secundi.

Mitis unda] Sedata verbo Christi.

Sternitur] Agitari et tumescere desinit. Ita Juvenc. 'Placidam sternit super æquora pacem.'

40 *Furtim mulier*] Quia latens accessit, et tacita. Sedulius lib. III. 'Subitam furata salutem, Extrema de veste rapit.' Hoc autem morbo annos duodecim continuos laboraverat. Historiam scribunt Matth. IX. Marc. V. Luc. VIII. certant in hac muliere Capernaitica pudor, imbecillitas, et fides. Pudore deterretur, ne adeat, quia immunda est: imbecillitatem significat, quia existimabat se latere Christum posse: fidem ostendit, quia certa apud se erat, solo attactu se posse morbo liberari.

41 *Protinus*] Sic Juvenc. l. II. 'Protinus ille, Et caussas morbi et credentia pectora cernens, Concessit celerem tali cum voce salutem: Accipe, quod meruit fidei constantia munus.'

Pallor] E longinquo morbo, et largo sanguinis profluvio, et casu (ut medici appellant) desperato.

42 *Rivus*] Periphrasis αἱμοῤῥαγίας, quam Marcus et Lucas ῥύσιν τοῦ αἵματος nominant.

43 *Exitu*] Morte et obitu.

Dulcis] Gratæ, amabilis. Erat hic adolescens Naimicus, mulieris viduæ unicus filius: quem in porta ejus urbis (cum forte in eam ingressurus esset) uno verbo Christus suscitat. Adventus Christi solatium affert matri miseræ: verbum ejus vitam dat filio mortuo. Afficitur Filius Dei revera calamitatibus hominum, ut hic lugentis viduæ: et suum affectum comprobat facto, dum restituit in vitam adolescentem defunctum.

Raptum] Adolescentem, viduæ filium. Luc. VII.

44 *Supremis*] Ultimo affectu et honore.

Fletibus] Funere prosequebatur, tumulo erat conditura. Huic mira-

culo hoc pulcerrimum epiphonema addit Sedul. lib. IV. 'Non poterat famulus domino clamante tacere, Nec, vita præsente, mori.'

46 *Sole*] Die efficiens pro fine. Carere Sole, est Solem non aspicere, i. e. in vivis non esse, *μεταληπτικῶς*.

Sepulcro] Hæc vera est lectio; antea scriptum fuit, *et abscónditum*. Christus adolescentem Naimicum, et puellam Capernaiticam suscitaverat: nunc majore miraculo Lazarum Bethaniensem, qui jam dies quatuor in sepulchro jacuerat, jamque corrumpi et fœtere inceperat, in vitam restituit.

47 *Reddito*] Revocata vita amissa. Pulcerrimus est Helpidii versiculus de Christo: 'Qui vitam functis verbo scit reddere, vita est.' Moses inquit Deuteron. XXX. 'Ipse est vita tua, et longitudo dierum tuorum.'

48 *Jecur*] Jecur præ aliis membris vitalibus facillime corrumpitur: quod est receptaculum sanguinis, et venarum origo.

49 *Ambulat*] Marc. et Johan. VI. Sedul. lib. III. 'In medias descendit aquas, quem dextra levavit Labentem Domini, nil tanto in gurgite passum, Cui portus fuit illa manus.'

Summa] Superficiem æquoris, instar soli solidam. Christus ventis imperat, ut quiescant: undas sternit, ut subsistant. Elementa suum cursum tenent constantissime, et immobiliter sunt mobilia: sed conditori subjecta, serviunt verbo illius et voluntati, contra ordinem naturæ, et cursum usitatum.

50 *Mobilis*] Unda, quæ suo semper cursu fertur. Mandato Christi stantia moventur, mobilia consistunt.

52 *Suctus*] In sepulchretis agens, *τὴν κατοίκησιν ἐν τοῖς μνημείοις ἔχων*. Sequitur Marc. V. et Luc. VIII. ut et Juvencus: nam duos dæmoniacos ponit Matth. VIII. quem sequitur Sedulius. Omnipotentiæ Christi est, non solum mutare species, mederi morbis incurabilibus, imperare ventis et mari, mortem extinguere: verum etiam suam eripere potestatem Diabolo, generis humani hosti immanissimo et sempiterno.

Catenis] *Οὐδ' ἁλύσεσιν οὐδεὶς ἠδύνατο αὐτὸν δῆσαι*, ut ait Marcus.

56 *Corripit*] In regione Gadarena; propter quos sues Christo per legationem indixerunt exilium.

Sordida] Nam (ut canit Sedulius) 'niger, hispidus, horrens, Talem quippe domum dignus fuit hospes habere.' Usitatum Nostro est, ultimam brevem producere, sequentibus in alia dictione duabus consonantibus. Ut, 'Tristia squallentis æthræ.' Et, 'O novum cæde stupenda.'

57 *Nigris*] Quia in lacum se præcipitarunt.

60 *Fert*] Hanc lectionem carmen requirit, et est vera, ex antiquis codicib. 'Vas vindemiatorum' pro rustico ponitur, 'qualus' pro canistro.

Quaternis] I. e. in duodecim cophinis seu canistris, quibus verbis alibi proprie utitur Prudentius. Quinque panibus, cum hominum millia quinque saturasset, duodecim corbes fragmentorum relicti sunt: quod miraculum Evangelistæ omnes describunt, Matth. XIV. Marc. VI. Luc. IX. et qui in recitandis miraculis parcissimus, Johan. cap. VI.

Ferculorum] Micas, relliquias.

Affatim] Cum abundantia saciata: 'affatim, *ὑπερπερισσῶς*.'

61 *Tu*] In hoc miraculo immoratur, ab omnibus Evangelistis celebrato, et appellat Filium Dei, ut non solum corpus pane et cibo, verum etiam animum verbo et Evangelio suo, perenni illa suavitate, reficiat.

62 *Nescit*] Corpus mortale pascitur et sustentatur cibo, sed rursus post digestionem esurit. Animus reficitur 'omni verbo quod prodit de ore Dei,' et dulcedine quadam alitur in vitam æternam.

Tuam] Iste enim cibus non tam ore sumitur, quam fide: neque ingeritur in ventrem, sed fovetur spiritu, et retinetur mente.

63 *Lacunam*] Pro receptaculo ciborum. 'Lacuna ventris, ταμεῖον-σις.' Ut supra, 'fossa ponti,' pro æquore. Respicit ad dictum Johan. VI. 'Non cibum operemini, qui perit; sed qui durat in vitam æternam.'

64 *Sonorum*] Ad audiendum ineptus, propter instrumentorum vitia.

65 *Purgat*] Deponendo aperit, et aperiendo recludit.

Crassa] Noxia ac manifesta impedimenta.

66 *Capax*] Habilis et accommodatus.

Susurris] Ut et ipse μογιλάλος, vinculis solutis, voces articulate proferat: et qui beneficio auditus plane caruerit, sublatis jam impedimentis, etiam susurrationes acute exaudiat.

67 *Omnis*] Matth. XIV. Marc. III. et VII. colligit συλλήβδην miracula, quia recenseri universa non possunt. Omnes morbi atque languores a Christo sanati sunt, et ii qui admittunt medicinam, et ii qui arte et manu non curantur, neque unquam curati ab artifice sunt. Ut, mutum loqui, paralyticum onus portare, cæcum videre, claudum ingredi, mortuum surgere.

68 *Lingua*] Redditam muto loquelam, testantur Matth. IX. et XII. Marc. VII.

Veterna] Veternus est morbus cui nisi succurritur, statim jugulat. Veterna silentia, pro diuturna et inveterata ægrotatione.

69 *Gestat*] De hoc paralytico, Matt. IX. Marc. XI. Luc. V.

70 *Quin*] Christus ad Inferos descendit, ut Inferorum terrorem nobis adimeret. Christi potentiæ nihil posse resistere, eique Inferorum portas, januam, cardines, vectes, obices omnes cedere, divinitatis ipsius maximum est testimonium.

Salutis] Novæ gloriæ resurrectionis.

Inferi] Sub terris sepulti. Cum Christo multi resurrexerunt, fractis ab ipso mortis et Inferorum ergastulis.

71 *Tartarum*] Sedul. lib. V. 'Tartara post cælum penetrat, post tartara cælum.'

Benignus] Benignus, ait; quia Christus omnia, quæ ad nostram Redemtionem spectant, sponte subiit, carnem, inediam, cruciatus, mortem, sepulchrum, Inferos: ut istorum omnium metum et horrorem tolleret ab iis, qui fide et gratiarum actione tanta beneficia amplectuntur et celebrant. De descensu Christi ad Inferos, contra curiosas multorum disputationes, veterum Theologorum dulcissimæ et verissimæ sententiæ memoria teneantur. Hilar. de Trinit. 'Christus non alius est moriens et regnans: neque alius est sepultus et resurgens: neque non unus est descendens et ascendens. Habens in se uno eodemque, per dispensationem atque naturam, in Dei forma, et in forma servi sine aliqua sui partitione, quod homo est, et divisione, quod Deus est.' Item Augustini contra Felicianum: 'Erat Christus uno et eodem tempore, totus in inferno, totus in cælo: illic patiens injuriam carnis, hic non relinquens gloriam Deitatis. Erat apud Inferos resurrectio mortuorum, erat apud cælos vita viventium.' Horum piis testimoniis contenti, non quæramus acutiora, ne ἀδυναμίαν reprehendentes, incurramus in eum scopulum, qui omnia conterit.

72 *Vectibus*] Quibus cardines emoventur.

Cadit] Quia frangitur. Ad Christi adventum cadunt robusta, ruunt sublimia.

Revulsis] Postes januæ prostrati. Sumuntur a militantibus metaphoræ,

quæ huic loco sunt adhibitæ.

73 *Illa pronta*] 'Viam latam et spaciosam multi ambulant ad perniciem.' Matth. VII.

Ad revertentes] 'Hiatus ingens et non transmeabilis est interjectus.' Luc. XVI.

74 *Extrorsum*] Foris aperto et refracto.

Porta] Quam solus Christus impulsam fregit, fractam dejecit, dejectam superavit.

75 *Lege*] Immutato vetere ordine, victo videl. jam eo, qui longo tempore victor exultaverat.

Limen] Mortis et Inferorum. Apud Inferos furva et atra omnia, et extremæ tenebræ.

Recalcandum] Quia credentes conculcant mortem, et imperent Inferis.

76 *Sed Deus*] Poëtice hoc dicit, Christo solem serviisse apud inferos, et illuminasse tenebras, dum in morte ejus, ipso meridie obscuratus, non luxit.

Mortis antra] Inferos vel sepulchra 'antra mortis' nominat, quasi proverbialiter.

79 *Sol refugit*] Cursum suum retraxit, lumen et radios abscondit, diem negavit.

Et lugubri] Nigrore luctibus conveniente; totum enim corpus Solis tectum latuit.

Sordibus] Pallens, obscuratus, qualis minime est sua natura.

81 *Horruisse*] Quia ista solis obscuratio præter naturam et insolita fuit. Unde Atheniensem Philosophum et Areopagitam dixisse ferunt, 'aut Deum naturæ pati, aut mundum ruiturum.' Huc referri possunt Sibyllina quædam oracula, quæ a Lactantio et Prospero adducuntur. Tertullianus hoc solis deliquium, 'mundi casum' appellavit.

Chaos] Confusionem et tenebras. Duplicia hic miracula sunt Solis deliquium, et (ut Prudentius ait) ferrugo, dum Christus patitur, et horror totius mundi atque elementorum. Idem dum descendit ad Inferos, lucem tenebris infert; idem dum resurgit, sepulchri molem penetrat.

82 *Solve*] Ἀποστροφή, qua seipsum exhortatur ad consideranda et prædicanda Christi beneficia, quæ sua passione et morte in genus humanum contulerit.

Solve] Repetitiones aptæ sunt carmini Pæanico. Ita infra, 'Macte judex mortuorum, macte rex viventium.' Item Fortunatus: 'Dulce lignum, dulce signum, dulce pondus sustinet.' Græci trophæa erexerunt vincendo, Christus patiendo. Romani triumpharunt curru aureo et equis candidis; Christus suffixus Cruci sanguineus, et vulneribus laceratus triumphat. Nova trophæi species, nec dum visa triumphi pompa; digna tamen Christo, novo victore, vero Deo atque homine. Non igitur rex fuit Christus, qui sceptrum ferret, sed plagas sustineret; non qui imperaret, sed mortem oppeteret, et genere militiæ insueto uteretur, moriens pro suis hostibus, orans pro carnificibus, ut majus constitueret regnum, non externo splendore conspicuum atque mundanum, sed in quo esset peccatorum remissio, victoria de morte, vacuitas ærumnarum, et vita æterna.

84 *Pange*] Profer, ostenta.

Vexillum] Vexillum signum est, quo admoneatur milites sui ducis, quem sequantur. Tale signum est Baptismus, qui nos admonet, cui duci nomina dederimus, et cui militare debeamus, ne aut erronei aut transfugæ perdamur in castris Diaboli.

Notatis] Ita alibi: 'Et quis alumnus Chrismatis inscripto signaret tempora signo?' Cruce signati olim dicebantur, qui baptizati essent.

85 *Cæde*] Cædes pro plaga, qua quis occiditur; consequens pro antecedente.

Vulneris] De quo aqua et sanguis effluxit. Aqua notavit Baptismum;

sanguis, Christi meritum, vel (ut nonnulli volunt) ipsum martyrium. 'Aqua diluit' (inquit Ambrosius), 'sanguis redemit.'

88 *Vidit*] Anguis primum hominem decepit mendacio, et nunc homines invidia prosequitur, quod sunt per Christum salutem adepti. Anguis verbo Christi venenum perdidit: Christi merito, etiam vires amisit: Christi resurrectione, plane strangulatus et prostratus est.

89 *Vidit*] Repetitio insultantis, vidit, et prohibere non potuit: vidit, et suum simul incommodum sensit.

Fellis] Bilis atræ præ ira atque invidia.

90 *Dolore*] Amissa nocendi vi atque potentia.

Colla] Domitus, subjugatus. Colla fractus, ut 'fractus membra' apud Horatium.

Sibilat] Sibilo fremitum et indignationem significat.

91 *Quid*] Insultat Diabolo, quem nihil juvit multiplex versutia: nam quod ipse perdidit, id Christus restituit: quod ipse deformavit, Christus homo rursus factus honestavit. Assumta hominis natura, Christus una victoria et peccatum sustulit, et diabolum vicit, et mortem delevit.

Rebus novis] In mundi primordio.

92 *Plasma pr.*] Primum a Deo hominem factum et conditum. πλάσμα 'factura,' ut Theologi transtulerunt: Unde deductum Plasmare verbum, πλάσσειν, pro facere, quo eodem utitur Prudentius in Apoth. Apud Jerem. cap. XVIII. ubi legitur de figulo, 'Conversus fecit illud vas alterum,' Prosper Aquitanicus scribit, 'Replasmavit id in aliud,' ἀνέπλασε, πάλιν ἐποίησε. Plura in nostris commentariis in veteres Poëtas Christianos, quos uno volumine ante sexennium edidimus.

Perculisse] Supplantasse, de suo statu dejecisse.

Versip. ast.] Multiplici ausu et vanitate. Crediti olim sunt homines aut formas immutare, aut pellem vertere. Tales sunt in fabulis Jupiter, Proteus, Vertumnus: in historiis Arcades, Neurii, et nostro tempore Livones, qui creduntur modo esse homines, modo lupi. Talis revera est Diabolus, et talibus præstigiis animos et oculos hominum ludit atque lædit. Bono igitur verbo usus est, 'versipelle astutia.'

93 *Diluit cul.*] Sustulit peccatum.

Recepto] Christus Deus hominis naturam induit, ut destrueret opus Diaboli, et in suo corpore pœnas lueret nostrorum commissorum, et nos apud Patrem æternum in gratiam restitueret, nosque jam fratres ipsius factos per carnem, coheredes quoque efficeret vitæ cælestis, per suum meritum. Quam cognationem et hereditatem Diabolus sua audacia et mendacio hominum generi eripuerat.

94 *Ad brevem*] Quia 'illi mors non fuit dominata,' ut loquitur Apostolus: et tertio die a mortuis resurrexit, ut notum est ex historia.

Dux sal.] Qui mori sua caussa non debuerat, sua natura non poterat: sed culpam alienam in se transtulit, et in carnem venit, ita ut et cruci et morti esset subjectus. 'Mortuus est propter peccata nostra: resurrexit propter justitiam nostram,' ut Paul. scribit ad Rom. Sua igitur innocentia omne peccatum sustulit: sua potentia, ut et nos a morte resurgeremus, efficit. Certissimam esse carnis resurrectionem, et Christi ipsius et patriarcharum multorumque Sanctorum exemplis ostendit.

Dedidit] Quia sponte omnia fecit, ut sæpius jam dictum est.

95 *Mortuos*] Ordo est, ut insuesceret mortuos et olim sepultos redire, i. e. ut assuefaceret mortuos et sepultos aliquando reviviscere.

96 *Dissolutis*] Direptis, laxatis, dissipatis.

Vinculis] Peccata nos gravissime

vinctos tenent ad necem et interitum, ad tormenta et supplicium.

97 *Patres*] Patriarchæ videl. quibus de Christo data fuerat promissio, quique in urbe sancta erant sepulti. Sancti item alii, qui in Christum credentes indormiverant, quos etiam apparuisse Ierosolymis, Matthæus testatur.

Conditorem] Christus est ἀπαρχὴ, i. e. 'primitiæ resurgentium.' 1 Cor. xv. Nos vero περιλειπόμενοι, h. e. 'residui,' 1 Thess. iv.

99 *Indumenta*] Ossa, nervos, cutem. Ita etiam vir sanctus: 'In carne mea videbo Dominum: ego videbo, et non alius.'

Deque, &c.] Utitur verbo graviore, q. d. Etiam qui in cineres redacti erant. Apud Ebræos aut obruebantur terra, aut condebantur monumentis cadavera. Eadem apud Romanos cremari solebant: non ratione, aut more vetustatis, sed metu tyrannidis.

100 *Cerneres*] Ἐπεξεργασία, qua velnti pictura ostendit, qualis sit futurus corporis status in resurrectione. Locus sumtus de xxix. cap. Jobi: 'In novissimo die de terra resurgam, et rursus circundaber pelle mea, et in carne mea videbo Deum.' Et ex Psal. xxxv. 'Custodit Dominus omnia ossa eorum, unum ex his non conteretur.'

Coire] In unum redire dissipata: vestiri integro corpore consumta: vitam novam recipere mortua et annihilata. Ita Hymn. iii. 'Viscera mortua quin etiam Post obitum reparare datur; Deque suis iterum tumulis Prisca renascitur effigies, Pulvereo coëunte sinu.'

Favillis] Corpora, sive in favillas redacta sint, sive in pulvisculum evanuerint, tamen reviviscent, iisque ossibus et nervis jungentur, iisdem medullis et venis, et eadem cute erunt conspicua, qua sustentata, coacta, et ornata fuerunt, dum viverent. Adi Philosophum, consule medicum, interroga anatomicum, et plane audies contrarium. Nobis simplicibus ad probandum satis sunt simplicissima symboli verba: 'Credo resurrectionem carnis.' Affirmarunt saniores Philosophi, 'animum hominis esse immortalem et divinum; sed corpus ejusdem, ex illis principiis, e quibus res cæteræ oriuntur, concretum atque natum e pulveribus ad meliorem resuscitari originem, nulli persuasum fuit, neque persuaderi potuit.'

102 *Glutine*] Catachresis; glutinum pro commissura, seu vestimento.

103 *Post*] I. e. mortem sustulit. Occasus vitæ, mors, per periphrasin.

Reddidit] In locum dignitatis amissum restituit.

104 *Arduum*] Christus ad cælos ascendit, omnibus suis hostibus, nostri caussa, superatis: inde rediturus est, ut Ecclesia canit, 'Homo judicatus, denuo judex.' quia 'pater omne judicium tradidit Filio,' Johan. v.

105 *Reportans*] Inferens, jam defunctus munere suo, quod hominum caussa susceperat.

106 *Macte*] Gratulatur Christo maximum triumphum, qui nullum hostem reliquerit invictum: summam dignitatem, quod sit viventium rex et mortuorum judex: æternam omnipotentiam, quod æquali cum Patre virtute polleat: inviolabilem justitiam, quod nullius sit habiturus respectum.

Judex mor.] Quia peccatores judicabit, quorum mors est æterna.

Rex viv.] Quia pios ornabit gloria, qui ex hac vita per mortem transierunt ad lætitiam immensam.

107 *Dexter*] De hac dextera loquitur David, 'Sede a dextris meis,' h. e. fruere mecum eadem gloria, imperio, virtute, majestate.

Qui cluis] Hæc est lectio sincera e libro Casparis Borneri, viri doctissimi. 'Cluere,' pollere significat. Alcim. lib. ii. 'Summaque cluit virtute nocendi.'

108 *Venturus*] Extat antiquum Enochi vaticinium, 'Ecce venit Dominus in sanctis millibus suis, ut faciat judicium adversus omnes, et redarguat omnes impios, de factis omnibus, quæ impie patrarunt.' Eodem modo Isaias cap. III. 'Dominus ad judicium veniet.' Et Sophonias eodem: 'Judicium meum, ut congregem gentes, et colligam regna, et effundam super eos indignationem meam, et omnem iram furoris mei.' Citat Justin. Martyr hos versus Philemonis, comici antiqui: Μηδὲν πλανηθῇς, ἔστι κἀν ᾅδου κρίσις, Ἥνπερ ποιήσει θεὸς, ἁπάντων δεσπότης. 'Ne te ipse fallas, erit enim hic dies, Quo judicabit Dominus, omnium Deus.'

Justus ultor] Unde etiam Deus ultionum a Davide appellatur; quia (ut alibi poëta) 'Meritis rependet congrua, His lucis usum perpetis, Illis gehennam et tartarum.'

Criminum] Crimina quædam occulta sunt, quædam manifesta; alia animo cogitata, alia facto perpetrata, quæ omnia oculos Dei et judicis sententiam non effugient.

109 *Senes*] Christus propter suum triumphum laude dignissimus, ideoque celebrandus merito ab omni ætate, sexu, ordine, in qua celebratione animorum consensus, non tantum oris atque vocis requiritur. Christum victorem et triumphatorem non modo homines celebrare par est, sed totam quoque naturam et omnem universitatem rerum; nam in omnibus rebus conservandis, ejus et bonitas, et omnipotentia, et sapientia deprehenditur signis apertis.

111 *Concordes*] In precibus Christianorum requiritur concordia et unanimitas.

112 *Fluminum*] Ad laudandum Deum postquam omne genus hominum invitavit, nunc res inanimatas more prophetico alloquitur, ne quid e rebus conditis relinquatur, quod Dei laude et gratiarum actione vacet.

114 *Sæculorum*] Non enim desinere hæc laus debet ullo tempore: in vita, donec hanc lucem aspicimus; post mortem, cum æterna et cælesti cum maxima beatitudine perfruemur.

GEORGIUS FABRICIUS

CHEMNICENSIS

ORNATISS. VIROR.

LEONARDI ZEISÆ COS. HALÆ SAXONICÆ

ET PAULI DOLSCII MEDICI ET SENATORIS FF.

CASP. ZEISÆ ET JOAN. DOLSCIO

S. D.

In publica censura, usitatos olim studiorum liberalium honores petentibus fuisse proposita Aurelii Prudentii scripta, e viris doctissimis Andrea Camitiano et Caspar. Bornero adolescens audivi, idque ab iis probatum fuisse memini. Est certe melicum ejus Poëtæ plectrum, suave et mellitum, et sonus epicus, valens admodum atque pugnax: tum materia viro eloquenti, et homini nobili ac seni conveniens. Nec enim solum res religiosas et virorum Sanctorum certamina celebravit præclare, verum etiam contra hostes Ecclesiæ (hæretici nominantur) pugnavit fortiter, et contra L. Avianum Symmachum, non sine magno suo periculo. Erat enim temporum illorum Symmachus dignitate et facundia princeps, et populum Christianum non minus oderat, quam Hamanus Macedo olim Ebræos, aut Martinus III. Pontifex Germanos. Ille una ruina Ebræos oppressos, iste sua piscina homines nostros cernere submersos optabat. Factum tandem est, mandato Theodosii Imperatoris, et instinctu Prudentii Urbis Præfecti, ut Symmachus Roma deportaretur, nec intra lapidem centesimum accedere ad Urbem auderet: cum paulo ante domus quoque ipsius magnifica, trans Tiberim, communibus Pop. Romani manibus et plausu esset cremata. Dixerat enim, se libentius vino suo calcem restincturum, quam civibus venditurum precio viliore, quam constituisset. Talem civem patriæ adversum Theodosius jure expulit. Talem præfectum, Dei et civium hostem, Prudentius suo calamo invasit; et quia ejusmodi animum præstitit Deo Omnipotenti, et Cæsari optimo, laude dignus est, et locum in eruditorum bibliothecis, et in animis piorum, merito tenet, ut olim tenuit: nam Bruno antistes Coloniensis, dux Saxoniæ, et Othonis I. Imper. frater ejus volumen Ecclesiis omnibus donavit, et ipse manibus semper tenuit. Ex ejus carmine melico Hymnos tres, aptos ludis literariis, sum modo interpretatus. Unum de summo puero, rege et servatore nostro Jesu Christo, in terris nato: alteros duos tempore antelucano et antenoc-

turno adolescentulis cantandos: videlicet ut Deus ingenia ipsorum illuminet, studia gubernet, secundet labores, pericula denique omnia avertat. Eos nunc ad te, Caspar, et ad te, Johannes, mitto, propter parentes vestros, viros graves et in Rep. honoratos, quos tum demum probabitis, si illorum judicio probabuntur, et si de eorum manibus traditos accipietis: simulque in ista ætate tenera vos hortor, ut Jacobi Fabricii præceptoris vestri monitis, et parentum optimorum exemplo, nitamini ad pietatem, verecundiam, eruditionem: atque in studiis assiduitate, honestate in moribus, diligentia in omni officio, viris doctiss. et humaniss. parentibus vestris efficiamini pares aut æquales. Valete. Ex ludo Illustri, Misena Hermundurorum, a nato Christo Servatore anno M.D.LXVIII. M. APR. D. XV.

AURELII PRUDENTII CLEMENTIS

URB. PRÆF.

HYMNUS AN. D. VIII. CAL. JAN.

DE CHRISTI IN TERRIS ORTU.

POETA, dicturus de die natali Christi, occasione temporis non inepte utitur. Cum enim Christus, secundum Malachiam, sit Sol justiciæ, ad Solem respicit, cursum reflectentem, et jam propius ad nos accedentem. Cum Solis conversione simul erigi vult animos nostros, et præsentis diei festæ celebratione cognoscere, quam prope accedat ad nos lux illa æterna, quæ est Christus Dominus. Ut autem Prudentius fingit Christo puero nato Solem procedere obviam, ita eodem resurgente scribit Fortunatus majoribus gradibus Solem properare, 'Tempora florigero rutilant distincta sereno, Et majore poli lumine porta patet, Altius ignivomum Solem cæli orbita ducit.'

1 *Arctum*] Contractum, brevem; die videl. decrescente, qui post solstitium veluti laxatur, cum dies fieri incipiunt longiores.

2 *Christus ne*] Omnis mundus jacuit in tenebris, et in nocte sempiterna, donec 'exorta est, populo in tenebris ambulanti, lux illa magna,' de qua Isaias loquitur; 'quæ omnem mundum illustrat,' ut Johannes testatur.

4 *Tramitem*] Bene de via obliqua trames dicitur, qualis est in Zodiaco. Manet in cœpta similitudine de Sole.

5 *Fugacem*] Fugacem, celerem, cito abituram. Lumen Solis gratiam appellat, cujus aspectu nihil pulchrius aut gratiosius.

6 *Festina*] Diebus brumalibus lux subducitur, propter dies breviusculos.

8 *Sensim*] Indies magis diminuta. Fuit ante Christum natum lux aliqua, sed valde obscura, et superstitione propemodum obruta et extincta. Erant promissiones paucæ, et paucis notæ, quas suo adventu Christus implevit, et lucem clarissimam hominum generi intulit.

9 *Cælum nitescat*] More Prophetico

tribuit cælo et terræ lætitiam, quasi gratulantibus conditori suo. Ut 'corpora cælestia nobiscum ingemiscunt,' secundum Paulum, ita Domino et auctori suo quasi applauserunt, cum in carnem venit, hominem redempturus. Potest videri allusisse ad id, quod nonnulli scribunt historici, quod in ortu Christi tota nox serena effulserit, et fons quidem Romæ, in regione Transtiberina, oleo horis multis fluxerit. Tradit Lucas, 'quod gloria Domini de cælo circumfuderit pastores.'

11 *Gradatim*] Per gradus. Ita enim *αἱ βάσεις τοῦ ἡλίου* appellantur.

12 *Jubar*] Sol ipse, cujus splendor proprie jubar dicitur.

Priores] Unde reflexerat. Lineas nunc pro circulis ponit, quantitatem pro forma.

13 *Emerge*] Alloquitur Filium Dei, cujus adventu lætatur, quia gratiam, favorem, salutem, gaudium apportat, terras cum cælo conjungit, peccatores cum Patre æterno reconciliat. Ejus necessitudinis addit causas, quia Christus verus Deus atque homo est, et quia mediator factus est. Ita Arator. lib. II. 'natusque Dei de virginis alvo Emicat, atque hominem mediator in omnia complet.'

Emerge] Transpositio versuum, quæ antea in codicibus fuit, obscuraverat sententiam, in qua eruenda Nebrissensis et Roterodamus laborarunt: nunc ad intelligendum est nihil impedimenti.

14 *Matris castitas*] Pro, mater casta, per auxesin.

15 *Parens*] I. e. mater et virgo: non expers quidem conjugii, ἀπειρόγαμος, viro enim desponsata fuit: sed conjugis expers, ἀπείρανδρος, quia virum non cognovit.

16 *Mediator*] Paulus ait: 'Unus Deus, unus mediator Dei et hominum, homo Christus Jesus.' Paulinus: 'Æterna jungens homines inter et Deum, Interque se commercia.' 'Christum de cælo ad terram, non nostra merita, sed peccata nostra traxerunt,' ait August. 'Ideo medius inter Deum et hominem factus, ut in carne peccatum, in cruce auferret maledictum, et æternam pacem stabiliret, unus inter Deum atque hominem arbiter.' D. Ambros. 'Filius Dei, assumta carne, homo natus est, ut mediator Dei et hominum homo esset Christus Jesus, i. e. non sine divinitate, quia in Deo homo erat, et Deus in homine, ut ex utroque esset mediator, et utrumque reconciliaret.'

Duplex genus] Deus et homo, æternus et mortalis.

17 *Ex ore*] Filius Dei nominatur λόγος, quia Evangelium e sinu patris protulit: unde verbum patris et sapientia dicitur: et quia adhuc voce sua colligit credentes, et servat ministerium, et Ecclesiæ custos atque defensor est. Dicitur a Prudentio 'corde et ore patris exiisse, et tamen fuisse æternus, qui cum Patre et Spiritu Sancto cælos et terram, et quæ in eis sunt, condiderit.'

18 *Editus*] Prolatus, ostensus, patefactus.

21 *Quæ*] Sapientia.

23 *Virtute verbi*] 'Verbo Domini cæli firmati sunt, et Spiritu oris ejus omnis exercitus eorum.' Ps. XXXIII.

24 *Verbum Deus*] Καὶ Θεὸς ἦν ὁ λόγος.

25 *Ord. seculis*] Auctor ad Ebræos, 'per quem fecit et sæcula.' Nominantur apud Poëtam nostrum sæcula, totus ordo rerum conditarum: Deus enim singulis diebus res certas condidit, per quos dies et anni cœperunt, et sæcula deinceps denominata sunt.

26 *Rerumque*] Cum res dispositæ, et suis quæque locis atque ordine essent locatæ, Deus e confusione quadam, quam χάος dixerunt, res omnes condidit, ut aiunt Philosophi: vel potius ex nihilo eas fecit et exstruxit, ut loquitur sacra scriptura.

27 *Fundator*] Rerum universitate condita, et dispositis cum rebus om-

nibus, architectus, et auctor tantæ pulchritudinis, tantæque universitatis, Filius Dei, non statim in mundum venit, sed promissus in paradiso, denunciatus per Prophetas, et designato sui adventus per Danielem tempore, tandem ut promissa impleret, et nostris miseriis mature consuleret, vi Spiritus Sancti conceptus et natus de virgine est, quæ in ipsa conceptione casta, et in partu permansit integra. Apollinaris ad Faustum Episcopum : ' nascens e virgine, semine nullo, Ante ullum tempus Deus, atque in tempore Christus.'

29 *Rotata*] Evoluta, peracta.

31 *Peccantem*] Caussa et utilitas nati in terris Christi, qui ideo in hunc mundum venit, ut genus hominum Dei nescium, et culpa sua reum atque perditum, in sui agnitionem perduceret, et ab omni culpa vacuum innoxiumque præstaret. Erat primus homo conditus, particeps imaginis Dei, quam amisit: Christus particeps factus est carnis humanæ, ut amissam imaginem rursus acquireret, et hominem divinæ naturæ ipse insereret. Loquuntur de Christo nato in hunc modum veteres quoque Theologi. Unde graviter et pie Christum alloquitur in hymno Johannes Damascenus, cujus versuum hæc est sententia, ' O Christe, nobis tu redemtio et salus Apparuisti rex potens e virgine, Olim ut Prophetam faucibus Jonam feræ Rapis marinæ, sic nece eriperes quoque Adam patrem lapsu protervo perditum.'

33 *Cæca vis mor.*] Pro, cæci mortales, figura Poëtica.

34 *Inanes nenias*] Vana simulacra, nugis et rebus fictis similia. Ita inf. ' Ornare næ nias Numæ:' ubi de inani cultu Deorum Romanorum loquitur. Neniæ erant laudationes funebres, in quibus multa dicebantur vana, ad consolandum eos, qui suos amiserant.

35 *Æra*] Gentiles e metallis, saxis, aut truncis arborum factas statuas per dementiam adorarunt, propter quam εἰδωλομανίαν, et Deum habuerunt iratum, et seipsos præcipitarunt in exitium.

37 *Dum sequuntur*] Dum colunt et venerantur idola.

Perfidi] Diabolus perfidus est, quia delectatur mendaciis: Prædo est, quia sua crudelitate quosvis interimit.

39 *Mancipatam*] In servitutem subactam. Ita astu diaboli capiuntur homines, ut solent armis mancipia.

Fumido] Sic in Apotheosi; ' Inferni petat ima poli, barathroque coquatur.'

41 *Stragem istam*] Perniciem tantam. D. Paul. ad Tim. ' Fidus sermo et acceptu dignissimus, quod Christus Jesus venit in mundum, ut peccatores salvos faceret.'

42 *Caden. gentium*] Non enim suo tantum populo salutem attulit, sed mundo universo, et de gentibus loquitur illa promissio patriarchæ facta : ' Erit expectatio gentium.'

44 *Patris*] Genus humanum a Deo conditum. Sedulius in Acrostichide : ' Beatus auctor sæculi Servile corpus induit: Ut carne carnem liberans, Ne perderet, quod condidit.'

Fabrica] Hoc loco dicitur compositio aut structura, arte facta. Ita dicit ' Fabricam corporis,' in Romano, et ' fabriliter factum,' in Apoth. τεκτονικῶς, quod est compositum artificiose, seu fabre factum.

45 *Mortale*] Christus Deus homo factus est, et hominis caussa mortuus, ut peccatum et vim mortis tolleret. Peccatum enim revera affert mortem, mors damnationem, damnatio exitium. Idem a morte in vitam rediit, ut et suos et generis humani hostes vindicaret, et nos patri suo manu liberali potenter assereret.

48 *Portaret*] Quia suis humeris levavit hominum delicta, de quo Propheta ; ' Imperium ejus super humeros ejus.'

49 *Hi*] Ἐμφατικῶς, quasi dicat, omnium laudatissimus et celeberrimus, cujus a fundamentis terræ jactis par aut similis nullus fuit, aut est futurus.

51 *Spiravit*] S. Sancto concipi fecit. Dubito, num vera sit lectio, cujus loco aliam reposuit Erasmus, sed eandem minus probabilem.

Limo indidit] E Virgine nasci hominem fecit. Nascitur in carne, ut nos spiritu nasceremur: nascitur e femina, ut nos feminæ filii esse desineremus, effecti Filii Dei.

52 *Sermone carnem*] Cum divina natura socians humanam, vinculo indissolubili. Τὸν λόγον Prudentius sermonem vertit, hoc loco, et alibi, 'O sermo Patris Christe.' Item Divus Hieron. 'Divina natura, et Dei sermo in partes secari non potest, nec locis dividi: Sed cum ubique sit, totus ubique est. Persona Christi in eadem natura divellenda non est, qui solam enim considerat humanitatem, solacium nullum invenit: qui majestatem solam contemplatur, opprimitur a gloria.' Dulcissime igitur dicitur ab Origene: 'Non pars unigeniti venit in corpore, nec ipse se dimisit, ut dimidius esset apud patrem, et dimidius esset in virgine; totus in sinu patris, totus in humano corpore; non relinquens superiora, venit quærere terrena; quæ in cælis sunt conservans, et quæ in terra sunt salvans. Non dividitur, non scinditur; neque in partes efficitur, sed totus totum tenet, totum implet, totum illustrat et possidet.' Cecinit hoc modo multis sæculis Ecclesia, et nunc canit: 'Mirabile mysterium declaratur, hodie innovantur naturæ, Deus homo factus est, id quod fuit, permansit, et quod non erat assumsit, non commixtionem passus, neque divisionem.'

53 *Sentis ne*] Hæc interrogatio vim negandi habet, q. d. minime sentis illud fastidium, quod aliæ matres sentiunt. Nam illi et gestatio facilis, et partus sine dolore, et sine corruptela nativitas fuit, quia Deum et hominem Virgo edidit, sine marito fecunda, sine semine gravida. Cum dolore editur, qui peccavit: prodit cum gaudio, qui peccatum sustulit. Quod autem nascitur Christus e muliere, homo designatur: quod e virgine, aliquid supra hominem secum affert. Prodit ex materno utero, et coruscat in astris; cubat in hospitio, nec minus imperat in cælo. Pastoribus monstratur in præsepi, Magis in stella. Si Pastores despicis, crede Angelis: si cives ipsius nuncios non admittis, ausculta Magos. Si offendit te diversorium humile, et sordidum, lustra cælum, de quo resonant voces Angelorum.

Nobilis] Et genere; quia stirpe regia et sacerdotali fuit: et fide, quia mundi Redemptorem peperit. 'Nobilitas parientis' (inquit Augustin.) 'in divinitate est nascentis.'

54 *Matura*] Maturi partus augent matribus difficultatem et dolores.

55 *Puderis intactum*] Periphrasis virginitatis.

56 *Honore*] Honor enim iste nulli matri unquam contigit, ut esset virgo et puerpera, ut Deum et hominem gestaret, ut partum sine societate viri, sine inquinatione peccati ederet. Vere summus honor, qui nulli antea mortalium collatus, ab ipsis Angelis collaudatus est.

57 *O quanta*] Exclamatio lætitiæ et plausuum plena; succedit enim veteri jam Adamo homo novus, Mosi Christus, umbris claritas, imaginibus veritas, nocti dies, servituti liberalitas, terroribus gaudium, ministerio gloria, malis temporibus novum sæculum, lumini obscuro lux illustris et aurea, minis legis doctrina Evangelica.

59 *Novellum sæc.*] Quod est sæculum Novi Testamenti. In Vetere

Christus promissus, in Novo exhibitus: ibi locutus per Prophetas, nunc per Filium: ibi visus Mosi in ardente rubo; nunc de virgine genitus videtur in Verbo: ibi ignis consumens sternit inobedientem populum; nunc homo factus ad se vocat omnes, qui laborant et onerantur: ibi auditus in tubis et tonitru; nunc auditur in placido Evangelii sonitu: ibi lege severus et territans, nunc vocibus suavissimis pavidos alliciens: ibi arcens a monte et conspectu, nunc brachiis amplectens et osculo. Expendant hanc gratiam et hoc beneficium, qui majore spiritu sunt prædití: dicant, qui facundia et usu sunt instructi.

61 *Vagitus*] Fortunatus in suo hymno: 'Vagit infans inter arta conditus præsepia.' Vagitus in aliis hominibus miseriæ exordium est, in puero Christo initium solatii, et orbis quasi juvenescentis præsagium; quia ejus ortu in novam dignitatem restitutus est, non aliter ac post hyemis sterilitatem ver novum efflorescit. Christus enim tenebras, peccata, luctum sustulit, et cælorum amœnitatem atque lætitiam de integro produxit.

63 *Renatus*] Verbo, Baptismo, Spiritu.

64 *Veternum*] Veternus mundi nunc appellatur squalior ille, in quo cæcitate et superstitione obrutus, quasi in nocte profunda, stertens et sopitus jacuit.

65 *Sparsisse*] Nativitas Christi salutaris orbi toti fuit, ideo omnibus piis, qui de ea audiverunt, attulit hilaritatis et gaudii plenitudinem. Audiverunt primum pastores in Judæa, postea certiores facti de ea sunt Persæ, demum varii per orbem terrarum dispersi populi; ideo ait per fictionem Poëticam, et rura spirasse suavibus odoribus, et maria fluxisse nectare atque unguentis preciosis. Fatetur divus Paulus, nos per hunc ortum factos esse, εὐωδίαν χριστοῦ. 'Quicunque enim receperunt eum, eis potestatem dedit, ut Filii Dei fierent;' ut ait Johannes.

67 *Harenas*] Syrtes, loca importuosa et difficilia in aditu Africæ, in quibus (inquit Strabo) σπάνιον τὸ σωζόμενον σκάφος.

68 *Fragrasse*] Sermo allegoricus; æstuaria marina fuisse odorata et dulcia, quæ fœtoris et amariciei plena sunt.

70 *Sensere*] Nulla gens tam atrox, nulla barbaries tam immanis, quam non molliverit aut flexerit religionis potentia. Ita 'e duris et feris hominibus, factas oves,' Paulinus ad Nicetam Dacorum Episcopum, de Bessis Thraciæ populis, scribit. Ita Venantius Fortunatus ad Felicem Episcopum Nannetensem de Saxonibus: quorum versus adjicere foret prolixum, cum auctores sint in manibus.

71 *Sax. rigor*] Ἐναλλαγὴ qualitatis. Saxorum rigor, pro saxis rigidis. q. d. ubi antea saxa fuerunt et cautes, nunc herbæ sunt et flores: ubi furentes populi, nunc sunt patientes Christiani. Saxorum rigor pro maxima ponitur duricia. Unde pectus saxo durius, proverbialiter. Ovid. de Pont. IV. 'Ille habet et silices, et durum in pectore ferrum.'

72 *Mella*] Utitur allegoriis propheticis, quomodo Palæstina lacte et melle fluens regio dicta est. Ita Joël Propheta cap. ult. 'In die illa stillabunt montes musto, et colles lacte diffluent.' Habent autem ista ἀδύνατα figuram proverbiorum. Amplificatio suavissima ejus gratiæ, quam Deus largitus est nobis in filio, quam tribus similitudinibus apte depingit, lactis, amomi, balsami. Lacte nihil ad nutriendum prius; amomo ad odoramenta gratius; balsamo ad sanandum efficacius: illi succi saluberrimi, nascente Christo, de scopulis, ilicibus, et myricis demanarunt, quibus propter sterilitatem, duriciem, asperita-

tem, animi hominum recte comparantur, quos Deus suo verbo, luce, Spiritu corrigit, emendat, illuminat.

77 *Sancta, &c.*] Interest plurimum inter præsepe et aulam, inter cunabula et cœlum, inter regem et famulum, inter conditorem et creatum: sed in hoc partu nihil conjunctius, quam summa majestas, et ima servitus, h. e. Deus et homo, propter hominem, Dei Filius et virginis, propter promissionem. Jucundum auditu est, quod Christi nativitas nostra sit salus: illius paupertas, nostra hereditas: illius infirmitas, nostrum remedium: illius abjectio, nostrum regnum: illius denique humilitas, nostra exaltatio et felicitas. 'Procedens enim' (ut canit Ecclesia) 'homo sine semine, largitus est nobis suam Deitatem.'

79 *Populisque*] Christus in Mose, Samuele, Isaia, Prophetis aliis, promissus, habuit suæ nativitatis cultores plurimos, antequam natus in terris esset.

80 *Mutis*] Pecoribus; quæ vocem non proferunt, sonos quosdam nulli intellectos edunt. Bos et asellus gratiores fuerunt, quam homines; stabulum et præsepa effecta sanctiora, quam Synagoga.

81 *Adorat*] Per bovem et asinum intelligit gentes, quæ non magis, quod ad Dei noticiam cultumque pertinet, aut rationis aut cordis habuerant, quam bruta habent animalia. Vere enim ignari et insipientes erant, viventes in sua cæcitate, et, ut Paulus ait, *ἐν πάθεσι τῆς ἐπιθυμίας*, tanquam ad id solum conditi essent, ut servirent lasciviæ et impuritati, quam et actionibus suis omnibus, et in sacris, cum Bacchum, Mutinum, Apim, Cybelem, Venerem, Isidem colerent, turpiter declararunt. 'Bruto non doctior,' pro homine insipiente, et beluis conferendo.

84 *Vis cujus*] Bovi et asino gentes ventri deditas recte confert, quia bos vorax est, et multum bibit. Ita Cyclops ille in Tragœdia ait: *μεγίστη τῶν θεῶν γαστήρ*. Et Paulus idem repetit, cum dicit, 'quorum Deus venter est.'

85 *Sed cum*] Exprobrat populo Ebræo impietatem. Nam cum gentes accurrant ad Christum natum, et ei ferant oscula, et inspiciant præsepe; miratur, tam raros Judæos in patria id facere. Idem queritur Apostolus; 'In propria venit, et sui illum non receperunt.' Item alter; 'Quid dicemus? quod gentes, quæ non sectabantur justiciam, apprehenderunt justiciam. Justiciam videlicet, quæ ex fide est. Israël vero, qui sectabatur legem justiciæ, ad legem justitiæ non pervenit?' Ad præsepe Christi accurrere, non est ire Jerosolymam aut Bethlam, et loca illa muta calcare; sed Christum fide arripere, et per eum solum sperare remissionem peccatorum et vitam æternam. Dicit autem, fideli Spiritu, i. e. fide per Sp. Sanctum accensa.

87 *Pagana gens*] Alieni a civitate Dei, (inquit Orosius,) e locorum agrestium compitis et pagis, Pagani vocantur; sive gentiles, quia terrena sapiunt.

88 *Brutum*] Hoc loquitur ex dicto Prophetæ, 'cognovit bos possessorem suum, et asinus præsepe Domini sui: Israël non cognovit, populus meus non intellexit.' Animalia sequuntur pastum, et suos custodes norunt; sed homines adeo amentes sunt, ut suum conditorem, altorem, dominum, non observent, nec sequantur ejus vocem, aut ductum, aut blanditias. Bruta sapiunt, *κατ' ἀδυναμίαν*, h. e. homines imperiti mentem meliorem habent, quam interdum qui sapientes sibi videntur. Tale quid citant interpretes Græci, nescio an ex Menandro an ex Philemone.

89 *Prosapia*] Qui e patriarchis et regibus nati sunt, et patres viros excellentes habuerunt. Prosapia ver-

bum vetus est, teste Fabio, idem significans quod progenies aut ortus.

90 *Perosa*] Quem nondum exhibitum, votis, precibus, clamoribus, exoptavit. 'Præsentia fere contemnuntur,' ut est in sermone vulgato.

91 *Credas*] Detestatio mentium ingratarum, quas aut veneficiis mutatas, aut furore dementatas autumat. Ebrii sponte insaniunt; lymphati malo aliquo genio viso agitantur. Ideo addit, Furiis. Nam etiam morsu bestiarum aut morbo accidit talis alienatio. Unde lymphatum pro hydropico accipiunt medici, et pestis lymphata, est hydrops apud Sedul. lib. III.

93 *Quid prona*] Objurgatio cum admonitione, ut agnoscant atque accipiant Messiam, patrum antiquorum ducem, et gentis præsentis servatorem, ad quam se adjungere propius non potuit, quam quod ex eorum stirpe sit caro, sine sordibus et peccato, ut quod contaminatum aut perditum esset purgaret et tolleret, suamque sanctimoniam et justitiam benigne iis impertiret, qui eam non repudiant.

95 *Mentis integræ*] Integra mens est, quæ nulla sui parte læsa aut corrupta est.

96 *Ducem*] Qui tuos Principes duxit et defendit, qui ante eos mare et Jordanem suspendit, qui per aquam et ignes servavit, qui hostes eorum monstris variis perculit, suis Angelis trucidavit, qui in periculis maximis præsens semper et ubique adfuit. Hunc ducem longis ante sæculis promissum multis miraculis proditum, innumeris beneficiis spectatum agnosce, qui nunc tibi adest tangendus, specie infantis, habitu servi: hunc enim tam parvulum, tam abjectum, videbimus olim venturum in nubibus, judicem viventium atque mortuorum.

97 *Latebræ*] Parvum oppidulum, hospitium obscurum, stabulum sordidum, in quo nemo aliquem alicujus dignitatis hominem quæreret.

Obstetrix] Hæc puerpera vere admiranda, quæ simul virgo, mater, obstetrix est. Virgo, inquam, sine marito: mater, sine semine: obstetrix, sine experientia. Suprema in ea dignitas, quia virgo et mater: summa majestas, quia mater Dei sui conditoris et hominis intra viscera sua concepti; maxima paupertas, quia caret ope et ministerio, cui stabulum lectus est, cui præsepia sunt cunulæ. Divus Bernhardus 'tria opera et mirabiliter singularia, et singulariter mirabilia' dicit 'esse, qualia nec facta sint antea, nec facienda amplius super terram, nempe quod invicem sint conjuncta, Deus et homo, mater et virgo, fides et cor humanum.'

100 *Gentibus*] Ita Isaias cap. IX. 'In ipsum gentes sperabunt.'

101 *Peccator*] Heterosis numeri et personæ; pro, peccatores intuebuntur. Evidentius est, quod singulos alloquitur. Dixit de Christi placidissimo in carnem adventu, quo studet allicere ad ejus amorem atque observantiam: nunc porro dicit de ejus terribili reditu ad judicium, quo contemtores impios vocare cupit ad pœnitentiam. In priore adventu apparuit pauper, humilis, et servator: in reditu apparebit potens, terribilis, et ultor. Qui susceperunt hunc puerum, et crediderunt in Christum, (ut Johannes testatur,) non venient in judicium. Ideo in hoc loco Prudentius peccatores alloquitur, si quos posset vocare ad mentem bonam.

102 *Corus. nub.*] Christus apud Matth. 'videbunt Filium hominis venientem in nubibus cæli, cum potentia et gloria magna.'

103 *Dejectus*] Ante Christum judicem nemo consistit, et ante eum impii sua delicta sero nimis deplorabunt, neque ullius aut merito aut suffragio aut sacrificio culpam piabunt: eam culpam nunc nominat reatum,

quo non solum significantur peccata, quæ perpetravimus, sed ea quoque quæ propagatione accepimus; tota enim natura hominis, rea coram Deo, et obnoxia est iræ æternæ.

105 *Cum vasta*] Hoc de verbis Christi, qui ait Matth. xxiv. 'Mittet Angelos suos in tuba, cum voce magna.' Idem repetit Paul. ad Corinth. et Thess.

106 *Terr. crem.*] Ut terra initio absorpta est undis, ita peribit ad extremum incendio, testimonio Petri Apostoli. Scripserunt etiam Philosophi de duplici mundi ruina, unam futuram κατακλυσμῷ, alteram τῇ ἐκπυρώσει.

107 *Scissus axis*] Axis in curru est, circa quem rota volvitur, ἄξων τοῦ κόσμου, ἡ διάμετρος αὐτοῦ, περὶ ἣν στρέφεται, ut inquit Proclus. Cardines sunt poli, πέρατα τοῦ ἄξονος: quorum βόρειος, qui nobis semper apparet, alter appellatur νότιος, qui nunquam: illum Ovidius conspicuum, hunc vocat occultum. His solutis machina cœlestis dicitur ruitura.

109 *Insignis*] 'Pater omne judicium dedit filio,' inquit Johannes.

Mer. rep. con.] Hæc omnia secundum scripturam dicta sunt. Ita Paul. Rom. II. 'Patefiet justum judicium Dei, qui redditurus unicuique est secundum facta sua.' Ita Johan. cap. v. 'Qui in monumentis sunt, audient vocem filii hominis et prodibunt, qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ; qui vero egerunt mala, in resurrectionem condemnationis.'

112 *Gehennam*] Gehennæ vocabulo in suis concionibus Christus primus utitur, pro cruciatibus inferorum. Nomen ortum est a valle Hinnon in suburbio Jerosolymorum. Fuit irrigua ea vallis Siloa fonte aquarum medicatarum, in qua valle Molocho cremati sunt infantes. Molochi statua fuit ænea, regio habitu, capite vitulino, manus extentas porrigens, in cujus sinu deponebant liberos, qui igne intus subjecto torrebantur crudelissime; neve parentes vagitus aut lamenta exaudirent, crebra pulsabantur tympana. Immolarunt hoc modo filios suos Manasses, Achas, Sanheribis. Item Ammonitæ, Moabitæ, Pœni.

Tartarum] Tartarus est inferorum (ut ait Virgilius) imus fundus, a terrore nomen habens.

113 *Judæa*] Alloquitur Judæos, qui Christum occiderunt et ejus doctrinam contempserunt. Illi enim (ut inquit Propheta, et repetit Apostolus) 'videbunt, in quem transfixerunt.' Christus enim et mortuus est, et resurrexit; Cujus adventus, fulminis instar, et terrebit et opprimet omnes impios. Citatur a Lactantio et Augustino Sibyllæ adversus gentem Judæam vaticinium, quod ei exprobrat, quod Deum suum non agnoverit, et sit sero nimis noscitura.

115 *Furoris præsule*] Præsules furoris appellat, infamiæ auctores, qui suum regem cruci affixerunt. Præsules dicti sunt Salii, Sacerdotes Martis, qui cæteris furentib. arma quatientes præsaliebant, quasi duces chori furiosi. Præsulem fori dixit Sidonius ad Polemium.

116 *Mors hausit*] Quia animam posuit in cruce.

118 *Mors reddidit*] Quia fracto sepulchro et ruptis mortis catenis, in vitam rediit, et in urbe sacra multis apparuit, et est cum discipulis dies quadraginta versatus.

AURELII PRUDENTII CLEMENTIS

ROMANUS MARTYR.

COMMENTARIUS.

E PRÆFAT. huic hymno præfixa: 'In quo (hymno hoc) pro defensione nominis Christi divine profecto, et ad refutandam superstitionis cæcitatem copiose disputatur.' Et alicubi in Indice super Christian. Poëtas: 'Hic hymnus omnium est eruditissimus.'

Habet hoc carmen titulum duplicem. Ab Antonio Nebrissense, Agon Romani: ab Aldo Manutio, Tragœdia inscribitur, ex hoc versu ipsius Prudentii, 'Seriemque tantæ digerens Tragœdiæ.' In libris antiquis Hymnus est numero decimus, et titulum singularem non habet, nec habuisse olim videtur. Tanti hæc res non est, ut cum quoquam sit dimicandum. Utilitas potius illa colligenda est, ut Romani Sacerdotis, et pueri præstantis exemplo, Dei agnitionem, fidem, patientiam, magnanimitatem discamus, et restare piis vitam meliorem sciamus, in qua præmia erunt fidei ampla, et cum Christo vivent perpetua lætitia omnes, qui ejus nomen coluerunt, et pro eo non dubitarunt sanguinem profundere.

Romani Sacerdotis Antiocheni, viri nobilis et constantis, mortem gloriosam in hoc hymno Prudentius præclare describit, simulque complectitur mortem pueri cujusdam septuennis, quem Deus ad certamen sanguinis ætate tenerrima vocavit. Insignes sunt in hoc scripto disputationes contra Deos gentiles, in initio: et contra eorum sacrificia cruenta, ad finem: quibus aliæ sunt interjectæ de nobilitate, de Deo vero, et de ejus cultu proprio. De obedientia, quatenus sit Imperatori præstanda. De tolerantia in pœnis et morte. De vitæ æternæ felicitate. De Christo promisso et passo. De Crucis gloria. De corporum resuscitatione: quæ ita exponuntur magnifice, ut solos Christianos sapere, solos facundos esse dixeris. Puer post plagas et sectiones capite plectitur: mater incolumis dimittitur, ut orbitate magis torqueatur: sed Romanus post eculeum, plumbatas, ungulas, fidiculas, verbera, oris et totius corporis lacerationem, ad rogum damnatur: rogo impositum flamma non attingit, quæ imbre cælitus restinguitur. Tandem lingua a Chirurgo Aristone exsecta, non minus articulate, quam antea loquebatur: nam ut vere Prudentius, 'Christum loquenti lingua nunquam defuit.' Cum nullis cruciatibus extingueretur exigui homo corpusculi, demum strangulatus fune in carcere est, M. Nov. DXVIII. Imperante Galerio, Asclepiade Urb. Præfecto. Nominantur alii duo Romani. Unus, qui cum Eusebio, Vincentio, et Peregrino sociis, fustuario occisus est, imperante Commodo, Vitellio Urb. præfecto. Alter, quem in carcere baptizavit Laurentius, qui e milite factus martyr est, imperante Decio, Urb.

præfecto Valeriano. In hoc hymno desiderari nihil potest, nisi quod parum pia est invocatio, atque item conclusio. Nam repugnant illi dicto legis, quod a Christo repetitur, 'Deum solum adorabis, et ei soli servies:' qui error sæculi vicio accidit. De ea re prudenter e Divo Augustino Isidorus, 'Honorandi' (inquit) 'sunt martyres, propter imitationem: non adorandi propter religionem. Honorandi, inquam, sunt caritate, non servitute. Quisquis autem in adorationis errorem delabitur, corripitur per sanam doctrinam: sive ut corrigatur, sive ut caveatur: tum etiam ipsi Sancti, vel homines, vel Angeli, exhiberi sibi nolunt, quod Deo uni deberi norunt.'

1 *Fortis assertor Dei*] Assertorem Dei, Ecclesia Romana confessorem: fortem assertorem Dei, voce Græca martyrem appellat, qui non dubitat pro Christi nomine, et fide vera, corpus et vitam impendere.

2 *Elinguis*] Vocis non disertæ instrumentum. Elinguis, qui loqui nequit, etiam si linguam habeat: elinguatus, qui non loquitur, quod careat lingua.

3 *Largire*] Da, concede. A Dei largitate et benevolentia proficiscuntur omnia. Est autem hic versus superioris explicatio.

Comptum carmen] Gravi materiæ conveniens. Id enim comtum est, quod est decorum.

Infantissimo] Minus eloquenti, præsertim in grandi argumento.

4 *Tuarum mira laudum*] Alibi, 'summa pellis,' ἡ ἐπιφάνεια: et 'summa fluctuum,' τὸ ἐπίπεδον.

5 *Mutos eloqui*] Hoc quidem contra naturam est, sed in Ecclesia factum sæpius. Non potest nec debet veritas carere defensoribus: respondente Pharisæis Christo: 'Hi si tacuerint, saxa clamabunt.'

Plectrum palati] Linguam, quæ est instar plectri seu pectinis. Iuf. 'Titubante plectro fatus esset debilis.' Scribit Suetonius Claudium Cæs. habuisse plectra linguæ titubantia. Eadem similitudine πλῆκτρον μηροῦ appellant Anatomici.

7 *Revulsit*] Recens præteritum, pro quo vetustissimi dixerunt, revellit.

Silentium] Quia sine naturæ instrumento formare sermonem Deus potest, qui omnia potest.

8 *Ori*] Non cuivis ori, sed ori Deum fatenti.

9 *Veritatis*] Loquitur de ea veritate, de qua Christus ad patrem cælestem: 'sermo tuus est veritas.' Et ad discipulos, 'Ego sum veritas.' Illa veritas coërceri nequit, etiamsi lingua evulsa sit: extingui nequit, etiamsi homo extinguatur.

11 *Hærens sermo*] Qualis est hæsitantium, τῶν τραυλιζόντων ἢ μογιλάλων. Phrasis est scripturæ, ut, 'lingua mea adhæsit faucibus.'

12 *Absonis*] Inconcinnis, absurdis, insuavibus.

13 *Superno rore*] Gratia cœlesti.

14 *Spiritali lacte*] Cælesti quadam facundia.

15 *Impeditos*] Difficiles, angustos.

16 *Laxabit*] Expediet, proferet.

17 *Præcepta*] Ut et scirent, quid facerent: et confiderent, quia præceptorem haberent. Matth. x.

18 *Sacramentum*] Nunc pro verbo Dei ponitur, quod et ipsum sacrosanctum est.

19 *Provid. quærere*] Bene expressit τὸ μεριμνᾷν, quia curam et sollicitudinem significat investigandi, μὴ μεριμνήσητε πῶς ἢ τί λαλήσητε. Tollit non solum personarum respectum, ad quos loquendum est, quod eorum cura non sit habenda: sed tollit etiam, quod ad nos pertinet, et anxietatem inventionis et modum enunciationis. Confessio nominis divini non est ingenii nostri, sed divinæ sapientiæ: non animi humani, sed excellentiæ altioris: non viriufn denique imbecil-

lium sed gratiæ excelsæ. Adeo etiam nostra non est, ut nec cogitare valeamus de Deo, sine ipsius auxilio: nec loqui possimus, sine ipsius ore atque Spiritu. Pergit enim Christus dicere, 'non vos estis, qui loquimini, sed Spiritus patris vestri, qui loquitur per vos.' Ipse enim præit, ipse suggerit, ipse loquitur, per imparatos et indoctos, per infantes et mulierculas, tali sapientia, cui nemo prudens resistere, quam nemo tyrannus valet exstirpare.

21 *Sum mutus*] Agnoscit sui oris infantiam, ut Christi prædicet in se gratiam: suo detrahit ingenio, ut sit locus Christi præconio.

22 *Lingua Christus*] Appositio. Christus, inquam, potens facundiæ: qui et pectus sapiens indidit: ut linguam pectoris indicem formavit. Nebrissensis lectionem hanc sine causa mutat, et (ut ipse fatetur) contra vetustos codices.

23 *Supremo spiritu*] Ultimo quasi halitu martyrii, quia furori dæmonis potenter resistit.

25 *Novissimo*] Cum videt agonem instare.

26 *Sic vulneratus*] Similitudine evidenti diaboli sævientis iram et furorem depingit, qui quidem mordet et vulnerat: sed mordet, ut sibi ipsi noceat: vulnerat, ut spiculum vel telum sibi infigat.

27 *Remordet*] Quod bestiæ efferatæ faciunt.

Dolore sævior] Nam dolor vires incendit, ut ait Poëta: et feræ lacessitæ invadunt crudelius.

30 *Morsuum pericula*] De utroque morsu nunc loquitur. Nam Satanas mordendo pios lethaliter affligit, sed eodem morsu sibi etiam infert dolorem.

31 *Galerius*] Galerius Maximianus, Diocletiani gener, ut scribit Eutropius, propalam ferus, et incivilis ingenii, asperitatem animi etiam vultus horrore significavit.

35 *Christum*] Verba edicti.

36 *Serpens*] Idem diabolus, qui nomen Legionis habuit, improba edicta Galerio dictavit. Ut de adventu Christi Herodes doluit, ita de ejus doctrina timuit Galerius: cum tamen Christus non venerit ad eripiendum Herodi regnum: nec ejus discipuli aliquid docuerint, ad turbandum imperii statum. Hi duo tyranni eodem mortis genere extincti sunt. Uterque enim fœdo intestinorum cruciatu, et corroso a vermibus corpore periit.

Ore regio] Imperatorio edicto: ut major ejus sit auctoritas certe in impiis persecutoribus loquitur et ait diabolus, tanquam in suæ carnificinæ instrumentis.

37 *Qui mort.*] Sequitur hoc loco et in hymno Cath. IX. Evangelistam Marcum in initio cap. v. qui unum ponit dæmoniacum. Sequitur eundem Juvenc. lib. II.

Exiens clamat] Addit Marcus 'ipsum habitasse in montibus, et sese cecidisse saxis:' Lucas præterea ait, 'agitatum a tristi illo spiritu in solitudines.'

41 *Imminens neg.*] Mandata cum summa severitate exequens. Est in hoc verbo quædam emphasis, sive in bonam seu in malam partem sumatur. Catull. 'Totus immineat tibi.' Ovid. 'Imminet exitio vir conjugis.'

43 *Ecclesia tenus*] H. e. de singulis Ecclesiis; excussis earum adytis et penetralibus.

44 *Mancipandam*] Addicendam, tanquam omni libertate erepta, omni jure interdicto.

45 *Discip. Nazaren.*] Fuit hoc oppidum non procul a monte Thabore in loco edito situm, cujus cives Christum præcipitare voluerunt, qui ibidem conceptus est et educatus.

47 *Sancta sanctorum*] Locum templi intimum et sacratissimum, ad quem salutis caussa plebs confugerat.

Ebraicam Phrasin retinere nostro auctori placuit.

48 *Armis*] Sceleratis militibus et fas nullum putantibus.

Profanus] Bene profanus; quia illaturus templo et sacrario vim sacrilegam.

49 *Aram*] Descriptionem totius Urbis luculentam lege apud Egesippum.

51 *Præcurrit*] Munus boni pastoris, qui templo et populo laboranti succurrens, septa et oves suas studet animo præsenti et intrepido defendere.

52 *Heroes*] Heroës vere sunt, qui religionem tuentur: heroës excellentes, qui sua tyrannis opponunt corpora: nullum detrectantes odium, nullum formidantes supplicium.

54 *Animos*] Munus aliud pastoris, præmunire consolationibus infirmos, et hortatibus animare fidentiores.

55 *Neve cedant turbini*] Tempestates fere terrent impetu quodam quasi venti asperioris, sed eis cedendum tamen non est. Hic turbo majore eget sapientia, nempe Spiritus Dei, ne quis vultum aut enses tyrannorum imminentium minantiumque exhorrescat, neve de arce fidei subita illa impressione, quasi turbinis violentia, dejici se patiatur. Possumus hoc sermone, Turbini cedere, de quovis homine uti meticuloso. Turbinem tribulationum, eadem metaphora, dixit D. Augustinus.

56 *Conspirat*] Quasi contra tyrannum pro libertate fidei, et pro Ecclesiæ salute. Conspiratio est eorum, qui subito tumultuantur.

Uno spiritu] Uno consensu, uno impetu: quod fœdus primum in Baptismo inter ipsos fuerat ictum.

57 *Grex Christianus*] 'Ερμηνεία, qualis videlicet sit grex piorum, non colluvies, non factio, sed agmen certi Imperatoris: neque agmen transfugarum aut terga vertentium, sed sub signis Christi sui perpetuo militans et magnanimum. Neque agmen solummodo virorum, sed feminarum, virginum, parvulorum: non conspicuum armis, sed mundum fide: non instructum ferro, sed paratum expectatione: neque dimicans tantum cum lictoribus et tyrannis, sed cum omni potestate inferorum, atque adeo pugnans cum seipso, ne diffidentia, improbitate, ocius excidat a sperata victoria. Hujus agminis sacramentum militare est, ut hic Poëta ait, 'Fidem tueri, vel libenter emori.'

59 *Fixa*] Legibus.

Statuta] Decretis. Fixa item universorum animis: Statuta, singulorum suffragiis.

61 *Repulsus miles*] Quia violentos milites in templum admittere noluerunt, et sacrilegos homines a limine atque religione propulerunt.

Ad subsellia] Præfecti, qui et Prætoris vicem gerebant.

62 *Rebellis*] Rebellio est, contra jus fasque, et inprimis contra magistratum impetus et seditio.

63 *Pervicace*] Obfirmata et perdurante. Pervicacia interdum constantia est in bono: ideo eo verbo de Christianis recte utitur, quorum perseverantiam, rebellionem, et audaciam malevoli interpretantur.

64 *Obstinate*] Pertinaciter, perseveranter. Jugulos retectos opponere seu (ut Cicero) jugulum ostentare, est se sine trepidatione, cum est opus, periculo et morti offerre.

65 *Gloriosa morte*] Mors gloriosa est, cum quis confidenter in bona causa mori non detrectat.

Oppetant] Oppetere eorum proprie, qui in acie cadunt, dictum quasi ore petere, quia fortiter morientes, ne quam doloris significationem darent, terram ore mordebant.

66 *Præceps*] Nulla ratione dignitatis; quia sacerdos erat: nulla nobilitatis; quia loco honestissimo natus.

67 *Ut incitator*] Qui aliis consule-

ret, et eos moveret.

Fax] Quia aliis viam ostenderet et seditioni quasi præiret atque præluceret.

68 *Plebe*] Pro, plebis defensione.

69 *It*] Christiani mortem aut vincula non refugiant. Ita de Stephano Pet. Bembus: 'Ibat ovans animis, et spe sua damna levabat.'

70 *Ultro*] Indicium fiduciæ, cum quis judicem et tortorem non horret: sed ad cognitionem sponte se offert, et libere expectat sententiam.

71 *Amor cor.*] Amor coronæ nunc est, cupiditas moriendi, desiderium martyrii: quod corona verbo Apostolico nominatur.

Trucem lict. art.] Carnificinam, tormenta.

Ungulis] Ungula, instrumentum bifidum, quo latera et costæ scindebantur: sumta a bestiarum ungulis similitudine.

74 *Altum limen*] Templi magnificentiam denotat, a liminis sublimitate.

75 *Stupore mutis*] Proverbialia sunt, mutus dolore, mutus stupore.

Ipse tor. trah.] Animus paratus ad tolerantiam. Ita alibi, 'provocat, Tortore tortus fortior.' Gregorius in Homiliis: 'Ante armatos reges, et præsides deductus, imperterritus stetit: feriente robustior, judicante sublimior.'

76 *Ob ora*] Ante ora, in conspectu.

77 *Infame*] Asclepiadis oratio primum continet accusationem, quod sit Romanus, gloriæ inanis cupidus, quia nominis sempiternitatem expetat: deinde minas, quod sit animadversurus in ipsum, tanquam novitatis auctorem, et puniturus totum populum, tanquam hominis perditi asseclam.

Infame] Pro homine monstroso et infami. Verbo graviore contra dignitatem suam utitur, quia loquitur iratus.

Vilis] Degener, declinans a majorum gravitate. Vile est, quod natura sua precii est minimi; ut, 'vilemque phaselum.' Degener, quod a bona natura deflectit; ut, 'canum degeneres,' dixit Plinius.

Intestabilis] Detestande, seu (ut nos loquimur) maledicte, desciscens etiam a religione patria.

78 *Ventilator*] Translationibus utitur duabus, quarum altera levitatis infamiam habet, quod ventilator dicitur: altera exprobrationem temeritatis, quod procella. Cicero appellat 'patriæ procellam,' hominem seditiosum. Nihil autem facilius concitatur, quam vulgus erga principes, *τῇ φύσει γὰρ ἀντίκειται τοῖς ἐξ ἀρχῆς ὁ δῆμος.*

79 *Inquietas*] Sollicitas, turbas. Inquietare, est, quietum movere.

Mentes mobiles] Facile (ut ait Virgilius) 'Scinditur incertum studia in contraria vulgus.'

80 *Imp. turba*] Tria hæc populo tribuit, levitatem, novandi studium, imperitiam.

Dedat legibus] Principi se subjiciat. Leges populo onera esse videntur.

81 *Populare*] Quod gratiam, et favorem communem mereatur.

Sub colore gloriæ] Sub inani prætextu, et falsa specie gloriæ, qua dictum est, 'Quo gloriosa morte fortes oppetant.'

82 *Illit. frequentia*] Imperitus populus, rudis multitudo. Respicit ad id, quod post mortem nomina multorum martyrum sunt consecrata. Hos irridet præfectus gentilis, quod Christiani ea spe adeant pericula, ut sint immortales, et ex antiquitatis memoria objicit eis Gigantes, qui eo sunt audacia provecti, ut cælum tentarent oppugnare: quod etiamsi se efficere posse desperarent, tamen perire maluerunt, quam non id tentare, quod semel animis proposuerant, ut apud posteros diutius eorum celebrarentur

facinora. Tales esse dicit Christianos, qui mortem subeant, quamvis tetram, ut apud homines diuturna sit ipsorum gloria. Gigantes obrutos esse fulmine, et oppressos montibus, fabulæ testantur. Nam Enceladum Ætna, Typhoëum Inarime, Mimantem Prochyte premi, apud Poëtas: alios in insulis Vulcaniis, in Phrygia, in Lydia, apud Pindari legitur interpretem. Narratio de Gigantibus e sacra historia desumta, et exponendo magis magisque depravata est, a profanis scriptoribus. Habuisse eos centum capita, et manus totidem, Poëtæ fabulantur, quia magnas habuerunt factiones, neque pugnarunt solum calliditate, verum etiam viribus. Habuisse præterea pedes serpentum, quia usi fuerunt in actionibus suis industria et celeritate: vel quia prodierunt ex Ecclesia Satanæ, qui serpentis specie primum hominem a Deo alienavit, quæ verissima est interpretatio. Ista autem calumnia in Christianos, quod essent θεομάχοι, injuste est detorta; de quo plura postea dicentur.

86 *Hoc tu parasti*] Invehitur in Romanum, quod sit seditionis et exitii auctor et signifer, quodque plebem miseram et ignaram in cladem conjiciat, eamque calumniam etiam atque etiam repetit imperitus accusator et impius.

88 *Profanos*] Religionis patriæ hostes.

Impiati] Ita vocat, quasi καθάρματα et περιψήματα, h. e. piacula seu sordes: quales sunt homines, qui Deo atque hominibus sunt odium. Impiatus est impurus, et nondum piatus: quo verbo etiam Seneca Tragicus utitur.

89 *Te magistro*] Qui eos doces.

90 *Caussa mortis*] Qui suades.

Mal. signifer] Qui incitas. Objicit viro innocenti ingenium maleficum, mentem fascinatam, audaciam facinorosam.

91 *Æquum est*] Ea lex tyranni Phalaridis perhibetur, et nunc ab Asclepiade repetitur, qui se Phalaridi ipse similem facit, iniqua et iracunda sententia.

93 *In te recurrat*] Iisdem tormentis in te animadvertat. Sensus est, quod alios tuo hortatu facere perpulisti, tuo nunc ipsius exemplo comprobabis.

95 *Feras*] Habet quiddam proverbiale hæc sententia: 'Feras, quod ferendum suaseras.'

96 *Contra reddit*] Vicissim respondet. Reddere, pro respondere, tanquam rem creditam enarrare.

Ore libero] Libertas dicendi innocentiæ testimonium est. In hac oratione primum respondet pro se, et offert se occidendum pro Ecclesia. Tum caussam agit publicam, negatque homini profano in templum Dei ingressum.

97 *Amplector*] Verbo utitur significante, tanquam de re desiderata et optata loqueretur.

Nec me subtraho] Non defugio, non detrecto. Si mea morte liberare possum cæteros, sponte me ad pœnas offero: imo tibi ipse consulo, ut in autorem potius, quem manifeste tenes, quam in plebem miseram, et tuo quoque judicio imperitam, animadvertendo desævias. Tyranni, quibus se putant posse terrere Christianos, nempe tormentis et morte, iis majores animos, spiritusque ardentiores addunt: et quod ipsi judicant terrorem, id piis votum est et gaudium.

98 *Pro fid. plebe*] Non pro quavis plebe, sed pro Christiana: neque pro seditiosa, sed fideli. Viri innocentes multi a tyrannis petierunt, ut, nomine Christianorum, voce præconis publica damnarentur: ne perduelles viderentur aut scelerati fuisse: quod suo cuidam satrapæ viro præstantissimo Sapores rex Persarum, quem alia nulla caussa improbabat,

nisi quod Christianus esset, clementer concessit.

Solus immoler] Boni pastoris est vitam pro grege suo ponere. Christiani immolari dicuntur, quia sunt quasi victimæ, secundum Davidem. Ita Sedulius de infantibus ab Herode occisis: 'Quorum tyrannus millia Christo sacravit victimam.'

101 *Intrare*] Olim nulli gentili templum Dei intrare licuit, quæ religio nunc est mutata in superstitionem. Nam sacella Jerosolymis sunt, et Romæ in Vaticano et Esquilino, a quibus sexus muliebris arcetur: ut olim ab Herculis fano servi, a Bonæ Deæ sacello viri.

Servis Idolorum] Nemo servit indignius, quam qui idolis servit: nemo miserius, quam qui dæmoni. Idolorum cultus magna insania est: dæmonis vero, extrema cæcitas. Servitutem objicit homini ingenuo et nobili; quia non de corporis vinculis, sed de animi atque judicii perversitate sermo est; et 'Idolorum servum' more Ecclesiastico, pro hoste Dei nominat.

103 *Purus*] Ab omni inquinatione purgatus.

104 *Confido S. S.*] Virtus Christianorum non est in ipsis, sed in Numine cælesti: nec animositas eorum propria, sed Spiritus Dei est potentia.

105 *Dandum*] Concedendum, permittendum.

Limen attingas pede] Proverbiale est. Ut, 'Si minimo attigeris digitulo;' cum aliquem accessu, quo indignus est, arcemus.

106 *Noster factus*] Nostræ religionis et fœderis.

In nostrum gregem] In nostram, et Ecclesiæ nostræ societatem. Honestius hoc proverbio utitur quam ille, qui dicit; 'Ut me in vestrum gregem recipiatis.'

108 *Incensus*] Ad iracundiam incitatus, quæ similis incendio est.

109 *Eviscerandum*] Visceribus extractis cruciandum: quod scribunt Erasmo Episcopo accidisse.

Eculeo] Instrumentis ferratis, quibus corpora tractim aut pectinatim affligerentur. Eculeus est stipes ligneus, de quo suspendebantur corpora, pœnis destinata.

110 *Crescere*] Dilancinando augeri, ut fit in dislocatione rerum compositarum.

111 *Furenti*] Præ ira minus videnti aut consideranti.

Suggerunt] Deterrent a novitate pœnæ, quæ indigna sit viro multorum meritorum et splendoris vetusti.

112 *Vetusta nobilem prosapia*] Nobilitatem commendant duo, virtus et merita: virtus, inquam, a majoribus propagata: merita, quæ homines propria industria claros faciunt.

113 *Primum civium*] Civem primatem vel principem.

114 *Noxialem stipitem*] Columnam noxiis erectam: exponit, quid sit eculeus, καθ' ὁρισμόν.

116 *Tundatur*] In tergo, per tergum, nota figura.

117 *Plumbo*] Plumbum, pro, pila plumbea, vel baculo aut stilo, in quem plumbum est infusum: plumbatam antiqui nominant.

Extuberet] Instar tuberis turgeat et emineat.

118 *Competenter*] Pro cujusque statu et conditione. Irrisione uti videtur, pœnam differens, ut eum audiat: non minuens, ut ei parcat.

119 *Magni refert*] Plurimum interest.

Vilis] Vilis, pro ignoto et ignobili: quod tales sint nullius æstimationis.

Nobilis] Nobilis pro generoso qui commendatus virtute majorum est.

120 *Gradu reorum*] Lex Romana erat, ut pro ratione ordinis sui quisque puniretur: intererat enim inter plebeium et civem, inter vilem et nobilem, inter generosum et senatorem.

Forma tormentis] Pro, forma tormentorum, plane Poëticum est.

121 *Illa grandine*] Instar grandinis, χαλαζηδόν. Grando telorum, pro multitudine. Ut grando saxorum, proverbialiter. Ovid. in Nuce: 'Saxa moveat fructus, grandine plura, petunt.'

122 *Inter ictus*] Plumbatis factos.

123 *Erectus*] Vel, quia plagis inclinatus fuerat: vel quia strati ligatique homines verberarentur.

Absit] Disputat statu definitionis, contra nobilitatem arrogantem, quæ sanguine tumet, non virtute: et quæ genere nititur, non pietate. Ait, nobilitatem non esse laudem de meritis parentum (ut Boëtius definit) venientem: nec datam a senatu dignitatem, propter factum aliquod præclarum: sed eam nobilitatem veram, quæ a Deo ortum habeat, et cujus officium sit cognitio et cultus Dei: cujus præterea picturæ et insignia sint, vulnera propter Christum variis armorum generibus illata, et in qua laborum magnorum et difficilium finis mors est gloriosa. Efficit igitur hominem nobilem, Deus: conservat vita digne Deo acta: ostendit crux; quam finis demum sequitur mors inclita. Caussis omnibus collectis definivit nobilitatem. nam vulgus aut efficientem tantum penit, ut parentum sanguinem: aut formam sumit, ut curiæ legem.

Sanguis parentum] Nobilitas duplex est: alia a majoribus accipitur, alia a nobis initium sumit. Talis nobilitas Romæ fuit, aut e sanguine patricio, aut ex ordine plebeio.

125 *Generosa*] Nobilis est, qui ab antiqua stirpe natus est, εὐγενὴς, bene natus, ut Horatius loquitur, Wolgeborn. Generosus est, qui a stirpe præclara non degenerat, γενναῖος.

Secta] Secta, a sequendo. Olim disciplinæ nominatæ sunt, quæ postea sectæ cœperunt dici: quæ fere in malam partem apud Latinos usurpantur, ut hæresis apud Græcos.

126 *Si prima*] In hanc sententiam Divus Augustinus: 'Semen hominis e qualicunque homine, Dei creatura est.'

Incunabulis] Pro, incunabulorum origo, nota Poëtis antiptosis.

127 *Textu*] Serie, ordine. In Apoth. 'Ex atavis longo texens per stemmata filo.'

128 *Dei, &c.*] Qui secundum Mosen 'inspiravit in faciem hominis animam vitalem.'

129 *Cui quisque servit*] Servitus alia animi est, quæ est turpissima: alia corporis, quæ regibus etiam potest accidere. 'Sola apud Deum libertas, non servire peccatis:' ut inquit D. Hieronymus.

130 *Patri rebellis*] Qui suo conditori ingratus est, vere est ignobilis.

131 *Honos*] Propter pietatem.

132 *Splendor*] Propter ejus eminentiam. Nobilitatis recenset Ornamenta, fidei certitudinem, confessionis constantiam, dolorum patientiam, mortis lætitiam. Quis enim habeatur nobilis, qui non factis ostendat sui animi virtutem, aut re aliqua singulari probet invictam fortitudinem?

Magistratus] Magistratum hic non accipio notione vulgari, quam nemo ignorat: sed pro ipsa experientia, quam Deus veluti magister exigit, ut probet fidem hominis Christiani. Exponimus igitur hoc modo: ut Magistratus venit, i. e. postquam fidei periculum faciendum est, vel (ut Ovidius loquitur) 'cum tentamina fidei vocisque sumenda sunt.' Magistratus igitur hic videtur poni pro magisterio, et ipsius magistri officio; ut modo contrario ponitur potestas pro ipso prætore, apud Ciceronem et Juvenalem.

133 *Confitendi numinis*] Circumscribit martyrem, qui est verus et constans testis, cum Deo æterne laus salutis est attribuenda.

135 *Vim dolorum*] Magnitudinem cruciatuum.

136 *Benignus*] In pœna clemens.

137 *Remissus*] Indulgens in supplicio. Fidei παῤῥησία est, qua pii insultant tyrannis, qui crudelitate satiari non possunt.

139 *Ampliatus*] Amplior et honoratior factus.

140 *Floccifecero*] Plane repudiavero, tanquam luto, aut lateri cocto simile. Nam πλίνθῳ ὀπτῇ veteres nonnulli nobilitatem comparant; et Thespis Tragicus luto comparavit, inquiens: 'De majorum nobilitate efferatur nemo: Unum enim omnes generis habent principium lutum, et ii, qui bysso et purpura luxuriant; et ii, qui in paupertatis quasi fundo versantur.'

141 *Vestra*] Qui in rebus fluxis et incertis ponunt gloriam, non sunt nobiles: qui nobilitate faciunt indigna, etiam sunt degeneres. Insignia (inquit) nobilitatis vestræ sunt vana. Ergo vana ipsa nobilitas. Servi estis superstitionis. Ergo non liberi Servis turpiora facitis. Ergo nobilitatis nomine indigni.

Dignitatum culmina] Vocat culmina, insignium ornamenta, et quasi fastigia, quibus nobiles se efferunt apud vulgus, et præ cæteris mortalibus jactant se excellere. Culmen proprie de tecto, sed et pro rerum aliarum eminentia ponitur.

143 *Fasces*] A rebus externis singulos depingit, non a nominibus officiorum: ut eo viliores esse ostenderet, qui rebus vilibus superbirent. Exagitant hoc idem risu Democritico in Satyris Horatius et Juvenalis contra nobilitatis arrogantiam.

144 *Trecenta*] Pro plurimis, numero proverbiali. Hor. Od. III. 4. 'amatorem trecentæ Pirithoum cohibent catenæ.'

145 *Detumescitis*] Tumere desinitis.

146 *Vernæ*] Servi rustici, quibus pecorum custodia commissa. Non enim illos vult dicere, qui a cura domus aut cubiculi erant: aut a cura dominorum, aut amicorum.

147 *Pudet fateri*] Reprehensio per indignationem.

149 *Belluæ*] Materia vestri honoris beluina est; forma est volatilis: quibus ostenditis levitatem et ignorantiam, quia efferimini nugis puerilibus, et imaginibus brutis, h. e. ossibus et plumis, seu elephante et aquila. Docet, sapientiam gentilium esse insipientiam, et dignitates eorum meram vanitatem. Talis aquila eburnea crista rubea insignis, ante annos aliquot reperta Romæ, sacello subterraneo montis Palatini, post templum Divæ Anastasiæ. Talis exsculpta est in fornice arcus Vespasiani, in quo manu eam tenet Vespasianus, assidente a dextra Tito, a sinistra Domitiano filiis. Solebant ejusmodi aquilæ statui ante aditus templorum; quod Herodes Jerosolymis, non sine tumultu, fecit. Aquilam præferendi consuetudo sumta a Persis est.

151 *Ad sigillorum pedes*] Ad bases statuarum. Sigilla sunt parva signa, qualia Etruscis usitata fuerunt.

152 *Infra sectilem quercum*] E qua statuæ dolatæ sunt. Statuas esse, prohibuerunt Persæ et Ebræi: quas e metallis et lignis factas fuisse, notum est. Opera adorare artificum, hominis vesani est: sub quercu jacere supplicem, etiam furiosi; quomodo enim dii sunt, quos statuarii fundunt, fabri poliunt, manus mortales absolvunt? hunc locum infra tractabit copiosius.

153 *Projectius*] Levius, vilius, amentius.

156 *Lapis nig.*] Fabula hæc est: Cybele, mater Deorum, fingebatur nata in Phrygia, et in monte Cybelis exposita; quæ facta anus puerum eviravit. Ejus effigies erat lapis niger, auro inclusus, qui carpento trahebatur ad fluvium Almonem, in agro Romano, extra portam Capenam, ut Statius: extra Ostiensem, ut Divus Gregorius. Ante carpentum Senatus

nudis incedebat pedibus, comitante omni nobilitate, donec lapis et vasa templi in flumine lotionibus purarentur. Eadem pompa ad templum usque principes civitatis revertebantur. Unde Cybelis pompa de inani et probrosa dici potest. Ante ejusdem lecticam die illo solenni turpissima et nefaria cani solita, testatur Divus Augustinus. Extat adhuc lapidea Cybelis effigies Romanæ, in templo, quod Sanctis Omnibus dicatum est, et ante Agrippam, Augusti generum, Cybeli dicatum est.

157 *Muliebris oris*] Effigie anum referens.

158 *Ad lavacrum*] Solenni pompa institutum.

159 *Pedes*] Quia nudi incedebant.

Remotis calceis] Detractis pedum indumentis. Demonstrat, turpe esse, tali habitu incedere Senatores, non solum in Urbe, sed ad fluvium aliquot mille passibus inde distantem: cum non sequantur hominem, sed carpentum: non Deam, sed saxum: non currum triumphalem, sed essedum mulieris: neque id faciunt in sacris majorum, sed translatis e Phrygia, et in quibus ductores pompæ sint Semiviri. Sequi Deum patrium ad templa, fortasse ferendum esset: sed comitari mulierem peregrinam ad balneas, est cum infamia conjunctum. Amplificat circumstantiis vanitatem superstitionis, et sacrorum turpitudinem.

160 *Almonis*] Unde a Lucano dicitur parvus, ab Ovidio cursu brevissimus.

161 *Turpis Pompa*] Quia hominum fuit nudatorum. Lupercum fecerunt Cassinates Benedictum, Assisiani Franciscum: hunc per patriam narrant cucurrisse nudum: illum nudum sese volutasse in nivibus: quod de viris eruditis et religiosis affirmare profanum est.

Ignobiles] Quia vestris vernulis multo reddimini contemtiores. Objecit senibus et optimatibus nuditatem pedum in comitatu femineo: nunc objicit juvenibus et viris nuditatem corporis in discursu infami. Revera sacra illa Phrygia et Arcadica fœdissima fuerunt, eaque consuetudinis caussa tulerunt, quæ nemo prudens potuit statuere convenire Diis, aut saltem hominibus honestis. Videre licet quantis præstigiis diabolus fascinaverit oculos et mentes virorum, alias sapientissimorum: nam extra verbum Dei, nulla est aut unquam fuit in religione sapientia.

162 *Luperci*] Irrident hanc levitatem Satyrici, et Ovid. in Fast. Objicit Cicero hanc discursionem M. Antonio Cos. et Prudentius hoc loco Romanis senatoribus: ut et alibi, 'Ipsa et Senatus lumina Quondam Luperci.'

166 *Miseret*] Querela affectuosa, in qua deplorat statum Urbis, terrarum principis, quæ sacra tam scurrilia, Senatores tam turpes, mores tam perversos habeat; ut, quod domi nemo ferret in servis aut ancillis, id probet et celebret publice in religiosis conventibus.

168 *Mysteria*] Sacra illa abscondita et pudenda: hæc enim cum luce palam fierent, quid perpetratum in lustris et adytis templorum fuisse putandum est?

170 *Nolis velisve*] Animo patiente sibi adversa audire nemo facile potest. Unde Horatius, a suo servo lacessitus contumelia, saxa et tela sibi dari flagitat in Sat. penult. 2. Serm. Ita Prosper de prædictionibus lib. II. 'Prophetæ Danieli volentes nolentesque colla submittunt.' Hoc igitur utimur, cum vis alicui infertur, ita ut obsistere potestati aut veritati non possit. Alexis Comicus: ἄν τε βούλοντ', ἄν τε μή.

Quid colatis sord.] Ritus gentiles rectius sordes, quam sacra nominat; quia fœditate manifesta quosvis offendebant.

171 *Nec terret*] Apparet, nemini interdictum fuisse, quin caussam pro se publice diceret: nec quenquam condemnatum, nisi excusatio ejus fuisset audita. Præfectus igitur audire compulsus est, vel quia consuetudine Romanorum facere aliter non poterat, vel quia vulgi tumultum aliquem extimescebat.

172 *Vultuosus*] Iracundus. Ira enim in vultu elucet.

Supinus] Superbus; quod gestu ostenditur.

Rigens] Immitis; quod colligitur sermone.

173 *Tormenta*] Cruciatus exquisitos.

175 *Ratione*] Arguit animi impotentiam in præfecto. Hac sententia uti possumus, quando cum eo homine res est, qui non vult doceri, sed suspici: non audire, sed imperare: denique non veritate, sed potentia vincere.

176 *Jubes*] Probat, nullum Deum gentilem vere esse Deum, aut coli rite posse: cum ipsorum nulla in cælis sit potestas; qui homines fuerint, tot libidinib. et flagitiis obruti, ut nemo ipsorum exemplo suam vellet vivere familiam. In Dei natura non est sexus, non ætas, non propagatio, non corpus humile aut impurum aut caducum. 'Deus enim,' vel Cicerone teste, 'mens soluta et libera, et segregata ab omni concretione mortali.'

177 *Ut tecum*] In genere nominat sexum Deorum inquinatissimorum, et eorum improbissimam prosapiam, e furto, stupris, adulteriis, et incesto editam, etiam in tertiam usque progeniem. Piaculum dicere est, talis impuritatis domicilium esse cælum, in quo libidinosæ celebrentur nuptiæ, deprehendantur adulteri, imperent incestuosi, adorentur spurii, colantur parricidæ.

184 *Fallit maritus*] Jovis stupra (ut de aliis taceam) recenset novem Ov. Met. VI. Filios ejus illegitimos supra viginti numerat Hyginus fab. 155.

Uxor pellicem] Ut Juno mariti concubinas, Latonam, Dianam, Maiam, Semelen, Æginam, Callistonem. Dicitur etiam vulgi sermone, 'Uxor pellicem odit,' quod testantur comœdiæ.

185 *Adulteros*] Tanta turpitudo in templis picta, in theatris decantata, in scenis ostensa fuit. Inde exempla sunt nefaria consecuta, ut Cassandræ oppressio apud Trojanos, Catiæ adulterium apud Romanos, quæ in templis facta sunt. Hoc prætextu utuntur adolescentes, in Eunucho Terentii, et in Nebulis Aristophanis, ad suam libidinem excusandam. Pulchre Augustin. de C. D. lib. VI. 'Deteriora sunt templa' (inquit) 'ubi mala aguntur, quam theatra ubi finguntur.'

187 *Vervece*] Vervex inter agnos est, quod inter equos Cantherius.

Fumet] Aræ olim e cespitibus fiebant, et iis herbæ imponebantur.

188 *Delphos ne pergam*] Incipit de cultu Deorum loqui, et dubitare, ad quod potissimum templum, inter tot impura et nequam monstra, sit accedendum. Deos ipsos non esse, qui ex hominibus nati, et ab hominibus sacrati sunt, ostendit breviter; de qua re hoc etiam modo divus Athanasius scribit contra gentes: 'Prisci' (inquit) 'et celeberrimi dii in Græcia, Jupiter, Neptunus, Apollo, Vulcanus, Mercurius: et inter feminas, Juno, Ceres, Pallas, Diana, edicto Thesei, qui ibi regnavit, (ut in historiis est,) accepere nomen ac dignitatem: cum interim, qui eos fecerunt Deos Deasque, vita functi, ut mortui lugeantur: et ii, quos ipsi sacrarunt edictis, inter Deos recipiantur.' Templa Jovis, Junonis, Martis, Veneris, Isidis, Lunæ, Cereris vix honeste adiri, docet Ovid. Trist. II. qui locus notus est.

Palæstrici] Apollo amans Narcissum, in certamine ludicro, adoles-

centem jactu disci occidit imprudens. Ejus morte ita doluit, ut defunctum in florem mutaret, utque amati orbatus præsentia, floris aspectu sese reficeret. Quam fabulam narrat Ovid. Met. x. Idem Apollo, ab irato Jove pulsus cœlo, Thessalica armenta regis Admeti pavit, et a Mercurio circumventus, non solum boves in agro, sed etiam humero pharetram amisit: quam rem late persequitur in hymno Apollinis Homerus. Amatorem esse et palæstritam et bubulcum, naturæ cœlesti nequaquam convenit. In amatore enim scelus reprehenditur, in palæstrita levitas, in bubulco insania. Perverse amat, turpiter ludit, infideliter servit. Nihil igitur Apollo vel viro gravi, vel homine honesto, vel famulo bono dignum facit, qui pro numine colitur.

190 *Gymnadis*] Certaminis, quod inde nomen habuit; quia nudi luctarentur viri, et in locis aliquibus feminæ. Gymnasii licentia, dici proverbio potest, pro maxima; nam a nuditate nomen accepit.

192 *Dicavit*] Deum fecit.

Florulentum] In florem vernantem conversum: vel ætate lasciva improbum.

196 *Cybelis*] Cybele culta est in pinetis, quibus Cybela, Dyndima, et Berecynthus, montes Phrygiæ, abundarunt. Fuit hæc Dea anus libidinosa et zelotypa, quæ incantationibus, puero sibi dilecto, quia oculos in puellam Sagaritidem conjecerat, talem horrorem et insaniam immisit, ut sibi ipse virilia adimeret. Atys adolescens tandem in pinum mutatus perhibetur; cujus furorem describit prolixe Catullus.

201 *Limen Jovis*] Jovis templa, statuæ, signa, picturæ quasi notæ scelerum fuerunt. quamvis enim specie Fulminatoris aut Fulguratoris aut Ultoris astaret, tamen semper Aquilam appositam, aut aliud quod signum, infamiæ indicium, habuit adjunctum: cum quo si legibus Romanis sit agendum, non solum pœna et carcere, verum etiam exilio et deportatione dignus fuerit. Libidines flagitiosas Julia et Scantinia leges punierunt: quarum illam minacem, hanc severam recte Poëta nominat. Lege plura apud eundem, et apud Justin. Mart. Huc pertinet trochaicus, qui e vetusto Poëta citatur a Plutarcho: Εἰ θεοί τι δρῶσι φαῦλον, οὐκ εἰσὶν θεοί ποτε. 'Si Dii turpe quid admittunt aut improbum, pro Diis amplius non sunt habendi.'

208 *Latuisse furtim*] Propter Jovis tyrannidem.

Malum] Vindictam, pœnam, a suo filio; quia fuit Saturnus infanticida.

210 *Occulendi conscios*] Tanquam suos adversarios.

211 *Quid inter*] Improbavit Deorum gentilium actiones turpes: jam exprobrat iisdem bella, et discordias, ita ut nemo unum colere possit, sine alterius offensione. Turpiter colantur libidinosi, coluntur cum periculo inter se dimicantes. Pugnarunt autem Saturnus et Jupiter: inimicitias exercuerunt Mars et Vulcanus, Juno et Hercules. Tractat et hunc locum graviter, ut solet, e fabulis Poëtarum D. Athanasius.

212 *Martis virtus*] Pro Marte, Poëtica periphrasis.

213 *Lemnius*] Vulcanus, e cœlo dejectus a Jove, in insulam Lemnum decidit, inque lapidem crus fregit. Hic Martem vinxit, et fecit infamem, et conjugis opprobrium palam fecit, et Diis omnibus spectaculum libidinis exhibuit.

214 *Junonis iram*] Propter pellicem, e qua natus Hercules. Junonis ira, apud Poëtas, pro non placabili.

215 *Signo*] Statua vel templo.

216 *Licenter*] Temere, sine caussa.

219 *Piaculum*] Crimen contra Deos fictum, et piaculo dignum.

220 *Plauditur*] Plausu auditur et comprobatur.

221 *Cygnus stuprator*] In scenis (inquit) et theatris comici et Tragici actores coram universa plebe concinunt et saltant, ut Jupiter mutatus in cygnum illuserit Ledæ, ut conversus in taurum deceperit Europam. Hæc aguntur et monstrantur te inspectante, qua quæso gravitate? quo exemplo?

222 *Tauricornem*] Ταυροκέρωτα, h. e. bovem.

Ludius] 'Volsus Ludius' apud Plaut.

223 *Pontifex*] Præfectus sacris, et morum censor.

225 *Tanti numinis*] Opt. max. ut vos dicitis. Boni viri est, male de Diis nihil cogitare, aut infamia affectos pie defendere. Tu Deorum pontifex de sceleribus eorum audis et taces: tu monstrari ea vides, et cum reliqua multitudine Deos irrides.

226 *Tu Sacrate*] Invidiose invehitur tam in Deos, quam in Pontificem.

227 *Se maritum fingit*] Pro marito se gerit: ut scripserunt apud Græcos Æschylus et Archippus: apud Latinos, Actius, Cæcilius, Plautus.

228 *Adonin*] Ab apro in venatione interfectum. Adonin scripserunt Aratus Tragicus, et Plato Comicus, qui ab Athenæo citantur.

Scenica] Venus, in scenis nota: vel pro quovis scorto publico, coram omni ætate et sexu.

230 *Lupanar*] In quo rectius dicaretur Venus, quam in templis; et ostenderetur minore periculo, quam in theatris. Venerem appellat Sanctam ridicule: Cypridem nominat, figurate, Κυπρογενῆ.

231 *Quid*] Postquam percurrit jam templa et theatra, in quibus celebrantur et exhibentur Deorum Dearumque scelera, nunc etiam signa artificum considerat, flagitiorum monumenta, ut in signo Jovis, Cereris, Herculis.

233 *Sigillum*] Jupiter adjunctam habet aquilam pravi ministerii alitem: Ceres facem gestat, qua inquirit raptam a patruo filiam. Hercules fusos versat, quibus servitus ejus minime virilis significatur.

235 *Tyranno*] Jupiter inter trecenta fere cognomenta et Regis nomen habuit, ut apud Xenophontem: et Tyranni, ut nunc apud Prudentium. Jovis nomine Deos alios omnes comprehendi dicit divus Augustinus. in quam sententiam Orpheus, ἓν κράτος, εἷς δαίμων.

236 *Recincta*] Fluxa, ut eam forte gesserat, et in terrore secum extulerat. Videtur turbatam et festinantem Deam pingere.

237 *Deorum*] Plutonem intelligit, qui fratris sui nepte Proserpina raptu potitus est.

239 *Fusos rotantem*] 'Απὸ τοῦ ἔχειν, pro, filamentum apud Omphalem, Lydiæ reginam, quod ei objicit uxor Dejanira apud Ovidium, et passim objicitur ab Eurystheo patruo in Tragœdiis.

240 *Neæra*] Neæram scripsit Licinius Imbrex; estque convicium proverbiale in quamvis procacem et petulantem. Vocis origo Ebraica est.

241 *Monstra*] Qui tali specie finguntur, ut sint monstrosi, alius semipiscis, aut semicanis, aut semicaper, alius nudus, alius (ut Horatius) 'nympharum fugientum amator,' h. e. furiosus, alius discursare in silvis, alius stare in hortis, alius in choreis versari, et fistularum præses esse dicatur. His adduntur tetriora monstra, vel quæ aquis innatant, instar algæ, vel in luto hærent, instar ranarum, quorum monstrorum tanta multitudo, ut unius Nerei centum numerentur filiæ.

245 *Divinitatis vis*] Epiphonema. Algam, secundum proverbium rem vilissimam, consecrare, et ei vim divinam tribuere, stulticia plus quam puerilis est. Recensuit Deos superos, quos cælo indignissimos propter

turpitudinem probavit: terrenos item, quibus loca ruris tribuit, et eos tanquam portenta irrisit: aquatiles denique, quos etiam ostendit nihili et contemnendos. In quibus omnibus non solum nulla divinitas, sed ne honestas quidem: non pudor, non concordia, non dignitas, non existimatio: adeo ut nec præfectus, coram quo causa dicitur, si verum velit statuere, templa eorum cum reverentia adire, aut facta in theatris spectare absque risu aut indignatione possit.

246 *Ad hæc colenda*] Asclepiadem alloquitur, quem antea ut Pontificem, nunc ut censorem appellat. Exprobravit Pontifici impietatem, qui mendaciis in Deos confictis aures attentas præbeat, et majestatem Deorum suorum non defendat. Exprobrat modo censori levitatem, qui ineptias a temulentis et somnolentis vetulis turpiter et otiose excogitatas admittat.

247 *Tale*] Tam monstrosum, tam a natura divina alienum, tantopere cum honestate pugnans.

248 *Pulmonem*] Pulmo est spiraculum, et quasi instrumentum, quo risus excitatur. Juven. 'Risu pulmonem agitare solebat.'

251 *Aut siquid usquam*] Si colenda numina sunt, omnia sunt colenda: et nihil different Romana ab Ægyptiis: quorum hi non homines tantum colebant, sed et animalia: neque solum nymphas, sed ipsos pisces: neque hortos modo, verum etiam fructus hortorum, ut cepe et allium, et alia oluscula. Hanc superstitionem Ægyptiacam iracunde exagitat Satyricus apud Romanos, et Alexandrides ait in comœdia, Κύνα σέβεις; τύπτω δ' ἐγώ. Scribit Tertullianus, 'Serapim, Isidem, Harpocratem, cum suo Cynocephalo esse Capitolio prohibitos, i. e. curia Deorum pulsos, et ipsorum aras apud Romanos fuisse eversas.' In Deos Ægyptios lusit antiqua Comœdia, et adhuc pro vano aut monstroso dici potest Ægyptius.

264 *Sarculatis*] Sarculo cultis aut purgatis. *Sarculum* ferramentum, quo effodiuntur purganturve horti vel agri. Horat. Carm. I. 1. 'Gaudentem patrios findere sarculo Agros.'

266 *Sed*] Affert objectionem plane gentilem: Si non signa sint aut statuæ colendæ, conservandum tamen propter magna ingenia laborem artificum. Disputat divus Augustinus, eos præcipue esse debere Deos, qui alios volunt Deos efficere. Tales non fuerunt Romani Senatores, ut ipse ait: tales non fuerunt artifices Græci, ut probat Athenagoras, et ut ait Prudentius. Ergo Deos nullos aut facere, aut consecrare potuerunt. Certum enim est, conditorem re esse condita potentiorem: et majorem esse dantis, quam accipientis potestatem: nec opera artificum bruta ipsis artificibus posse fieri meliora, nec ligno lapidive motus atque sensus dari potest, qui in Dei natura non solum requiritur, sed excelluit perpetuo, et inde mortalibus impertitur.

Forma in ære] Ærea imago.

Sculptilis] Æra funduntur, postea expoliuntur: sumit actionem fabri, pro ejus, qui signa fundit aut sculpit.

267 *Officinis Græciæ*] Græcis artificibus, Deorum auctoribus. Tractant divine hanc sententiam David in Psal. CXV. et Isaias cap. XLIV. et totus liber Prophetæ Baruch, qui mira ratione, et argumentis firmissimis, et evidentibus testimoniis demonstrant, hominum esse amentissimorum opera artificum pro Diis, et opera manuum hominum pro servatoribus habere.

269 *Forceps Myronis*] 'Alieno plerique ingenio magis quam suo commendantur,' ut ait de hoc statuario Plinius. Ipsum enim magis clarum fecerunt Poëtarum carmina quam propria opera.

Polycleti malleus] Polycletus itidem statuarius, minime invidus suæ artis

doctor, pluribus, quam alii, discipulis claruit. Eum ad statuam sibi faciendam voluit adhibere Hipponicus, Calliæ filius, ne industria Polycleti majore in admiratione esset, quam sua magnificentia, testis est Ælianus. Forceps instrumentum est ad secandum aptum: quo utuntur fabri argentarii, **eine Beißzang**: fabri lignarii, **ein Schietmesser**.

270 *Natura*] Quia ab iis cuduntur et fiunt. Homo Deum natura non potest gignere; multo minus arte efficere.

271 *Ars*] Pictorum, statuariorum, sculptorum, fabrorum.

Seminandis erroribus] Pro, errorum seminandorum, i. e. ad seminandos seu propagandos errores. Talis sermo, qualis ille: 'Comminus Deum docendis proditum mortalibus.'

272 *Rigentem*] A metallo aut ligno factam.

Circumplicat] Apte mento affingit.

273 *Defluentem*] Prolixam, et in humeros tergumque demissam atque transfusam.

Leniter] Parte exigua crispans.

274 *Limat*] Æquat, perpolit.

Capillos] Baccho capilli et cincinni tribuuntur. Ovid. Fast. I. 'Festa corymbiferi celebrabat Græcia Bacchi.'

275 *Minervæ pectus*] Facie Gorgonis, seu Medusæ.

Hydris asperat] Asperum facit. Nam propter spiras serpentum non potest esse læve aut planum.

276 *Atram*] Horridam et exanimantem.

277 *Æris*] Signi ænei, quod manu gestat Jupiter.

278 *Tremant*] Cum tremore aspiciant.

Venenum] Serpentes in scuto Minervæ. ostendit picturæ expressas vivasque imagines.

279 *Putent*] Vere sibi persuadeant.

Ephebum] Bacchum, qui vultu adolescentuli perpetuo fingitur.

Post triumphos Ind.] Bacchus Græcorum arma per Orientem circumtulit usque in Indiam.

280 *Thyrso*] Pertica pampinis circumdata. Unde Bacchus θυρσοφόρος, θυρσεχὴς, θυρσομαχὴς appellatur.

281 *Dianam*] Semper-Virginem.

Molle succinctam] Non quod mollis ipsa sit, quæ ociosa nunquam est, et in venationibus assidue versatur; sed quod mollem in modum, h. e. muliebriter, sit succincta.

284 *Liquore crispo*] Quasi cæsariem crispam habeat, quali cernitur in nummo argenteo Thasiorum; et in alio quodam, in quo fictus est cum clava et capite apri.

285 *Clava*] Quam gestat, quasi telum proprium. Usus etiam clava est Theseus, et illi apud Virg. imitatores Herculis, 'Sternentes agmina clava.'

286 *Jam quis*] Omnes superstitiosi timidi sunt, quod in iis etiam exagitat Horat. Serm. lib. II. ideo autem timidi, quia increduli.

287 *Polite*] Eleganter, et (ut Græci dicunt) γραφικῶς.

289 *De litantis hostia*] De sacrificantis munere.

290 *Lapis*] Statua lapidea. Unde hominem immobilem stupidumque ille alloquens ait: 'Quid stas, lapis?'

Severa fronte] Tristi aspectu, facie torva.

Mentitur minas] Ergo non sunt pertimescendæ: non enim Deorum sunt, sed statuarum.

291 *Mentorem*] Mentor laudatus fuit cælando argento. Unde Mentorea pocula, et Mentorea cælatura, pro insigni et artificiosa, in epigrammate antiquo.

294 *Qui si*] I. e. si tanto conatu opus suum non exercuissent. Ridet præfectum ad quem ait; nisi fabri essent, aut alii artifices, nullum ipsis fore in templis Deum, nullam in delubris effigiem: et inde nullum Deorum cultum aut venerationem.

296 *Non erubescis*] Non pudore suffunderis? signum pro re signata.

Stulte] Carens sensu hominis.

Pago dedite] Carens intellectu religionis. Pago deditus, pro gentili. Habet duplicem originem paganus seu pago deditus; alteram sumptam e verbo Græco, alteram a militum Romanorum consuetudine.

297 *Obsonia*] Sacræ Deorum oblationes aut epulæ.

300 *Contulerunt*] In unum coagmentarunt. Viles Dii sunt, qui e culinariis trullis aut vasis furnariis conflantur, et sæpe ex vasis (ut Justinus ad Antonium Pium ait) inhonestis, et ab impudicis et sceleratis et flagitiosis artificibus. Dicit igitur cum indignatione vir sanctus: 'origo vestrorum Deorum forcipes sunt et mallei,' h. e. fabrorum manus: materia est æs consumtum, h. e. fractæ et detritæ coquorum ollæ aut instrumenta, quorum aliqua commemorat.

301 *Ignosco fatuis*] Fatuis ignoscitur, quia rationis sunt impotes: ignoscitur circulatoribus, quia levitati plerunque, vero nunquam student. Tales enim homines, quicquid audiunt, credunt: quicquid ridiculum vident, imitantur: tum suas opiniones muliercularum testimonio confirmant, quæ semper vanitate delectantur, et admirantur res futiles, inprimis anus decrepitæ. Nunc 'anuum cantilenas,' ut paulo ante, 'anuum figmenta,' pro rebus contemnendis ponit. Igitur errare fatuos, nugari circulatores, mulierculas desipere, non mirandum est: id enim illis aut studii pravitate, aut inopia mentis, aut imbecillitate ætatis contingit. Sed vos homines eruditos et sapientes et perspicaces, qui secundum officii rationem vivitis, qui leges et decreta præscribitis aliis; vos, inquam, in tanta ignoratione rerum divinarum versari, hoc mirum est, et non ignoscendum. Quare autem fiat, ut omni tempore in rebus sacris magis cæcutiant docti, quam plebeii; Philosophi, quam homines simplices; ejus rei caussam affert, et admirationem tollit, ipse Filius Dei, in illa sua lætissima gratulatione, apud Matth. et Luc. cum ait: 'Gratias ago tibi, Pater, Domine cælorum et terræ, quod absconderis hæc a sapientibus et prudentibus et revelaris ea parvulis.' Vulgus doceri se patitur, quia facile assentitur: eruditi non facile admittunt aliquid, quod pugnet cum ipsorum rationibus aut opinionibus: nec facile suspectum quid habet vulgus simplex, et incultum, sed qui sunt in studiis acrius versati, tanto difficiliores sunt ad persuadendum, quanto plus sibi ipsis arrogant.

307 *Perpensa*] Considerata, judicio suscepta.

311 *Deus perennis*] In hac disputatione duæ tractantur partes: quid sit Deus, et qua ratione sit colendus. Deus in una essentia et tribus personis unus est, Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus Sanctus; æternus, infinitus, omnipotens, ineffabilis, rerum omnium conditor et servator. Huic Filius est ab æterno, e luce fulgor, lumen de lumine, Patri æqualis omnipotentia et sapientia. Ab utroque procedit Spiritus Sanctus, pleni luminis claritas. In his tribus personis, simplex natura et unita virtus est unius Dei: per quem omnia creata sunt, quæcunque sunt: neque creata artificio aut conatu aliquo, quo vel ad meditandum, vel ad perficiendum fuerit opus: sed de solo tantum verbo, per quod condita sunt, quæ non erant; disposita, quæ pugnabant; ornata, quæ forma carebant. Hæc Dei descriptio, quam Romanus affert, cum symbolis Apostolico et Athanasiano diserte convenit. Modus colendi Dei est, non qui ab hominibus excogitatur, sed quem lex et verbum Dei præscribit: neque versatur in ceremoniis tantum externis, sed in intima cordis veneratione.

Deus enim non in templis habitat, quæ ligno aut lapidibus extruuntur, sed in hominis animo ipsum timentis: in cujus templi vestibulo non astant signa aut statuæ, sed ea, quæ in corde est, Fides: hæc ejus atria et fores servat; hæc quibus placari hostiis Deus velit, indicat: nempe candidatis et simplicibus et e mente sincera profectis: quales sunt Spes, invocatio, patientia, quæ producunt fructus suavissimos Deoque gratos, omne scilicet pietatis et amoris genus erga Deum atque homines. Tali modo qui Deum non agnoscit, cæcus plane atque demens est: talem cultum qui ei non exhibet, Deum placatum aut amicum nunquam habet.

312 *Cogitanda*] Quod fit mente, quia est incomprehensibilis.

Videndo] Quod fit sensibus, quia inconspicuus est, nec tangi potest. Major videl. Deus est, quam ut in oculos incurrat, aut in mentem hominis descendat.

313 *Excedit*] Explicat id, quod dixit, cogitando.

314 *Nec comprehendi*] Explicat rursus id, quod dixit, videndo.

315 *Extraque et intus*] In rebus conditis, et extra res conditas: in seipso, et extra seipsum in tota mundi fabrica, et in eo, quod adhuc vacuum putatur.

Implet ac superfluit] Quia condendo non deficit, largiendo non minuitur, bene faciendo non exhauritur: omni bono major, omni copia uberior, omni amore ardentior. Dei natura, qua ipse immortalis et immensus est, nec ingenio, nec sensibus, nec ratione comprehenditur: nam et cælos implet, et ubique præsens est: non cernitur oculis, et propemodum tangitur in operibus: non desinit esse beneficus, et donando fit ditior. Ortum a nullo alio habet, quam a seipso, non temporibus circumscribitur, non loco continetur, in suo conspectu habet omnia, et novit omnia, et quicquid est rerum conditarum, unus sustinet et conservat. Idem cum Filio coæterno, et cum Spiritu Sancto omnia in cælis, aëre, æquore, in terris et sub terris condidit: omnia ad utilitatem, multa ad ornatum quoque et delectationem fecit: hominibus et animantibus de victu et domicilio prospicit, rerum videlicet omnium rex atque dominus. Res autem tales tantasque, quas nemo oratione consequi, numeroque potest complecti, specie mirabiles, natura varias, potestate diversas, multitudine innumerabiles, situ distinctas, decore conspicuas, creavit et disposuit sua sapientia: earumque ortum, cursum, ordinem, vicissitudinem, motum, mensuram, sua omnipotentia regit et tuetur. Dici hoc vere de Deo nostro vero potest; dici de nullo alio heroë, aut Divo quos homines finxerunt, potest; ut de Jove aut Minerva: multo minus de crocodilo aut Ibide, quos Ægyptii coluerunt: minime vero omnium de lapidib. aut lignis, aut de artificum fictis dolatisque operibus. Hanc rationem doctor excellens Romanus opponit stultis Diis gentilium, cui quidem contradicere nemo sanus audet, nemo religiosus debet, nemo sapiens potest.

316 *Intemporalis*] Extra tempus, perpetuus, immensus.

Antequam] Lucem enim et diem ipse produxit.

317 *Esse et fuisse*] Docti annotarunt tali verbo tempus infinitum significari. Deus enim semper fuit, semper est, semper erit. Idem nomen Johan. exprimit Apoc. I.

320 *Ex luce fulgor*] Hoc nomen mutuatur de Epistola ad Hebræos, in qua ἀπαύγασμα τῆς δόξης appellatur. Deus enim neque cogitari neque intelligi potest sine Filio, in quo expressam suæ divinitatis et caritatis imaginem edidit.

321 *Vis*] Distinctio οὐσίας seu essentiæ in Deo nulla est; τῆς ὑποστά-

πων seu personarum est, ut et officiorum. Pater enim et Filius et Spiritus Sanctus tres sunt personæ: sed unus est Deus, una virtus; nec sunt tres luces aut tres naturæ, sed una tantum lux, et natura simplex. Deo Patri tribuitur Creatio, Deo Filio Redemtio, Deo Spiritui Sanctificatio: nec tamen Pater æternus seorsim, aut peculiare suum opus aliquod facit, nec Filius seu λόγος suum, a Patre separatum: neque Spiritus Sanctus suum, a Patris et verbi opere discretum: sed est una individua, indivulsa, indistincta essentia et natura, divinæ et æternæ potestatis et efficaciæ.

326 *Cælum*] Immeratur enumerando in rebus conditis, ut divinæ potentiæ admirationem in animis suscitet quam maximam.

Vim mar. gur.] Dicit gurges maris, ut sup. 'Fossa ponti,' per extenuationem: et 'vim marini gurgitis,' pro mari vasto, per circumlocutionem.

327 *Globos*] Solem et Lunam, corpora instar globorum rotunda, lucis ministra.

336 *Hæc non*] Condere aliquid ingenio aut labore, mirum non est: sed condere verbo et mandato, non consulendo artificem, non admovendo manum, non adhibendo instrumentum, id demum divinæ est omnipotentiæ. Condere præterea opus non simplex, sed tale, quod nec satis nosci potest propter varietatem, nec satis suscipi propter pulchritudinem; certe nullius nisi maximæ potestatis est. Id autem ipsum opus tantum, tam mirabile, tam varium, tam omnib. ornatum, tam consentiens, ex nulla condere materia, est immensæ sapientiæ et potentiæ inexhaustæ.

339 *Omniformem*] Multiplicem, decoram, lucidam, fecundam, uberem, jucundam.

340 *Virtus pat.*] 'Ο λόγος ab initio paternæ virtutis particeps et consors gloriæ fuit.

341 *Nunc*] Dicturus de colendo Deo, aut de templi genere, de victimis, de sacerdotibus. Templum Dei, vel (ut divus Petrus nominat) 'domus spiritualis' est, ipsum cor hominis credentis, ut Paulus aliquoties ad Corinthios epistola prima et sec. cap. VI. ait. Victimæ et donaria sunt, non animalia, non aurum; sed invocatio, et gratiarum actio, quæ sunt, secundum Oseam, 'vituli labiorum:' et secundum Micheam 'laudis hostiæ.' Sacerdotes sunt, qui agnum illum immaculatum norunt, et auditoribus proponunt, et homines per fidem in Christum fieri salvos testantur, quique tanto Christi beneficio affectos jubent sancte et τῆς πίστεως ἀξίως vivere.

342 *Ritum*] Ritum, qui est ceremoniarum: modum, qui disciplinæ. Ritus pertinent πρὸς τὰ δικαιώματα: modus πρὸς τὰς ἐντολάς. Cum et servamus quæ præcepta verbo Dei sunt, et secundum illa præcepta vitæ rationem instituimus.

Quale sit] Deus non templa probat omnia, quantumvis sancta, nisi doctrina salutaris et animus accesserit.

343 *Sanxerit*] Suo verbo præceperit. Nulla placent donaria nisi ab ipso Deo sint instituta. Ita enim Isaias cap. XXXV. 'Frustra me colunt docentes doctrinas, præcepta hominum.' Quam sententiam Christus adducit contra Pharisæos apud Matth. XV.

Donaria] Munera, quæ Diis apponuntur, ἀναθήματα.

344 *Quæ vota*] Cujusmodi preces.

Quos sacerdotes] Qualem doctrinam serentes, num summi Dei, an hominum sapientum; num cælo traditam, an e propria (ut loquuntur) devotione natam.

345 *Quod mandet*] Ethnici solebant aras, postes, et limina spargere vino et lacte: sed nunc aliud genus nectaris intelligit, nempe veram fidem, animi puritatem, confessionis constantiam.

346 *Ædem*] Petrus ait, 'offerendas esse hostias spirituales, acceptabiles Deo per Jesum Christum.' Et Paulus ad Romanos: 'Præbeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, acceptam Deo, cultum rationabilem.'

347 *Vivam*] Qualis non est lapidum aut marmorum.

Serenam] Purgatam a superstitione et impietate.

Sensualem] Mundatam a sordibus et crimine.

Flabilem] Spiritualem, remotam ab umbris, et revera talem, qualem Deus in sua agnitione, inque fide et obedientia requirit. Ut enim in Mose offerebant ἄλογα, ita nunc se ipse quisque offerat, λογικὴν λατρείαν.

348 *Solvi incapacem*] Non loco movendam, fundamento solido nitentem.

Nec destructilem] In Deo certa fiducia constantem.

349 *Pulchram*] Fide, patientia, perseverantia.

Venustam] Vitæ integritate, bonis exemplis, intima dilectione, debita observantia.

Præminentem] Longe lateque perspicuam et notam. His autem epithetis comprehendit prolixe, quod Paulus brevissime ait, εὐάρεστον τῷ θεῷ. Nam Poëta pluribus verbis utitur tanquam παραφραστικὸς explicator.

350 *Discriminatis*] Non confusis, non aciem fugientibus. Ut suus cuique colori decor est: ita suum unaquæque virtus splendorem habet.

Illitam] Insignitam decore liberalitatis, charitatis, officiorum.

351 *Illic*] In tali templo, non ulli hominum, sed soli Deo servatori dicato.

Sacerdos] Intelligendus per Sacerdotem Dei Filius, agnus ille immaculatus, et pontifex sanctissimus, qui tollit peccata mundi.

352 *Foresque*] Fides videl. illa, quæ Filium Dei apprehendit, et aditum præbet ad limen summi illius sacerdotis, tenentis templi sacrarium. Illa fides est, quæ regia insigniri corona dicitur, et templi custos esse et servare aditum, et ad ipsum regem Deum accedendi habere potestatem. Ea sola victimas gratas et legitimas adducit, et eo modo adducit, qui verbo divino demonstratus est.

354 *Christo*] Omnino ad Patrem cœlestem, nisi per Christum, accedendi via nulla est.

355 *Candidatas*] Anniculas.

Simplices] Sine labe et vitio.

356 *Frontis*] Hæ victimæ Deo acceptæ sunt, si fide offerantur. Extra fidem Deo nullæ placent victimæ, neque preces; quales (ut est in litteris sacris) victimæ fuerunt, quas immolarunt Cain, Saulus, Achabus: quales preces sunt Pharisæi, apud Lucam: illos enim Deus rejicit manifeste, hunc Christus ore condemnat. Talia hodie sunt jejunia eorum, qui cibos tantum discernunt: tales disciplinæ religiosorum, quæ non sunt scientiæ, ut hic dicitur, sed hypocrisis et vanæ gloriæ: talia denique vota sunt omnium, qui castitatem vovent, nullam servant, neque doctrina sincera, neque vita pudica.

361 *Ex his*] Mentis fidelis et sanctæ.

Amœnus] Delectabilis, Deo gratus.

362 *Balsami*] Non quantum ad sensus pertinet, qualis fit e succis, lacrimis, arboribus: sed quantum pertinet ad judicium Dei, qui non secundum sensus, sed mandatum suum judicat. Ad odoramenta et medicinas balsamo, ture, croco nihil melius, nihil nobilius.

363 *Persicorum*] Regio Persarum suavissima et preciosa mittit odoramenta: quibus similia Ebræi conficiebant arte quadam; de qua aliquoties Moses loquitur.

365 *Dulce*] Notum genus orationis, Dulce, jucunde, eleganter, grate.

Prosperatum, mitigatum, reconciliatum.

366 *Hanc disciplinam*] Hunc Dei colendi modum, qui instar disciplinæ est, honestatis caussa: quod dicere gentiles de Cybelis, Bacchi, Veneris, et aliorum Deorum sacris et ceremoniis non possunt.

367 *Probatum*] Secundum publicam honestatem.

Sanctum] Secundum Dei obedientiam.

368 *Vigorem mentis*] Quia disciplina Christiana fit cum difficultate, et contumaci carnis rebellione.

369 *Acumen ignis*] Ipsius ingenii sagacitatem sic appellat.

Ad terram] Ad res terrenas, inanes, fluxas, commutabiles.

370 *Vim prudentiæ*] Intellectum vocat vim prudentiæ. Mores hominis Christiani non sunt feri, sed humiles: vita ejus non humana sapientia sed numine regitur cælesti.

371 *O mersa*] Demersa in limum. Exclamatio in errores et blasphemias gentiles, amplificata congerie, et congesta rerum earundem significatione.

372 *Carnulenta*] Carni dedita, sapientiæ cælestis inania.

Nationum] Τῶν ἐθνῶν, i. e. eorum populorum, qui de Deo non sunt instructi.

373 *Spissus*] Crassus, impudens.

Tenebrosum] Sine luce et scientia.

374 *Terris amicum*] Nihil curans superna.

Deditum cadaveri] Addictum corpori, quod maxime corruptioni obnoxium.

376 *Summus*] Maximus, et quo indignior esse nullus potest.

Ultima] Extrema, qua nulla potest excogitari stultior. Declarat in specie, quod summatim dixerat. Est Dei natura ingenita et immortalis, et omnis principii atque temporis expers: unde Dii esse non possunt, qui et nuptiis creati, et morte sublati sunt, ut Jupiter, Saturni filius, qui Deorum censetur princeps; et qui de incestu Venerem, Mercurium, Apollinem, de stupris alios multos sustulit: quos homines imperiti consecrarunt vel metu vel exemplo. Venus in patria seipsam prostituit; Mercurius furto nomen accepit; Apollo pecora in terris pavit; qui nec Dii fuerunt, nec infamia caruerunt apud homines. Itaque fuerunt furiosi, qui tales consecrarunt: dementes, qui Deos esse crediderunt.

378 *Spiritalem*] Cælestem, divinam, majestate plenam.

Terrulente] Terreum in morem, h. e. cogitationib. humanis, incertis opinionibus, levibus exemplis.

379 *Elementa*] Non enim homines mortales tantum in cælo locarunt, sed solem, lunam, cælum ipsum σὺν τῇ πάσῃ δυνάμει, ut in libris Regum legitur: item terram, aquas, ignem coluerunt: præterea res mutas et brutas: quæ nullæ esse possent, nunquam durarent, nisi a mente meliore essent conditæ, et ab eadem gubernatæ suum motum, ordinem, naturam tenerent. Addiderunt res ridiculas quoque: quod truncos et stipites arborum, quod superamenta et segmenta lignorum venerati sunt: quod porcos, arietes, boves, simulacris saxeis immolarunt: quod propter res inanimas et immobiles mactarunt animalia, et sanguinem pecorum effuderunt; quod lignis lapidibusve nomina divina imposuerunt, quæ a natura Dei hominumque plurimum discrepant: quod tumulos et urnas osculati, in quib. homines nefarii et Dii ficticii, imo potius adulterorum, furum, et aliorum improborum ossa et cineres conderentur: ut non sepulchra, sed potius morticinæ fuerint nominandæ.

381 *Deasciato*] Ascia Græcis ἀξίνη: inde deasciari est, ascia cædere et polire. Stipites ejusmodi delibratos et deascitatos, olim delubra dixerunt,

ut Sex. ait Pompeius.

Supplicare] Mascula vox est puellæ illius Romanæ, sive Agnetis, sive alterius, quæ ad Symphronium Urb. Pr. refertur; 'Quomodo possum idola muta et surda, sine anima et sensu, colere? aut ad injuriam summi Dei meam cervicem lapidibus aut stipitibus inclinare?'

382 *Verris*] Porcus immolabatur Diis multis. Ejusmodi porci non erant verres sed majales, aut (ut Varro appellat) nefrendes. Differt a verre majalis, ut ab ariete vervex; ab equo cantherius; ab hirco caper.

Scripta] Nominibus Deorum inscripta.

385 *Urnas*] I. e. cados osculari. Adhuc fit in Italia, ut tumbas Divorum superstitiose osculentur.

Reorum] Reorum ossa abjici solent. Erant morticinæ ejusmodi loca, in quibus cadavera projiciebantur, ut Romæ extra Esquilinum.

386 *Judex sæculi*] Aliud judicium mundi, aliud Ecclesiæ; aliud hominis, aliud Dei.

Tantum nefas] Quod detrahit Deo, et non juvat homines.

Fortibus] Propter fidem.

Liberis] Propter varietatem.

388 *Nil est*] Hominis maxima laus est, veracem esse; et Christiani maxima virtus, de vero non deflectere. Philemon ait, neque pictorem neque statuarium posse effingere κάλλος τοιοῦτον, οἷον ἡ ἀλήθει' ἔχει.

389 *Dei*] Tanta Christianorum constantia est, ut mortem non timeant; tanta fiducia, ut morti etiam imperent.

391 *Coquebat*] Animo agitabat, et premebat cum ingenti fastidio. Dicimus, 'cura coquit hominem,' et 'homo coquit iram,' metonymia inversa et retrograda.

Disserente] Acute et graviter disputante.

392 *Subdolam*] Dissimulatam, et ideo vehementiorem.

393 *Stomachatus*] Iracundia perturbatus.

Alto felle] Humor superfusus e felle, qui iram fecerat, bilis flava dicitur.

Longum silet] Non subito, nec expedite respondet.

394 *Bilemque*] Quasi superfluam materiam.

Tectis præcordiis] Pro, intestinis.

395 *Latentis*] Ideo dixit, 'Alto felle.'

Vim furoris] Iræ intemperiem.

Evomit] Egerit et rejicit, quod animo grave et molestum erat; similitudine ab eo morbo, quo bilis supra infraque ab homine erumpit, qui morbus intestinorum, ὀξύτατον κακὸν a medicis vocatur.

396 *Pro Jupiter*] Exclamatio in orationis principio indignationis est indicium. Amplificat præfectus facti audaciam, a locorum circumstantia; quod ante aras, contra religionem; ante statuas, contra Deos; in foro, contra Urbis præfectum, non solum oraverit, sed impune etiam utriusque partis contumelia peroraverit; non vindicantibus Diis, sedente se et tacente, et plaudente parte populi.

Quid est] Talis sermo tractus irato convenit, cum satis esset dicere, Quid ego audio?

398 *Quod fateri cogor*] Incusatio ipsius, qui tam attonitus tamque lentus sit, ut in Deos blasphemiam et convitia in magistratum æquo et patiente animo audierit.

In medio foro] In quo mihi jus dicere, et scelera vindicare, mandatum est.

400 *Quidquid sacrorum*] Poëtice, pro, omnia sacra, ut religionem Deorum, et leges principum.

401 *O fas*] Semper antiquitas habetur venerabilis, et quicquid comprobatum a vetustate est, id tollere aut violare, nefas putatur, τὸ παλαιὸν ἀξιωματικόν.

402 *Inventa regum*] Qualia sunt sacra, ritus, ceremoniæ, sacrificia, religionis jura.

Pro salute publica] Ad salutem communem tuendam.

Nostra] Illis longe dissimilia et auctoritate et prudentia.

404 *Hos sophistas*] Quasi dicat, hos perturbatores, *καὶ ζοφώδεις*. Nomen Sophistarum odiosum semper fuit, ut qui studerent vanitati, et auctores contentionum essent non necessariarum, et pecuniæ magis atque honorum, quam honestatis et veritatis studiosi. Novos autem sophistas evidenter dicit; quod sophistica velut hydra fecunda sit erroribus, et novi sophistæ cotidie oriantur.

406 *Nunc dogma*] Quod non potest obtinere veritate, vult obtinere tempore; et quod argumentis nequit evertere, irrisione rejicit.

407 *Mille*] Numerus certus pro incerto.

408 *Nestoras*] Nestor ante Romam conditam vixit, annis circiter ducentis et quadraginta.

409 *Quicquid novellum*] Infirma collectio. Christiana doctrina nova est, igitur mala. Loquitur ut imperitus, et ut miles: nec originem sciens religionis antiquissimæ, et ignarus ejus quam ipse colit, et colendam arbitratur.

410 *Summa rerum*] Prima mundi exordia. Pyrrha Thessalis post diluvium servata est, et per eam genus humanum propagatum fingitur. Fuit Promethei filia, Deucalionis uxor. Nota est ex Ovidio fabula.

411 *Ubi iste vester*] Loquitur ut profanus: sentit ut amens. Contra Imperator Assyrius apud Danielem recte fatetur, 'Dei potestatem esse potestatem immensam atque æternam.'

412 *Divum*] Martis et Veneris.

Favore] Quia in ripa fluvii expositus servatur.

Mavortius] Marte genitus, ut est in fabulis.

413 *Arcem sept.*] Romam intelligit, quam *ἑπτάλοφον* Græci, septimontium Latini appellarunt.

415 *Jovi*] 'Jovi Statori antiquissimo custodi hujus urbis.' Cic. in Cat. I.

416 *Sanctum ab ævo*] Perpetuo sacrosanctum. More hominum fit, ut res patrias defendant, et consuetudinem pro lege, ritus majorum pro religione amplectantur.

417 *Pro triumphis*] Pro victoria et felicitate, quam triumphus sequitur.

418 *Delubra*] Pro Diis. Sunt autem delubra e lignis deasciatis sacella, in quibus plures Dii sub uno coluntur tecto.

Secundet] Fortunet, amplificet.

Gloriam] Victoriam; consequens pro antecedente.

419 *Procinctus*] Expeditio, ab habitu militari.

420 *Quietum*] Qui antea ab hostibus perturbatus fuerat. Finis belli est quies publica.

Frenet] Utitur bono verbo. Ut enim equis indomitis frena injiciuntur; ita populis turbulentis bellum infertur, ut redigantur ad modestiam, et discant observantiam legum.

Legibus] Frena urbium sunt leges.

421 *Quisquis es*] Superbum hoc est, et de ignotis vulgo dicitur. Virg. 'Quisquis es, amissos hinc jam obliviscere Grajos.'

422 *Rite*] Nostris ceremoniis, sacris Romanis, non a te excogitatis, aut externis.

423 *Hostem publicum*] Hostes publici judicantur, et qui sacra contemnunt, et nulla de causa exagitant imperium.

425 *Sprevisse*] Sine religione nullum imperium stabile, princeps nullus est incolumis. Genus loquendi observandum. ponuntur enim infinitivi loco nominum. Nam sententia est: contemtus religionis est contemtus ipsius principis. 'Sprevisse templa, respuisse est principem.' Qui enim Deum non timent, nullum hominem

timent: ergo omnes hostes Dei solent esse hostes suorum principum, patrum præceptorum.

427 *Cohortibus*] Toto exercitu.

428 *Fidele*] Ut Sacramenti lex exigit, vel potius, ut fides Christiana requirit.

429 *Lymphis*] Baptismo, quo Christo renascimur et inserimur. Nascimur parentibus, cum in hanc lucem a malis mali, a perditis perditi edimur: talis enim est omnium hominum ortus, secundum Prophetam dicentem; 'In iniquitatibus conceptus sum, et in peccato peperit me mater mea.' Renascimur Patri cælesti, cum in baptismo per aquam et verbum regignimur, ut fiamus participes hæreditatis æternæ, et jus civitatis amissæ recipiamus, inserti Christo, Ecclesiæ, Cælo. Recipimus igitur in illa regenerationis lavatione maxima illa munera, reconciliationem cum Patre æterno, societatem cum Christo, et lumen Spiritus Sancti, et vitam demum æternam consequimur.

431 *Ut idolorum*] Templa ab idolis purganda ante omnia sunt; quia Deus idololatriam ferre non potest: tum cæcitas mentibus excutienda est, ut lucem doctrinæ capiant et admittant. Ea lux non natura aut conditione efficitur: sed immissa divinitus e puri pectoris fide, et e moribus homine Christiano dignis, apparet. Distinguit hoc loco intelligentiam sensuum ab intelligentia fidei: hæc enim apta sola est ad Deum videndum et cognoscendum, idque non aliqua perspicacia naturæ, non sensuum obtutu, sed Spiritus Sancti illustratione.

433 *Succulentis obtutibus*] Oculis humanis aut rationis lumine.

434 *Per fenestras*] Scite oculos 'corporis fenestras' appellat.

435 *Puris*] Fides hominum mentes sola purificat.

436 *Pupilla*] Unumquodque cognoscit sui simile. Deus a nobis ratione naturali non agnoscitur; igitur similis nostri non est.

Crassa] Sensus est: de rebus crassis et caducis caro crassa et caduca judicat: res divinæ acie mentis tantum, et fidei lumine intuendæ, hominum sensibus, et rationis acumine non pervestigantur.

438 *Liquidis*] Quales sunt res illæ lucidæ et cælestes, de agnitione Dei, de vero ejus cultu, de vita æterna.

439 *Ferventissimæ*] Deus specie ignis se monstrat Mosi, et toti populo in deserto. In columna ignis præcedit exercitum Israëliticum. In fulgore item ignis dat conspiciendum Spiritum Sanctum; unde hoc loco divinitatem ferventem nominat. Ita alibi: 'Sic ignis æternus Deus, Et Christus ignis verus est.'

440 *Capit*] Percipit, intelligit.

442 *Tuus*] Cujus tu nunc præfectus et vicarius es.

Meusque] Cui ego sum subditus.

Si velit] Fide et Professione Christiana.

443 *Nam si*] Talem, inquit, Imperatorem non agnoscimus, qui Christo adversatur: non ut rejiciamus ejus potentiam factis seditiosis, sed ejus auctoritatem ne curemus, Christo contraria imperantis. 'Oportet enim Deo magis obedire, quam hominibus,' doctrina et exemplo Apostolico. Veretur vir sanctus magis Christi judicis sententiam, quam tyranni furiosi teterrimos carnifices.

445 *Scelus jubenti*] Ἀξίωμα pio sacerdoti convenientissimum. Non recusat servitutem, sed servitutem sceleratam non vult subire: neque abjicit obedientiam, sed obedientiam detestatur impiam: neque imperium excutit, sed imperatorem aversatur Dei adversarium. Scelera jubentes reges multi etiam viri politici non audierunt, ut Papinianus Jureconsultus. Cosmæ Florentini ducis uxor patrium imperium neglexit.

446 *Statis*] Tyrannus a disputatione procedit ad supplicium, et in virum

innocentem dat injustam lictoribus potestatem.

Clamitans] Iracundiæ signum in judice, clamor et importunitas; a quibus effectibus abesse eum par est. Nec enim exsequi debet animi sui impetus; sed secundum legum normam æquitatis et justitiæ munus exercere.

447 *Statis*] Repetitio odiosa loquentis ad milites: 'Statis, ignavi?' Statis, inquit, audientes probra in præfectum, convicia in Imperatorem?

Manusque] Præfectus, dum milites objurgat, seipsum accusat: nec tam illorum reprehendenda est cessatio, quam judicis impotentis insania.

448 *Non rupta*] Inquirendo quasi in rimas agitis, excruciando particulatim animæ sedem scinditis.

449 *Rimamini*] Præscribit pœnam iracundus, quod viri improbi est: et pœnam non usitatam, quod tyranni.

451 *Scindunt*] Imago expressa tormenti horrendi, quo corpus diversimode laceratur, et impactis ungulis ipsa tentantur præcordia. Ita in Vincentio: 'Posthinc trisulcis ictibus Nudate costarum abdita.'

452 *Pensilis latus viri*] In catasta, quæ erat machina lignea ad torturas excogitata.

453 *Per artus*] In toto corpore nihil sanum aut integrum relinquunt. Vulnerant enim ungulis tractim, laniant oblique, secant transversim, donec cute, musculis, nervis, et viscere divulso, ossa et intestina conspiciantur.

456 *Nitendo*] Operi tristi incumbendo, tormenta sæva exequendo.

Anhelant] Quasi ademto et intercluso spiritu. Ita alibi: 'Nisusque anhelus solverat Fessos lacertorum toros.' Fatigantur lorarii, destituuntur viribus carnifices: sed nihil sentit fide martyr, animositate heros, virtute Spiritus Dei, vir Christianus: tyranno major, tortoribus valentior, pœnis excelsior, cruciatibus fidentior. In tormentis ejusmodi ita differunt Perillus et Romanus, ut fides Christiani et audacia improbi differunt. Ille enim inventi sui atrocis pœnas luit atroces merito; hic sui de Deo testimonii sustinet cruciatus immerito. Differunt item Anaxarchus et Romanus, ut homo liber, propter Filium Dei, et vir sapiens tyranno suo resistens: ille propriam quærit gloriam, ut constans habeatur: hic Filii Dei asserit meritum, ut sit Deo obediens. Discernenda pio judicio sunt exempla caussæ, conscientiæ, actiones, pœnæ, et exitus eorum, qui injuriam patiuntur.

457 *Quietus*] Animo tranquillus, conscientia alacris, insuperabilis fide.

Heros] Vere heros; in tormentis invictus; in supplicio indomitus.

458 *Audet loqui*] Inter cruciatus disputare, et inter tormenta nullum doloris sensum ostendere animi maximi est, et haud scio an alterius ullius, quam hominis Christiani.

460 *Lancinamur*] Lancinare est proprie, punctim rodere, ut muscæ solent canes, folia et plantas culices. Declarat, qui sit dolor Christianorum proprius; non ille corporis quidem, quem mortales omnes exhorrescunt, et ipsi itidem Christiani sentiunt, quatenus homines sunt, sed dolor ille immensus animi quo cæteros animadvertunt insipientes, cæcos, perditos: qui dolor non est cujusdam gloriæ aut æmulationis, qualis Socratis, cum illi venenum propinaretur, aut Zenonis Eleatis, cum pila saxea contunderetur: sed piis animis cœlitus immittitur, quo dolore et Stephanus orat pro inimicis, et nunc Romanus concionatur suis tortoribus: nempe quod errore occupati et tenebris ipsi aliquando sint pœnis maximis addicendi, non corporis, quæ finem habent; sed et corporis et animi, quæ nullis, ne æternitatis quidem,

temporibus terminabuntur. Terrere vult judicem iratum, qui non sibi solum accersit pœnas, sed universum simul populum in perniciem pertrahit.

461 *Error*] Ignoratio de Deo et de vita æterna.

Insidet] Quasi sede fixa non evellendus.

Populos] Plebem ignaram et simplicem.

464 *Gemenda corpora*] Recte corpora, quia serva peccati. Mancipia appellantur corpora, ut apud Ovid. 'Eversa corpora capta domo.' Recte etiam 'corpora gemenda,' quia nescia Dei et jam ad gehennam damnata.

465 *Crudum*] Cruentum et insolitum.

466 *Audite cuncti*] Concio Romani, quam non de suggestu, sed de catasta habet: in qua primum fatetur, Christum esse verum Deum et hominem: deinde disputat de qualitate tormentorum, et de fragilitate carnis humanæ: postea mortem ait esse spernendam, quasi naturalem et communem omnibus: postremo, se ipse solatur præmiis vitæ cælestis et dulcedine Angelicæ consuetudinis.

Clamo] Utitur repetitione per synonymiam, clamo, prædico, pronuncio, ad movendam attentionem, ut de catasta loquens, benignus audiatur.

467 *Celsior*] Quasi orator nobilis, de loco editiore. 'De catasta dicere,' quasi de loco et sermone inusitato, figuram proverbii habet.

468 *Christus paternæ*] Ex Epist. ad Coloss. εἰκὼν τοῦ θεοῦ ἀοράτου.

469 *Noster particeps*] Quia homo natus de virgine frater generis humani factus est.

471 *Animæ salutem*] Διακριτικῶς exponit, de qua salute sentiat, nempe de salute animæ. Nam in corpore, in fortunis, et in hoc orbe toto, nullam jam habebat is, qui hæc tam alta, tam incredibilia disserit.

Non occidit] Non adimitur, non perit: quia fides, ut anima, immortalis est.

472 *Juge*] Sine intermissione, sine termino.

Dispares] Vera fides luce perpetua resplendet, et Deo nos conciliat, et in cælum levat: fides simulata aut erronea gloria Christi spoliat, et pœnis infinitis addicit, et ad Inferos detrudit. Distinxit duas res maximas, salutem et fidem: ut de qua salute, et de qua fide intelligendum sit, dubitari non possit.

476 *Curanda*] Præmiorum ratio et exitus diversitas reputanda est.

477 *Perpetis subst.*] Definitio animæ, quæ est substantia perpetua, quæ cum corpore non cadit aut extinguitur, sed aut præmiis aut pœnis futuris, ævo nullo terminandis, reservatur.

480 *Instat ruina*] Epiphonema. Hæc piorum pia vox est, qui non amplius vivunt sibi, sed in quibus vivit jam Christus, quique mundo mortui, et quasi exuti corporibus, in Christo sunt, et vitam meliorem spe possident.

481 *Nec distat*] Nihil interest Christiano, morte naturali, an manu carnificis: igne an ferro, aut morbo aliquo intereat: imo morbi aliqui sunt ipsis tortorum cruciatibus non paulo sæviores: e quibus enumerat lateralem, febrilem, pustulosum, podagricum, articularem.

Ignis] Rogus ardens.

482 *Languor*] Diuturnæ pœnæ, morbus continuus.

483 *Armet*] Atrociores et magis dolorificos efficiat.

484 *Tanta vis*] Tanta vehementia. Pleuresis enim, seu ut Græci πλευρῖτις, dolorem vehementissime pungentem affert. Inde a sereno medico comparatur telo, et nunc evidentius mucroni, a Prudentio. Dira dicitur, quia morbus acutus et lethalis est.

485 *Pulsat*] Verbis utitur de morbo excruciante significantibus, fodit et pulsat.

486 *Laminis*] Laminas ardentes corporibus olim adhibuerunt.

487 *Atro felle*] Vulgus omnem calorem præter naturam nuncupat febrim, sed modo illam febrim intelligit quæ e bilis nimio fervore oritur, Græcis *καῦσος* vel *καύσων*.

Venas exedit] Quia calores vix tolerabiles excitat: ideo dicit, 'eam venas exedere, seu consumere.'

488 *Summa pellis*] Summam cutem, vel cutis superficiem, *τὴν ἐπιδερμίδα*.

Ignis obductus] Humorum intus inflammatio. Loquitur de eo morbo, qui cutem extendit aspredine vel pupularum, vel tuberculorum, qui morbus prurita esse solet plurimum molestus.

Coquit] Excruciat. Hoc verbo utitur, propter humorem sub cute incensum, qui erumpendo aut attollitur in papulis, aut dilatatur in pustulis, tam ferventis caliditatis, ut ignium modo artus exurat: unde 'fervor æstuosus' bona similitudine hic dicitur.

490 *Cauteribus*] Instrumentis medicis quibus aduruntur ulcera putrida aut maligna.

491 *Miserum*] Dolendum, execrandum. Imago crudelitatis, quæ exercebatur in Christianos, quibus in tergum manus ligabantur, extendebatur corpus, distrahebantur pedes, tota nervorum compago solvebatur: ad quem corporis miserrimum statum accedebant vulnera, dissectiones, lancinatio, ossium fractio, intestinorum apertio, fœda denique laterum, pectoris, artuum, pedum, et membrorum reliquorum dilaniatio.

492 *Extentus*] Ad augendam doloris magnitudinem. Dolor revera est dissolutio continua.

493 *Compago*] Tota structura corporis. Alibi: 'Compago donec ossium Divulsa membratim crepet.'

Nervis] Quorum sunt duo morbi sequentes, podagra et arthritis.

494 *Ejulantes*] Propter graves et continentes dolores.

Dividi] Quasi loco moveri et dislocari.

495 *Nodosa*] Quia cum callos, seu nodos (ut appellat Ovidius) habere incipit, et fit tumida, tum exigua recuperandæ spes est salutis. Ejus triginta species enumeravit Æsculapius.

499 *Viscus*] Quicquid est inter ossa et cutem viscus dicitur.

500 *Scalpella*] Respexit ad proverbium *πήματα τομῶντα*, de iis malis, quæ sectione egent, h. e. de extremis et desperatis.

Tingit] Imbuit, maculat.

503 *Non est amarum*] Possumus et hac sententia loco proverbii uti, de eo morbo, qui curationem quidem difficilem admittit, sed salubrem. Item de re quavis acerba, quam tamen fructus optatus consequitur.

504 *Artus tabidos*] Membra non sanabilia.

505 *Intus vividis*] Nempe menti et fidei. Quamvis enim laceratur corpus, mens tamen perstat integra: et ut membra distrahantur, non tamen fides adimitur: et ut interficiatur corpus, anima non interit.

506 *Quis nescit*] Docet asperam esse carni adhibendam medicinam, quæ multis modis contaminata, et multis affectibus pravis misera est: ideo re nulla melius curatur aut restituitur, quam cruce et afflictionibus.

507 *Contaminatæ*] Vitiosæ et inquinatæ.

Solubilis] Caducæ et mortalis.

508 *Sordet*] Corporis morbi et animum attingunt, atque contagione vicina corripiunt. Recenset carnis corruptelas ex actionibus: quales sunt, peccatum propter sordes, su-

perbia propter tumorem, mollicies propter voluptatem, fætor propter immundiciam, dolor propter impatientiam, ira propter furorem, libido propter luxuriam, invidia propter odium. Hæc vitia grandia caro ad animum transmittit, eumque quasi veneno tacito inficit atque corrumpit. Carnem vero tam corruptam et affectam nos etiam adulamur, dum ei præbemus instrumenta, propter quæ impensius et insolentius exultet ac lasciviat. Ut sunt, divitiæ, vestimenta, gemmæ, et alia, quæ ad corporis ornatum quæruntur: quorum parandorum caussa homines partim nocent sibi, faciendo sumptus nimios: partim incommodant aliis, mille technis decipiendo. Id omne fit, ut caro delitiis foveatur, et voluptates impensis comparatæ minus sint imitabiles: cujus luxus exempla proponit vix credibilia in Nomentano, Æsopo, Arriis, Serm. II. Horat.

510 *Felle*] Ita et Ovid. de invidia: 'Pectora felle virent.' Alexander Macedo (ut est apud Curtium) dixit, 'invidos esse sua ipsorum tormenta,' quia sibi ipsis consumunt (ut est in Græco epigrammate) *ὄμματα καὶ κραδίην*, et ut ait Satyricus, 'Invidia Siculi non invenere tyranni Majus tormentum.'

511 *Regestum*] Congestum, cumulatum.

512 *Illusa*] Varie texta, multipliciter ornata.

Gemma] Quorum precium nullo tempore vile est, quia e locis longinquis petuntur, et non nisi a regibus.

514 *Luxus*] Voluptas voracitate nutritur, ebrietate incenditur, ut hominem in omnia flagitia præcipitet. Vetat D. Paulus ad Rom. XIII. 'ne quis curam carnis agat, ad explendas cupiditates, neve vino quis inebrietur, in quo sit ἀσωτία,' ad Eph. v. Recenset panis saturitatem, h. e. voracitatem, inter Sodomæ peccata Ezechiel, et ista vitia extremis temporibus dominatura, sicut ante diluvium factum est, apud Matthæum et Lucam Christus servator affirmat. Istam nunc intemperantiam significanter Poëta exprimit, arvinæ nomine, quæ est pinguedo cutis nitida, qualis in bene pastis pecoribus et in iis hominibus apparet, quibus, ne diffluant aut putrescant otio et voluptatibus, ipsa anima, quasi porcis, pro sale est.

516 *Medere*] Medicina carnis luxuriantis est afflictio.

517 *Fomitem*] Materiam et irritamentum.

518 *Resecto*] Sublato squallore.

519 *Dolore*] Ægritudine et cruciatu.

520 *Tyrannus*] Qui in corpus tantum habet potestatem, animo nocere aut obesse non potest.

521 *Nec terrearis*] Alloquitur populum Romanus, pœnarum crudelitate stupidum, admonens ne formidet aut expavescat. Id solum martyrio amittunt Christiani, quod paulo post morte amissuri essent: quæ mors summis et infimis, nobili et obscuro, splendidis et vilissimis est expectanda. Caro martyris, quæ laceratur in vivente, mox putrescit in defuncto: nec refert, utrum dissipetur discerpta, an consumatur sepulchro condita. Animose igitur et vere, 'Hoc perdo solum, quod peribit omnibus.'

523 *Clienti*] Subdito, quod ad tutelam et defensionem.

Paup. et di.] Quod ad facultates et copias.

524 *Vernularum*] Quod ad statum et conditionem. Conjungit, quæ hominum opinione optima aut pessima habentur. Quid enim rege altius, subdito humilius? quid divite honoratius, mendico despectius? quid Senatore dignius, vernula miserius? In morte tamen pares sunt universi. Unde et Tragicus de Hercule, 'Jacet omnibus par, Quem parem tellus genuit Tonanti.'

526 *Mordet*] Magno doloris sensu

afficit, sumta a bestiis rabiosis metaphora. Reprehendit incredulitatem carnis nostræ, quæ terrena et fluxa amans, cælestia æternaque nec satis intelligit, nec avide appetit. Vitam deponere necesse habent omnes, qui Solem intuentur: eandem pro Christo negligere verentur omnes et exhorrescunt. Itaque hortatur, ut, quod necessitas cogit, id faciamus sponte: quod natura jubet, id gloriæ impendamus. Quod legis pœna subire exigit, nempe mortem, ex eo præmium quæramus, vitam gloriosam. In præmio pulchre immoratur, et, quale sit, expresse definit; pauci enim homines id norunt, et qui norunt aut retrahuntur imbecillitate aut tardantur inertia.

528 *Necesse est*] Lege naturæ necesse est mori, ut docent Philosophi: pœna peccati, ut rectius Theologi.

529 *Natura*] Loquitur admirantis animo, quia hoc præstari a natura non potest. Munus Spiritus Dei est, si quis mortem judicat esse gloriam, martyrium coronam. Justin. Martyr. ad Romanos: 'Non potentiores nobis essent injusti homines simul et Diaboli, nisi quilibet, qui ortus est homo, mortis etiam debito esset implicatus; id igitur debitum nos persolventes, gratias agimus, et' (ut nunc addit Prudentius) 'gloriæ ac præmii loco esse existimamus.' Eadem sententia idem Justinus utitur ad Pium Imperatorem.

530 *Legale*] Pœnam per legem impositam.

Deputemus] Ut inter præmia habeamus.

531 *Præmiorum*] Quam sint excellentia, suo splendore: et quam nunquam desitura, promissionibus Dei.

Fortibus] Pro Christi nomine mortuis.

532 *Nunquam perit*] Immortalis et æterna est.

533 *Cœlo*] Anima nostra, uti divina est, et originem cælestem habet, ita in cælum redibit, nulli amplius fragilitati aut servituti obnoxia; perfruetur enim conspectu Patris omnipotentis, et cum Christo regnabit sæculis infinitis. Nam dissolutis elementis, montibus corruentibus, subverso mundo, cum corpore rursus conjungetur, et cum Deo ejusque Angelis amore incorrupto et amplexu dulcissimo copulabitur; quod præmium quantum sit futurum, nec mens videt, nec ratio intelligit, nec ullus sensus adhuc percipit.

536 *Quandoque*] Quandocunque. Quod Deus apud Isaiam dicit de Idumæis, et eorum mœstissimo interitu, id nunc ad mundi exitum transfertur; nam et cœlum crepabit, et liquescent elementa; sed Deo permanente et ejus Angelis, ruina mundi erit piorum liberatio, et nostra sepulchra erunt janua et aditus ad præmia cælestia.

537 *Rotati*] In orbem acti. De Verbis Esaiæ et Christi apud Marcum decimotertio capit. dicuntur: 'Sol obtenebrabitur, et Luna non dabit splendorem suum, et stellæ cæli decident, et virtutes cælorum movebuntur.' Nam quod Babyloni accidit, ut periret, quod Judæis, ut everterentur, id demum toti orbi terrarum completis flagitiis eventurum est.

538 *Sphæram*] Quæ cursum spacio menstruo conficit. 'Cælum et terra peritura,' testatur Christus in Evangelistis tribus, et Johannes in Apoc.

539 *Justi*] Justi, inquam, ii, de quibus Isaias, 'Scientia sui justificabit multos justus servus meus,' cap. LII. Item Paulus, 'per obedientiam unius justi constituuntur justi multi,' ad Rom. v.

541 *Contemne*] Conclusio, in qua supplicii sui Spectatores admonet, ne nimis cupiant quæ caduca sunt, neve res momentaneas æternis anteponant. Recte sane ille: τῷ θανάτῳ πάντες

ὀφειλόμεθα, nam corpus nostrum capsæ (ut dicitur) porrigetur, ac demum sepulchro claudetur. Ideo studendum est, ne viventes de salute acquirenda simus negligentiores.

Prudens] Vere prudens est, qui non solum agit curam vitæ mortalis, verum etiam qui sollicitus est de perpetua.

542 *Terminandum*] Quia finitur.

Relinquendum] Quia non sequitur.

543 *Rem sepulchri*] Corporis post mortem dignitas est, si efferatur honorifice, et condatur splendide: si in funere deducendo occupati sint designatores, in sepulchro faciendo elaborent artifices: sed et illa pompa, et hæc monumenta, ad tempus valde exiguum durant, et sæpe indignissimis et impiissimis contingunt.

545 *Qui sis*] Quam incertus vitæ, quam multis miseriis expositus. Conditus enim ad vitam beatam es, sed ea excidisti, astu et malicia diaboli; quam tamen tibi reparavit Filius Dei: cujus certa spe dum teneris, vince mundum et sæculum, illius videl. favore et bonitate, qui dicit Joh. XVI. 'In mundo compressionem habetis, sed confidite, ego vici mundum.'

546 *Peregerat*] Finierat.

547 *Furens*] Habitum orationis hoc verbo ostendit.

Interserit] Interloquitur. Verba serere plerunque temeritatis est.

549 *In os loquentis*] Præfectus, facto offensus, primum sæviit in totum corpus: nunc commotus sermonibus, in hominis faciem et os sævit. Inter nova et repetita supplicia, magna fides et constantia sancti apparet.

552 *Scaturientis*] Quia ex iis nascitur et quasi derivatur loquela.

554 *Nulla lex*] Nulla Deorum aut hominum reverentia, quia nec minis, nec auctoritate movetur loquax iste, ut taceat.

557 *Charassat*] Lacerat, a Græco χαράσσω, a quo nostrum vernaculum kratzen.

Ungulis] Recenset partes corporis, ne qua integra maneat, nempe faciem, os, genas, maxillas, mentum.

560 *Vultus*] Vultus pro facie. Vultus, secundum affectum animi, mutari solet: facies potest etiam scindi et lacerari.

563 *Quod multa*] Tyranni immane supplicium sibi esse suave solatium ostendit. Vulnera in facie vocat ora, quibus possit jam pluribus uti ad laudem Dei, cum uno tantum ore prius locutus sit. Hæ cogitationes verbis explicari satis nequeunt, sed mente perpendendæ sunt, quam ex animo ardenti sint profectæ. Amor Dei plagas tyranni non sentit, et plagas corporis non curat, dum animus ad Deum erectus est.

564 *Artabat*] Inhibebat spacio et angustiis.

Ampli nominis] Quod dici satis ore uno non potest, nec uno meatu satis proferri. In pœna martyr gaudet, in cruciatu exultat; pœnam enim novit esse caussam præconii, et mortem credit initium esse vitæ sanctioris.

570 *Tot ecce*] Fidei hæc vox est, contra tyrannorum sæviciam, qui putant, corpore lacerato, animum quoque, erga Deum affectum pientissime, posse diminui. Tale spectaculum in homine credente Angeli mirantur: et talis in animo vis excitata a Spiritu Sancto vincit omnem humanam cogitationem, excellit omnem sapientiam.

571 *Tali*] Terret et expugnat constantia sola tyrannos.

572 *Pœnam præcipit*] Homines pœnam inferentes, figura poëtica: vel vetere verbo juris pœnam ipsos carnifices nominat.

573 *Per solis*] Gentilis hominis vanum jusjurandum, qui elementa novit, et conditorem ignorat: qui jurat per superos, et cæli Dominum injuria afficit.

Qui nostros dies] Sol temporum mensura, meta dierum, tenebrarum arbiter.

574 *Reciprocatis*] Sæpius conversis, non solum cursu proprio et annuo; sed illo etiam rapaci et diurno.

Administrat circulis] Unde κυκλοέλικτος ἥλιος ab Orpheo.

575 *Cujus recursu*] Nam (ut idem ait) κόσμου τὸν ἐναρμόνιον δρόμον ἕλκων.

Ducitur] Distribuitur, distermina-tur.

577 *Fine digno*] Exitu merito, cruciatu debito.

Devoret] Consumat et annihilet. Bona metaphora a brutis rabiosis ad ignem consumentem.

579 *Sacris vetustis*] Excusat idololatriam tempore et antiquitate.

Spiculis] Tormentis, quæ fiunt per spicula: antecedens pro consequente.

580 *Fatiscit*] Fatigatum cedit, dissolutum frangitur. Tyrannus se victum fatetur cum magna admiratione, et tamen humilitate atque cruce Christi vehementer offenditur.

581 *Stupor*] Falso nomine, propositum animi certum, quod est in fidei constantia, stuporem nominat, et obstinaciam: unde patet, quod de Christo, de fide, de suppliciis martyrum, nemo recte judicet extra Ecclesiam.

582 *Mens obstinata est*] Habet speciem proverbii, de homine immoto; cujus et animus mente et corpus sensu caret.

583 *Novelli*] Res novæ et insolitæ prudentibus sunt suspectæ: sed in errore versatur præfectus, propter imperitiam.

Regnat furor] Postquam objurgavit martyrem, nunc invehitur in doctrinam, et ejus auctorem propter quam homines tot, et tanta ferant. Doctrinam appellat furorem, quia sit inusitata et nova: Christum, Deum afflictum et impotentem, quia se vindicare a violentia, et liberare a supplicio ipse non potuit. Hæc est sapientia τῶν ἀλιτρῶν, perpetuo pugnans cum Christo, ejusque factis et verbo.

584 *Haud olim fuit*] Quia conspectus hominum oculis non est Christus, ideo fuisse eum negat: et quia morte sublatus est, ideo esse eum amplius non posse censet. Carnis sapientia, cum extra Dei verbum de Deo aut loquitur aut judicat, aliter sentire nequit. Est autem infirmissimum hoc: Christus non videtur, ergo non est: aut, Christus ignotus est, ergo non est.

586 *Hæc illa crux*] In prima hujus concionis parte Romanus docet de salute nostra per Christum acquirenda: deinde probat, quæ et sunt et videntur hominibus admiranda, nempe Christum esse Deum et hominem, verumque Redemtorem, qui mortuus sit, et qui resurrexerit: in morte Deum ostendens, in resurrectione hominem relinquens, ubique Deus verus, nullibi disjunctus, Patri æqualis, glorificatus homo, ut Patrem cum homine rursus conjungeret, et terrena cælestibus sociaret. Post hæc refutat antiquitatem religionis Romanæ et Cretensis. Nam ante Romulum et Jovem, et ante lupas et capras illorum altrices, multis sæculis religio fundata fuit. Tum probare contendit, non solum religionem cum mundo ortam, sed et Christi crucem cum mundi initiis præfiguratam, et agnum a mundi primordio occisum (ut Johan. loquitur) prædictum a Prophetis, et visum in mundo Patriarchis. Mortuum deinceps et resuscitatum, ut per fidem corpus quoque clarum et immortale fiat; quem locum suæ confessionis excellenter concludit: 'Nobis peremptus Christus,' &c. de cujus essentia et persona, morte et vita, bonitate et merito, rectissime sentit, et divine loquitur. 'Hæc illa,' αὕτη ἐκείνη, dicit signanter, quasi dicat, hæc illa, et nulla alia. Per crucem non intelligit lignum, sed victimam in eo oblatam. Christi enim mors sola, salus omnium est, et singulorum redemtio, pertinetque et ad universam Ecclesiam, et ad uniuscujusque singulatim personam. Martyr verbis brevibus

doctrinæ Propheticæ, et Apostolicæ interpres est. Isaias LIII. 'Ipse vulneratus propter iniquitatem nostram.' Paul. ad Galat. VI. 'Absit mihi ut glorier, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi.'

588 *Sacramenti*] Doctrinæ hujus abstrusæ et cælestis.

589 *Cæcis*] Ea, quæ Dei sunt, sensibus non percipiuntur. 'Caro non percipit ea, quæ sunt Spiritus,' ut ait Nicodemo Christus.

Mysterium] Hoc nomen et doctrinæ et Christo tribuunt Apostoli.

590 *Nil*] Ex Johanne sumtum, qui inquit: 'In mundum lux venit, et tenebræ eam non comprehenderunt.' Possumus eodem latius uti, 'Nil diurnum nox capit,' cum de homine aliquo perito loquimur: aut de re agimus non cujusvis intelligentiæ obvia.

591 *Tenebris*] Ignorationi, cæcitati. Facem tenebris præferre, proverbiale est.

Claram] Certam et splendentem. Clara femina apud Jureconsultos nobilis dicitur: et proprie senatori nupta. Clara lux, quæ passim conspicua est, nec impediri potest, ut siderum et solis.

592 *Sanus*] Qui credit, statim intelliget; ita Nebrissensis exponit: nec aliter hunc locum citat Prosper Aquitanicus, qui solet Græcorum septuaginta translationem sequi.

Lippus] Qui vitio aut morbo lucis splendorem non fert.

Obteget] Quia lumine offenderetur.

593 *Removete*] Invitos sanare nemo potest, nemo curare debet.

Insanabilis] In cæcitate pertinax. De Deo non possunt instrui omnes homines, quia fides solius Dei opus est, ut divus Paulus testatur.

594 *Injuriosa*] Cæco de coloribus dicere injuria est: nihil videnti lumen præferre, insania. Referri ad eos quoque hæc sententia potest, quos docere difficile est, quod parum valeant intelligentia.

Claritas] Aut luminis aut diei splendor.

595 *Profane*] Profani sunt, qui nihil de Deo sentiunt: hæretici, qui male. Profanos comparare possumus cæcis, hæreticos lippis aut luscíosis, ut hoc in loco poëta.

596 *Regem*] Hæc est æterna illa lux, hæc illa cælorum claritas, nempe Deum esse Patrem æternum, qui de se coæternum genuit Filium, non priorem tempore, nec inferiorem potestate: sed æquali virtute et gloria, principium et originem rerum omnium.

Perennem] Eadem infinitate, luce, majestate, potentia præditum.

600 *Ex Patre*] Alia persona est Patris, alia Filii, relatione et officio: sed essentia et divinitate, idem est Pater, quod Filius.

601 *Hic se*] Distinguitur Filius a Patre, quod carnem assumserit, et sit factus visibilis: cum Patrem nemo viderit, nec se videndum ulli præbuerit, nisi in Filio, dicente ad Philippum Christo, 'Qui videt me, videt et Patrem meum.' Christus autem hominem induit, et Deus mansit; immortalis ipse, mortalis factus est: Crucifixus est, et revixit, ut sua nos humanitate susciperet, sua morte vivificaret, sua resurrectione ad cælum transferret. Est igitur in persona Christi, Deus et homo, vita et mors, opprobrium et gloria.

602 *Caducum*] Membra morti obnoxia, ut alibi loquitur.

Portat] Nostram enim carnem bajulavit, jacens in cunis, et in populo versatus, ultra annos tres et triginta.

604 *Nostrum*] Sc. corpus, quod mortale est: item animus, qui peccato damnatus fuit. Homo resurget ad vitam cælestem, corpore et animo, sicuti Christus corpore et animo resurrexit.

605 *Homo*] Quod ad naturam caducam.

Deus] Cujus natura minui aut extingui nequit.

606 *Congressa*] Ovid. Met. XII. 'Congreditur cygno.'

Membra] Corporis humani.

607 *Tentat*] Suscipit et tenet.

608 *Stultum*] Occurrit objectioni, quia hoc nemo per se comprehendit, Sophistæ etiam irrident, qui sibi usurpant sapientiam rerum divinarum plane rudes et sæculo tantum immersi. Prudentius alibi: 'Idcirco mundi stulta delegit Deus, Ut concidant sophistica: Deque imbecillis subjugavit fortia, Simplex ut esset credere.'

610 *Prudens*] Ut ea intelligeret, quæ nemo sapiens assequeretur. Eodem modo ait David, 'se suis doctoribus et multis senibus esse prudentiorem,' non ea prudentia, qua effertur mundus; sed quæ est in cognitione bonitatis et clementiæ divinæ.

611 *Antiquitatem*] Contra eos loquitur, qui putant religionem colendam opinione, et probandam tempore. Romanorum religionem ait esse fabulosam et recentem. Fabulæ sunt, Romulum natum, e Marte, altum a bestia, regno confirmatum ab avibus. Tempore prior est religio Cretensium, quia capella Amalthea antiquior et lupa Latina, quæ beluæ Jovem et Quirinum feruntur lactasse: illum expositum in antro Dictæo, hunc repertum in ripa Tiberina. Refellit hunc ortum, tanquam naturæ repugnantem et rationi, Cicero, cum inquit, de Nat. D. I. 'Dii semper fuerunt, nati nunquam sunt æterni futuri.'

Mavortiam] Lupus in tutela Martis habitus, et currum ejus lupi trahere finguntur.

612 *Omen*] Notum e Dionysio et Livio est, de captato augurio urbis nominandæ, utrum a Romulo an a Remo appellationem acciperet: nonnullis etiam videtur ab illis avibus dictum fuisse montem Aventinum.

613 *Res*] Imperium Romanum ultimum est, quod Macedonicum, Persicum, et Assyrium antecessit. In singulis propria quædam et singularis religio fuit, et inter has Romana recentissima. In illis tamen imperiis aliquod Ecclesiæ veræ domicilium inter miras profanitates semper fuit.

614 *Ætatulam*] Respectu longiorum temporum.

615 *Conditore*] A Romulo usque ad ætatem Theodosii Imp. qua vixit Poëta noster, anni sunt circiter mille et ducenti.

616 *Sexcenta*] Plurima; numerus certus pro quolibet. Plaut. in Aulul. 'Sexcenta sunt, quæ memorem, si sit otium.'

618 *Capellam*] Ridicule hoc dicitur; quia Jupiter a capra altus fingitur in Creta insula, cujus oppidum Gnossus est. Negat totum hoc verum esse, neque Deos esse Jovem aut Martem, et jam illos amplius nullos esse. Quod originem habet, et finem, divinum non est, neque perpetuum, ipsorum philosophorum sententiis. Fatetur Plato, 'Deum esse mentem æternam:' definit Aristoteles, 'Deum esse substantiam sempiternam, incorpoream, non dividendam, et ab omnibus sensibilibus separatam.' Hoc de Jove et Marte mendaciter narratur, quorum parentes nominantur, et loca, in quibus nati sunt, et nutrices, et facta, et scelera ejusmodi, quæ ne ab Ethnicis quidem probantur. Vere igitur jam non sunt, quia extincti sunt: nec erunt olim, quia tales nunquam fuerunt.

621 *Crux*] Antiquitatem religionis astruit hic vir eximius, et quia inter manus lictorum versatur, de Cruce Christi primum loquitur, in quo spem suam collocabat, et sustinebat tormenta nulli sustinenda absque Deo.

622 *Factus*] Formatus atque conditus in paradiso.

623 *Expressa signis*] Ut victimis

pecudum, per Abelem mactatis, quæ signa erant mactandi Christi. Gen. IV.

Expedita literis] Nam de serpente dictum, 'qui sit petiturus calcaneum mulieris,' et peremturus filium virginis. Igitur cum ipsius mundi fundamentis originem cœpit sacra nostra religio, quæ est antiquissima et verissima.

624 *Adventus*] In Christum promissum semper respexit Ecclesia, quem nunc exhibitum digne celebrat.

Mille per mirac.] Filius Dei, promissus patribus, præsens Ecclesiæ semper fuit, neque solum Ecclesiæ, sed singulis piis hominibus. Ut Noæ in arca, Lotho in Sodomis, populo universo in mari, Josuæ in præliis, Patriarchis in regnis barbaris, Josepho in carcere, Jonæ in ventre balenæ, populo exuli in Babylone, adolescentibus in camino ardente, Danieli inter leones, aliis item locis atque temporibus, hominibus multis. Lege cap. x. lib. Sapientiæ.

625 *Ore vatum*] Quod vates unanimiter, David præsertim et Isaias prædixerunt, id voce Angelorum, et scriptis Evangelistarum postea inclaruit, qui prophetarum testimonia in re tam grandi et inaudita, summo studio, adduxerunt, ut Dei invicta constaret veritas.

626 *Reges*] Paulinus ad Desiderium; 'Christus' (inquit) 'in Patriarchis figuratur, in Prophetis loquitur, in Apostolis operatur, et omnia in omnibus adimplet.' Zonaras scribit, cum Jacobus patriarcha filiis Josephi manus decussatim imponeret, jam tum præfiguratum (ut ipse loquitur) τὸν σταυρὸν τὸν σωτήριον. Aiunt alii similiter expansis ante Deum brachiis jacentem in terra Mosen Crucis effigiem prænotasse. Tertullianus canit de Gideone: 'Hoc signo prædonum stravit acervos, Congressos populo Christi.' Quod autem ille de Gideone scribit, qui Midianitas per Christum vicerit, idem tradit de Abrahamo victore Paulinus ad Sulpitium. 'Ille' (inquit) 'non legionum virtute, nec multitudine, sed jam tunc sacramento Crucis (cujus figura per literam Græcam T numero trecentorum exprimitur) principes adversarios debellavit: cujus mysterii virtute, trecentis in longum texta cubitis, superavit Arca diluvium.' Minucius Felix de eadem figura crucis sic scribit; 'Signum sane crucis naturaliter videmus in navi, cum velis tumentibus vehitur, et expansis palmulis labitur. Et cum erigitur jugum, Crucis signum est. Et cum homo porrectis manibus Deum mente pura veneratur.' Expressissima imago crucis fuit serpens erectus in deserto, quem Christus Nicodemo interpretatur. Itaque crux denotata et quasi depicta fuit, antequam qualis esse sciretur. Repetenda nunc prior admonitio est, per crucem non intelligi lignum aut formam, sed eum, qui in cruce λύτρον factus est, Dei Filius, Dominus noster Jesus Christus pro nobis crucifixus et mortuus, qui eandem suis discipulis, suisque imitatoribus mandato imposuit, non utique ligneam intelligens, sed suæ miseriæ atque afflictionis similem. Unde præclare idem Minucius: 'Cruces nec colimus nec optamus. Vos, qui Deos ligneos consecratis, cruces ligneas, ut Deorum vestrorum partes, adoratis.'

627 *Virtute*] Ut de Gideone et Abrahamo dictum est.

Cultibus] Ut in sacrificiis et cæremoniis apparuit.

Stilo] Scriptis expressis, aut quibusdam imaginibus, et quasi notis apertis monstrata.

628 *Hanc formam*] Tacitis quibusdam signis et veluti picturis.

630 *Crucem*] Fide nimirum in eum, qui esset in cruce sanguinem effusurus. Crucem, i. e. effusum in cruce

sanguinem, per metonymiam.

681 *Retectis*] Impletis et patefactis prophetarum vaticiniis.

683 *Coram*] Testes oculati sunt, qui quod viderunt, comprobant, ne quid dubii in animis credentium relinquatur. Proverbialis sententia est, 'Teste visu patet veritas.' Quod enim oculis objicitur aut alii sensui, id indubitate credi et teneri manifeste potest.

684 *Ne fluctuaret*] Utitur verbo Paulino ad Ephes. Ἵνα μηκέτι ὦμεν νήπιοι κλυδωνιζόμενοι, καὶ περιφερόμενοι παντὶ ἀνέμῳ.

686 *Hinc nos*] Non solum exornat veritatis testimonium vir sanctus, sed addit suæ conscientiæ solatium, instruens nos e doctrina Apostoli, de fructu passionis Christi, nempe quod, ut Christus in morte atque sepulchro non mansit, sed corpus suum pariter extulit, et ad dextram Patris collocavit, ita et nobis viam resurgendi patefecit, ut corpus aliquando nostrum in membra sua omnia rediret, et integrum incorruptumque ante tribunal Christi sisteretur. Tractat hunc locum Paulus ad Corinth. I. 15.

641 *Crux illa*] Spiritu loquitur Apostolico, dum sibi mortem Christi accommodat, dum sua caussa suspensum in ligno sibi mortuum et resuscitatum asserit: plena certus fiducia, Christi Crucem suam esse vitam; Christi meritum, suam salutem. Divine præterea dicit, illum, qui in cruce pependerit, qui mortuus sit et revixerit, unum fuisse Christum verum Deum, verumque hominem, 'qui moriendo mortem destruxit, et resurgendo vitam reparavit,' ut canit Ecclesia.

644 *Moritur*] Hoc quoque dicit more Paulino.

645 *Redit*] Eodem modo Prosper: 'Factum est æternum, quod fuit occiduum.'

646 *De mysticis*] Tota doctrina de Christo mysterium est. Nam quæ de fide in Christum, h. e. de nostra salute dicuntur; item quæ de spe vitæ æternæ, h. e. de gloria nostra; ea ratio nescit, caro negat, mundus vituperat, diabolus e cordibus cupit evellere.

648 *Margaritas*] A porcis abstinuerunt Ægyptii, quod carnem voraret humanam: nec attigerunt Indi, quod Salamandra vesceretur; unde carnes ipsius fierent venenatæ. Homo crassus παχὺς ὗς appellatur a Menandro.

651 *Sed quia*] Usus hactenus est ejusmodi probandi genere, quod ratione constat; estque firmissimum propter divina Patriarcharum, Prophetarum, et Apostolorum testimonia: nunc arripit aliud magis appositum ad vulgus, quod experientia sensuum constat, et de quo pueri quoque judicare possunt, h. e. omnes, qui sensu valent communi.

Profunda ratione] Argumentis certis, quæ propter auctoritatum cælestem non fallunt.

652 *Proxima*] Quæ sunt ante oculos, et quæ sensibus comprehenduntur.

653 *Ipsa naturalium*] Erudite circumscribit experientiam, quæ est scientia sensuum naturalis: vel secundum Aristotelem, rerum singularium cognitio. Poëta Græcus, ἐμπειρία γὰρ τῆς ἀπειρίας κρατεῖ.

Simplex] Perspicua.

Sine arte] Nativa.

655 *Imperitus fuci*] Fallaciæ inscius, sophisticæ expers, quæ recte fucus tanquam fictus color vocatur.

Arbiter] Qui litem dirimat.

657 *Qui sit favoris liber*] Qui nemini loquatur ad gratiam, neminem oderit. Duo maxime obstant judiciis, amor et inimicitiæ.

658 *Mentis in vitium*] Quod obstare posset veritati, ut ambitio, livor, cupiditas, avaritia.

659 *Periclitemur*] Experiamur, periculum faciamus.

Recens infantia] Per infantiam in-

telligit ætatem rudem: per vigorem, ipsam ingenii indolem, quæ est prudentiæ iudicium.

660 *Dicat*] Quod fit pronunciando.

Sapiat] Quod intelligendo.

661 *Libens*] Non tam audire cupit vera, quam cernere mirabilia: ut solent tyranni, quod et in Herode docet historia Evangelica, qui miraculum a Christo expetebat, non veritatis aut doctrinæ caussa, sed novitatis et libidinis.

662 *De caterva infantium*] De confusa et promiscua circumstantium multitudine.

663 *Nec olim*] Non ita pridem.

665 *Pusio*] Parvus puer dicitur lingua antiqua. Apud Ciceronem Socrates pusionem quendam interrogat.

670 *Mille formarum*] Ποικιλομόρφους, πολυμόρφους. Prosper: 'Ille per innumeros vultus, et mille per aras, Barbatos lævesque Deos, juvenesque senesque, Ut quondam fecere, colens.' Dii gentiles specie variarum bestiarum culti sunt quadrupedum et repentium. Alii ut senes et barbati, alii ut pueri et investes. Nonnulli mutilati et loripedes: aut gemino vultu. Item alii nimbo illustres, alii cornibus horridi, alii facie ardentes. Alii volarunt, alii natarunt; quidam virorum, quidam feminarum specie, quidam naturæ ambiguæ. Habitarunt alii montes et silvas, alii cloacas et paludes: nonnulli superis, nonnulli inferis timendi. Iidem venantur, pugnant, vulnerantur. Inter eos fuerunt amatores, servi, saltatores, milites, pastores, fures, adulteri, parricidæ. Denique tam varii, tam monstrosi, tam fatui, ut nominari sine risu nequeant, 'Quos fecere Deos dicata templa, Tus, sal, far, mola, vel superfluarum Consecratio cæremoniarum,' ut Sidonius canit. 'Quid formæ ipsæ Deorum, et habitus?' (inquit Minucius) 'nonne arguunt ludibria et dedecora Deorum vestrorum? Vulcanus claudus, et debilis; Apollo tot ætatibus lævis, Æsculapius bene barbatus, etsi semper adolescentis Apollinis filius: Neptunus glaucis oculis, Minerva cæsiis, bubulis Juno: pedibus Mercurius alatis, Pan ungulatis, Saturnus impeditis: Janus frontes duas gestat, quasi et aversus incedat. Diana Ilithya est alte succincta venatrix, et Ephesia mammis multis et verubus extructa, Trivia trinis capitibus et multis manibus horrifica. Quid ipse Jupiter vester? modo imberbis statuitur, modo barbatus locatur. Cum Hammon dicitur, habet cornua: cum Capitolinus, tunc gerit fulmina: cum Latiaris, cruore perfunditur: Cum Feretrius, non auditur: et ne longius multos Joves obeam; tot sunt Jovis monstra, quot nomina.' Hæc cum venuste dicta sint, tam prolixe ascribere non piguit. Ista autem Deorum monstra dicuntur, ut monstrum hominis dixit Terentius.

671 *Nec moratus*] Sine mora respondit.

672 *Quod ferunt*] De hac materia illa alibi Prudentius: 'Nos plenum sine patre Deum testamur et unum, In quo Christus inest: idem quoque plenus et unus, Qui viget et viguit super omnia, quique vigebit.' Et quæ sequuntur in initio Hamartigeniæ. Orosius ad Divum Augustinum; 'De uno Deo omnium pene una opinio est; ab ipso audias, ipsique Deo credas, quod verum velis scire de Deo.' Homerus, qui Deos multos finxit, narrat perpetuas inter ipsos contentiones, et non raro sæva prælia. De cœlo præcipitatur Vulcanus, pellitur in exilium Apollo, relegatur in silvas Diana, vincitur a duobus fratribus Mars, in fugam totum cœlum conjicit Briareus, et figmenta multa similia.

675 *Genera*] Ἐπιφώνημα ἐμπειρικόν.

676 *Stupuit*] Tyrannus stupet, quia victus a puero: fluctuat, quia vim

legis exequendæ honestam in tali ætate non invenit: pudore suffunditur, respondere enim nihil potest: iracundia æstuat, quia punire legibus cogitur. Satis ad mortis sententiam olim fuit, Christianus est.

677 *Nec vim*] Pœnis legum pueri rerum imperiti et (ut Juris consulti loquuntur) minorennes non sunt subjecti.

681 *Mater*] Parentum est docere liberos rudimenta pietatis, et una cum lacte Christum parvulis instillare. Quam diligentiam non esse inanem, multa exempla testantur, ut hujus pueri Antichœni et Pontici Lugdunensis, qui cum Blandilla annorum quindecim interfectus, imperante Vero. Item Majorici et Dionysiæ, quos Honoricus Gothus in Africa sustulit.

686 *Exclamat*] Tyrannus, victus disputatione viri sancti et assertione pueri, in furorem rabiose vertitur, nec matrem punit, sed filium excruciat, ut superstiti matri dolorem moveat longiorem.

689 *Torquentur*] In filiis parentes maxime puniuntur.

691 *Vilis*] Non vilis genere, quia generosa erat: sed quasi indigna, quæ morte gloriosa tollatur.

692 *Tantulos*] Tam teneros et adhuc lactentes.

693 *Mortis*] Fortassis legendum est, *mortis aspectu*, ut sit sensus: licet mors sit futura brevis, quia cruciatus tolerare infans diu non poterit, tamen dolor matris pœnam inspecturæ erit gravior, quam si suo ipsa corpore supplicium lueret.

696 *Vix hæc*] Immanis furor est, in eam sævire ætatem, quæ nondum novit destinato delinquere: neque puer ipse peccaverat, malicia aut protervia, sed raptus e turba cogebatur ad quæsita respondere. Nulla humanitas tyrannum, nulla æquitas aut religio movet impium. Magis ipse peccaverat, qui puerum invitarat, et loqui præceperat. Impii hominis et tyrannici animus diro Satanæ similis.

700 *Plus unde*] Παΐδες ab ætate, alludens ad pueros Bethlehemitas.

701 *Quæ cautes*] Nemo tam asper aut immisericors, qui possit spectare pœnam pueri, quod nunc mater intrepida facere sustinet. Utitur illis similitudinibus, quibus maxima duritas designatur.

703 *Impacta*] Infixa artubus tenellis.

Salix] Amplificat crudelitatem ab instrumento. Olim nocentes castigabantur ulmo, ut servi Plautini: aut ferula, ut scholastici: nunc ad puerum castigandum salice tyrannus utitur: non betulla, Italis ignota.

704 *Uda vimina*] Virgæ, sanguine humidæ.

705 *Ferret*] Inferret, effunderet.

Roscidis] Rubentibus, cum instar roris guttulæ fluerent.

706 *Ferunt*] Lictores lacrimas non tenebant, nec spectatores abstinere ab iis poterant, sed visceribus intimis movebantur: sola mater invicta coërcebat animum, quæ filium sciebat cruciari non crimine aut culpa, sed pro Christi nomine et gloria. Lictorum duriciem vincere, summæ immanitatis est.

712 *Soli*] Non enim intuetur in dolores filii, sed in eum splendorem, quem esset mox consecuturus in concilio cœlesti.

713 *Stat*] Cordibus piorum nihil magis tenerum, nihil quod moveatur facilius: sed cum in alia vita jam vivant, fide in Christum, nihil curant, quid in hoc mundo aut sibi aut suis eveniat: ut in hac femina amor Christi tollit amorem filii: spes vitæ immortalis tollit ærumnas miseriæ præsentis.

714 *Contumax*] Non sentiens dolores, contemnens tormenta.

715 *Mollis indulg.*] Quæ solet esse in aliis matribus, minus confirmatis

aut pietate, aut magnanimitate.

716 *Sitire*] Mater tentatur querela filii, sed perstat animo excelso, filium quasi relinquit in hoc mundo, ut beatum aspiciat in cælo: negat sitienti aquulam, et monstrat ei fontem Christum: æqua mente fert lacerari a tyranno, ut exultantem videat brevi inter Angelos.

717 *Animæ*] Ratio, cur sitiant, qui sunt in angustiis. Æstuante sanguine, et corde laborante, homo quærit refrigerium.

718 *Hoc exigebat*] Quasi qui alias non fecisset, nisi oppressus maximis doloribus, et jam destitutus omni virtute naturali.

Lymphæ] Aquæ guttulam. Sitis inexhausta cruciabit impios in æternum, ut testatur sitis helluonis, in historia Evangelica.

719 *Torva*] Irata, impatiens. E vultu hominis habitus animi elucet.

Tristi intuens] Quod in suo filiolo imbecillitatem, patientia Christiana indignam, animadverteret.

721 *Puto*] Hæc oratio non de matris animo, quo nihil est mollius, sed de matris Christianæ corde erumpit: in qua objurgat pusillanimem, erigit imbecillem, consolatur excruciatum. Proponit suo filio maximum solatium Christum, fontem vitæ, de quo aquæ cœlestes manant. Proponit exempla puerorum Bethlehemitarum et filios Solomonidis, qui crudeliter mactati sunt: denique multis blanditiis orat, ut sit constans, et Deo ipsi, a quo spiritum acceperit, vitam alacriter reddat. Hæc certamina non possunt interpretatione exponi, sed egent mentis piæ intentissima meditatione.

Imbecillo metu] Omnis metus de statu mentem dejicit.

722 *Horror*] Cujus vim sentis et tristitiam expectas.

724 *In hanc spem*] Tam meticulosam et morti succumbentem. Letho cedere, est horrorem et vim mortis ferre non posse. Inter species fortitudinis illa vel maxima est, mortem contemnere.

727 *Fons*] Ita Christus ad Samaritanam apud Johannem, 'Aqua illa, quam ego dabo ei, fiet ei fons aquæ salientis in vitam æternam.' Hunc locum hic explicat mater pia, quod fons ille sit copiosus, et perennis, qui irrigat orbem universum, qui animo atque corpori præbet salutem, qui a peccato purgat, et haurientibus vitam confert felicem. De hoc fonte clamat Propheta Isaias: 'Omnes sitientes venite ad aquas, vos etiam, quibus argentum non est.' De hoc fonte canit Damascenus: Μετ' εὐσεβείας προσδράμωμεν εὐτόνως Πηγαῖς ἀχράντοις ῥεύσεως σωτηρίου.

Qui semper fluit] Qui perennis est: periphrasis.

732 *Animo*] Amor Christi ducit nos ad fontem vitæ, de quo loquitur in Psalmis David, in Apocalypsi Johannes.

734 *Flagrantiam*] Ardorem, æstum. Eodem modo dixit 'montis flagrantiam' Agellius.

736 *Hic calix*] Passio pro cruciatu et tormentis, consuetudine Ecclesiastica.

737 *Mille*] Sæpe numerus certus pro incerto. Sedulius: 'Quorum tyrannus millia Christo sacravit victimam.'

738 *Oblita lactis*] Martyrium acerbum est, fructus dulcis. Caro nostra infirma et contumax, sed fidei præmia mellei erunt saporis.

741 *Exemplum*] In omnibus malis vim ad consolandum habent exempla.

742 *Matris et potentia*] Filii, matrum sunt potentia. Ideo στύλοι οἴκων nominantur.

743 *Omnes capaces*] Nulla ætas Deo spreta est; omnis capax est Spiritus Sancti: omnis triumphare potest de morte et diabolo, etiam infantium.

Virtutum] Earum, quas Spiritus

Sanctus immittit, et tanquam in vasculo tenerrimo custodit, ut fidem, obedientiam, patientiam.

746 *Scis*] Proposuit exempla tolerantiæ, nunc aliud proponit obedientiæ. In prioribus latet vis Spiritus Dei clandestina: in hoc Christus ipsius obedientia, cujus velut effigies fuit Isaac, patrem sequens usque ad rogum, ut Christus patri obediens fuit usque ad crucem.

Docenti] Matres non solum sunt nutrices, sed etiam magistræ filiorum.

Alluderes] Dulcis in pueris indoles, si sint ad preces et alias res sacras intenti.

749 *Aram*] In qua cremandus.

Ensem] Quo interficiendus erat.

750 *Ultro*] Sine detrectatione, sine querela.

751 *Nobile*] Propter fidem.

Memorabile] Propter constantiam.

752 *Una matre*] Theophilus Alexandrinus, divo Hieronymo interprete, sic ait, 'Quid memorem insignes Maccabæorum victorias? qui, ne carnibus illicitis vescerentur, et cibos communes tangerent, corpora obtulerunt cruciatibus, inque totius orbis Ecclesiis Christi laudibus prædicantur, fortiores pœnis, et ardentiores, quibus comburebantur, ignibus. Victa sunt in eis omnia crudelitatis genera ingentia; et quicquid ira persecutoris invenerat, patientia et fortitudo superavit, inter pœnas magis paternæ legis, quam dolorum memores. Lacerabantur viscera, tabo et sanie artus diffluebant: sed sententia perseverabat immobilis, et liber erat animus, et mala præsentia spe futurorum despiciebat. Lassabantur tortores, et non lassabatur fides; frangebantur ossa, et rota volubili compago nervorum artuumque solvebatur, et in immensum minitantia mortem incendia consurgebant; plenæ erant olei ferventis sartagines, et ad frixanda sanctorum corpora terrore incredibili personabant; attamen inter hæc omnia paradisum animis perambulantes, non sentiebant, quod patiebantur, sed videbant, quod videre cupiebant. Mens enim Dei, timore vallata, flammas superat, et varios tormentorum spernit dolores.' Hæc ille.

755 *Pœnæ et coronæ*] Martyrii et gloriæ. Præclare Paulinus: 'gravior cui pœna coronas Multiplicat.'

756 *Videbat*] Mater generosa gaudebat suppliciis, modo filii servarent constantiam.

Apparatus] Instrumenta recensentur tortorum, ad pœnam disposita. Theophilus præterea viscera extracta, et membra rotis divulsa testatur. Igitur vix quicquam legitur immanius aut truculentius ante ea tempora unquam accidisse.

758 *Lætata*] Lætata, motu scilicet divino, ut præsentia non sentiret, expectatione ejus felicitatis, quam esset inter paucas horas sui filii habitura.

Olivo] Cujus ardor alios ignes accendit.

760 *Laminarum*] Ita alibi: 'Stridensque flammis lamina.'

764 *Vestiet apicem*] Verticem ambibit, h. e. capiti imponetur.

768 *Pars optima*] Quem usum in corpore humano præstet lingua, speciatim explicat. Lingua digna Deo judicatur hostia, quia eum fateri et laudes ejus decantare solet.

774 *Redemtrix*] Quasi liberatrix, et quæ præ omnibus membris Deo offeratur.

777 *Hostem subegit*] Tyrannus vicit, et sub jugum septies misit.

778 *Quot feta*] Epiphonema. Memini eruditum virum, et patremfamilias honestum, perturbatum et sollicite anxium mihi dicere, se cotidie cruciari illis cogitationibus, num sui liberi omnes salvi essent futuri; quem cum ea attonitum cura viderem, incidit mihi hæc fratrum septem vic-

toria, et hæc ipsa mater, 'Quot feta natis, tot triumphis inclita:' quam cum illius solicitudini opponerem, animum recreatum sensi, et lætiorem a me dimisi.

780 *Mea vita*] Πάθος maternum. Appositio est; ut sup. 'Mea lingua, Christus.'

782 *Mense bis*] Ita illa in Tragœdia: 'Per decem mensum graves Uteri labores.' Mater Maccabæa nominat menses novem gestationis, annos vero tres lactationis, 2 Maccab. VII.

784 *Si molle gremium*] Per hoc intelligitur reliqua educationis diligentia, et (ut Græci appellant) τροφοφορία.

Crepundia] Lusus puerilies.

785 *Munerum*] Vitæ, lucis, nutritionis, educationis.

Assere] Testare, fatere.

786 *Quanam arte*] Quando quis conceptus sit, quomodo vivere cœperit; unde membra nactus sit; nemo novit, præter Deum, qui corpus et animam dedit. Itaque cum vitam habeamus non a nobis ipsis, ea custodienda, et soli conditori Deo reservanda est: et inprimis in confessione fidei, si opus est, ei reddenda. Loquitur magnæ pietatis femina cum filio sapienter, cum martyre animose, et cum puero ea suavitate, ut nulla mater possit dulcius. Refert nunc hæc mater Antiochena verba illa Solomonidis Ebrææ, quæ locuta ad filios est. 'Qualis' (inquit) 'in utero meo fuerit ortus vester, nescio: neque ego Spiritum aut vitam vobis dedi, neque singulorum membra ex elementis compegi: sed ille Creator mundi, qui formavit ortum hominis, quique omnium invenit originem; idem vobis aliquando et spiritum et vitam sua misericordia reddet, qui curam nostræ vitæ nunc propter legem ipsius abjicitis.'

788 *Animator*] Animator hoc loco est, ψυχοδότηρ, qui dat animam spiritumque vitalem. Alias est παράκλητος, qui addit animum, i. e. robur et constantiam.

790 *Bene*] Recte Deo reddimus, quod ejus beneficio accepimus. Quod Deo impenditur, nunquam amittitur. Ita Christus apud omnes Evangelistas: 'Qui perdiderit animam suam mea causa, inveniet eam, et,' (ut Johannes addit) 'custodiet eam in vitam æternam.'

791 *Canente*] Cum gaudio admonente.

792 *Virgas*] Hic puer Antiochenus nunc non est βωμονείκης, quales erant pueri Lacedæmoniorum, qui sævitiam verberum sustinebant, gloriæ vel præmiorum caussa: sed verbo Dei, quod a matre didicerat, et divino spiritu erectus, verbera non curat, mox etiam gladium percussoris contemturus.

793 *Cognitor*] Præfecti Asclepiadis procurator.

796 *Vias*] Vias, pro vestigiis seu notis.

797 *Denuo*] Quasi de novo; in versu est κρᾶσις.

801 *O non*] Irridet tortores, qui corpus Romani invalidum nequeant perdere, tanta rabie, tantis viribus, tot cruciatibus, tot vulneribus. Ejus primum latera ungulis discissa sunt, tum facies et genæ laceratæ; nunc rursus priores cicatrices ferro aperiuntur, renovatis omnium vulnerum doloribus.

803 *Fabricam*] Compagem et structuram, τὴν ποίησιν.

Corpusculi] Mediocri statura et corpore infirmo fuit, qui tot genera tormentorum sustinere potuit. Habet ista insultatio egregium fidei testimonium, quod præ vitæ futuræ spe immensa plagas et laniationes præsentes minus sentiat, plane non exhorreat.

806 *Carpunt*] Vescuntur cadaveribus canes et alites, quod ex Homero notum est. Morsus vulturum proverbialiter pro crudelibus. Vultures aves

sunt carnivoræ, quæ in silvis lepores et hinulos, in vivariis magnos pisces rapiunt, et fame nimia stimulante equum cum sessore invadunt.

808 *Offas*] Offas, nunc fluidam corporis corruptionem. Proverbium est, 'cani cadaver objicere,' quod Virg. dicit. Æn. vi. 'Offam Cerbero.' Rabies canis esurientis singularis est.

809 *Languetia*] Corpore, propter fatigationem.

Fatiscitis] Animo, propter ignaviam.

810 *Gula*] Sensus est; Voracitate feris estis similes, sed tamen præ socordia famem explere non audetis.

811 *Turbida iræ judicis*] Periphrasis est amplior, quam si dixisset, 'Iratus judex.'

812 *In supremam*] Quam Jureconsulti modo decisivam, modo finalem.

813 *Finem*] Ita Horatius: 'Momento cita mora venit.'

814 *Ignibus*] Eodem modo minitatus supra est: 'Ignis parandus jam tibi tristis rogi, Qui fine digno corpus istud devoret.'

816 *Foro*] Olim Christiani in foro, tribunalibus, compitis, campis, aliisque locis publicis excruciati sunt, in multorum hominum conspectu, ad quam lanienam Nero Cæsar hortos suos patere voluit.

818 *Appello*] Vox Jureconsultorum, i. e. a judicis inferioris sententia ad superiorum provoco, ut Ulpianus interpretatur. Hanc statum translationis appellant, seu μεταστάσεως.

820 *Esse nihil*] Nullum effectum habiturum. Quo mortis genere obeundum sit, non in tyrannorum manu est, sed in Dei voluntate positum, unde Romanus paulo post: 'Nec passionis hoc genus datum est mihi.'

821 *Quid differo*] Quid moror aut procrastino?

822 *Complices*] In malam partem, qui sunt affines ejusdem sceleris.

823 *Vix-hominis*] Ita Minucius eundem sanguinem novelli et vixdum hominis ait. Voces sophisticæ sunt, non-homo, vix-homo, cum contemptim de aliquo loquimur. Ter. in Heaut. 'Non sunt enim parentis dicta.' Parens non parens, pro rigido et inhumano. Rhetor. ἀντίστασιν, Grammatici πλοκὴν vocant, cum unum verbum modo substantiam, modo qualitatem significat.

825 *Sub uno fine*] Sub una sententia ac morte.

Dispar] Diversum mortis genus.

826 *Percentum*] Ad bustuarium, πρὸς τὸν σῦρον, Lucas voce Syriaca Golgothan nominat.

828 *Primitivum*] Primi partus tam hominum quam animalium Deo sacri et segregati erant. Primitivus fuit Abel, quem frater cæde immolavit: primitivus Isaac, quem Deo mactare Abraham jussus fuit. Quorum et vita et miseria imago erat Christi passuri; Christus imago suæ Ecclesiæ, quæ est afflictionibus et sanguine martyrum innocenti repleta omnibus temporibus felicibus.

829 *Ferculo*] Ferculum, in quo portabantur sacrificia. Alludit ad illud dictum Christi, qui ait, 'Venturum super impios sanguinem justum, effusum in terra a sanguine Abelis justi, usque ad sanguinem Zachariæ,' Matt. xxiii.

831 *Puerum*] Συντομία, qua evidentius vix potuit exprimi et dira ἀλάστορος immanitas et matris patientis æquanimitas.

832 *Osculum*] Πάθος ab affectu et sermone materno, quo utitur erga filium, jamjam in manu carnificis moriturum.

833 *Vale, vale*] Repetitio affectuosa.

835 *Jam patrone*] Non recte hoc dicitur. 'Unus enim patronus, unus intercessor est apud patrem cælestem, Christus Jesus,' teste divo Paulo.

841 *Retexens*] Sæpe repetens consolationis suæ gratia. Est hoc loco

πρὸ ὀμμάτων θέσις, ut nominant Peripatetici, quia factum ita ante oculos ponitur, ut cerni, non legi videatur. Hoc supplicii genus Latinis dicitur *obtruncare*, quasi truncum relinquere, ut de Oreste qui Pyrrhum interfecit. Virg. 'Patriasque obtruncat ad aras.' Græcis est, *ἀποκεφαλισμὸς*, vel *ἀποτυμπανισμός*. Utuntur interdum Latini decollare, quod est cervices ferire, *ἀποτραχηλίζειν ἢ ἀποδειροτομεῖν*, ut 'miles decollandi artifex' apud Suetonium. Id fiebat aut ense, aut securi, aut tympano.

844 *Palpitantis*] Celerrime se moventis.

Globum] Propter rotunditatem, cum os in orbem contrahitur.

845 *Charo pectori*] H. e. filium charum pectori, *μετάθεσις* epitheti.

846 *Immanem pyram*] Rogum valde altum.

847 *Texebat*] Extruebat, componebat, erigebat; nota metaphora.

Ustor] Dividit militum, qui iidem tortores erant, munera, dum unum percussorem, alterum ustorem, et eorum ministros supra nominavit, apparitores.

848 *Struem*] Strues, pro fasciculo, Synecdoche.

849 *Liquato*] Liquefacto et defluente.

850 *Quo*] Quo alimento et quasi fomite.

Ferocius] Vehementius, validius. Tragicus etiam juvenum flammas eadem metaphora feroces appellat.

851 *Retortis*] Religatis in tergum manibus.

852 *Actus*] Erectus et sublatus.

854 *Passionis*] Passio pro quovis supplicii genere, verbum Theologis usitatum; nec est aliud in hac significatione divi Augustini sententia expressius.

Datum] A Deo impositum, sine cujus voluntate ne pilus quidem defluit de capite. Multi martyres non potuerunt tolli ea nece, qua tyranni voluerunt; sed quam voluit et constituit eis Deus, ut de Romano et Agnete tradit Prudentius, et de Catharina finxerunt homines eruditi.

856 *Fragor*] Quem cataractam dici nonnulli volunt. Est autem nimbus undatim præceps, ut statim circumloquetur.

861 *Rebus novis turb.*] Miraculo attonitus. Miracula sunt res novæ.

863 *Versare*] Varietas jucunda. Faces, quæ ignem concipiunt: torres, quæ conceperunt: prunæ, quæ consumserunt.

866 *Tumenti*] Iracundo, antecedens pro consequente.

867 *Fellis implacab.*] Fel, bilis receptaculum, accipitur pro bile: bilis rursus per metalepsin pro iracundia. Redundantiam bilis in homine testatur iracundia impotens: hanc iram medici *θηριώδη*, quasi ferinam, appellant, Poëta noster nunc implacabilem: e Virgilio dicere posses furiosam: ita enim de Hercule Æn. VIII. 'Furiis exarserat atro Felle dolor.'

868 *Quousque*] Exprobrantis vox.

Summus] Convitium olim in Christianos jactatum, ut magi dicerentur, quia vincere pœnas, non fide, neque aliquo divino auxilio, sed præstigiis et ludibrio quodam eludere viderentur.

869 *Thessalorum carmine*] Proverbialiter, carmina Thessalorum, pro incantationibus. Thessali apud Poëtas veneficii nomine infames sunt, quos Medea fertur artes Colchicas et Citteias docuisse. Fuit hæc regio patria Lapitharum et Centaurorum, populi atrocis et malefici. A Lucano Phæmonoë, ab Ovidio Mycale, feminæ Thessalicæ, veneficiis celebres commemorantur.

874 *Rursus coibit*] Rursus integra et sana fiet.

877 *Truncare*] Abscindere, amputare.

878 *Simpla*] Unius generis. Simplum refertur ad quantitatem, et est

numeri: simplex, ad qualitatem, et est habitus.

Criminosus] Pro, multipliciter criminator, qui non uno modo tam in Deos, quam in Cæsarem convicia congessit.

880 *Quot*] Totidem pœnarum cruciatibus torqueatur, quot convitia tulit, et quot membra habet. Vox vere tyrannica hominis ejusmodi, qui nullius supplicii magnitudine aut atrocitate potest acquiescere.

881 *Lerna*] Lerna palus Argivorum, in qua serpens, turba capitum formidabilis, latuit, quorum uno resecto, alia duo renascebantur: eum aggressus Hercules primum ferro feriebat, tum face adhibita ustulabat, ut impediret fecunditatem monstrosam. Ad eam fabulam alludit præfectus, et fortasse spectaculum simile expectat a Romano, quale Hercules edidisse perhibebatur.

883 *Imminuti*] Damno crescere et augeri, proverbium est, quo Poëta hoc loco de serpente Lernæo, Horatius de militibus Romanis utitur.

884 *Præsto*] Solent tyranni et suam leviter curare religionem et veram illam atque sinceram furiosum in modum persequi. Herculis labores alii sunt ἔργα, quos illi imperavit Eurystheus patruus, et hi proprie dicuntur ærumnæ, auctore Cic. de Fin. alii labores πάρεργα, quos occasione aliqua per se ipse suscepit: ita distinguitur ab Hygino. Horum quatuor et viginti recenset in hendecasyllabis Sidonius.

886 *Secare doctus artifex*] Χειροῦργος per etymologiam, cujus ars διὰ τῶν χειρῶν ἐνεργείᾳ, χειρουργία, dicitur.

887 *Viscerum*] Corporis juncturas.

888 *Nexa*] Colligata et adjuncta. Nervorum alii ossium retinacula seu vincula sunt, quia alligant et constringunt vi animali, ἐνεργείᾳ ψυχικῇ, alii ad totius corporis faciunt motum, ut id nullo labore conatuque flectatur, et sua moveatur industria.

Disparare] Dislocare, sejungere.

889 *Date*] Sistite huc aliquem.

Revulsis] Chirurgi utuntur aut instrumentis, e quibus nominat scalpellum, aut ligaturis, quas vocat nodos. Ossa revulsa coguntur, fracta diriguntur, contusa ferruminantur.

890 *Compaginat*] Concinnat, conjungit.

891 *Linguam priorem*] Parte prima, vel loco primo, quasi deinceps amplius sæviturus. Lex talionis antiqua, ut, qua parte quis peccet, ea puniatur.

Radicitus] Ima sui parte, quæ radix dicitur, et Ovid. Met. VI. 'Comprensam forcipe linguam Abstulit ense fero, radix micat ultima linguæ.'

892 *Quæ*] De lingua ita divus Augustinus: 'Homo domat feram, et non domat linguam: frenat leonem, et non frenat sermonem.' Menandri versus est, Ἡ γλῶσσα πολλῶν ἐστὶν αἰτία κακῶν. Vitia linguæ duo intoleranda, blasphemia in Deum, et contumelia in Magistratum.

894 *Fás vetús*] Quod olim sanctum et religiosum fuit. Accusatur Martyr violatæ religionis et læsæ majestatis, quibus nulla crimina sunt graviora.

896 *Accitus*] Propter artem suam. Excusatio in eo est, qui non sponte ad flagitium accedit.

898 *Retectam*] Exertam, prolatam.

Ima faucium] Pro, *fauces imas*, ante quas *frumen* est: unde *frugi hominem* dictum esse volunt.

899 *Palatum*] Superiorem oris partem, quasi testudineum linguæ tegimen.

Exitum vocis] Τὴν ἐπιγλωττίδα, per quam spiritus vocis erumpit.

902 *Inusque*] Dictio antique composita, Inusque ut Inante apud Ovid.

903 *Fila*] Quibus lingua alligatur.

Sensim] Utrum artis gratia, ut secaret perite? an crudelitatis, ut in gratiam tyranni magis excruciaret?

904 *Nunquam momordit*] Propter vindictam.

Os compressit] Propter impatientiam. Æquanimitas Christiana est, nec ultionem expetere, si possis, nec pœnam detrectare, etiamsi maxima inferatur. Ornat virum pium mansuetudo et tolerantia, quia ostendunt, ipsum Dei solius expectare auxilium.

906 *Immotus*] Quasi sine doloris sensu, quia non in pœnam spectabat, sed in eum, cujus caussa pœnam sustinebat.

Patente rictu] Ore aperto et distento.

907 *Extra*] De vulnere.

908 *Rubro*] Insigne martyrum est cruor: eorundem decus, est cruor.

910 *Ostro*] Quam non ostrum tinxerat, sed large effusus ex ore sanguis.

Ut jam regiæ] Purpura olim reges amiciebantur.

913 *Obblaterarent*] Obblaterare, est responsare modo importuno et ore inepto, ἀπὸ τῆς βληχῆς, a voce ovium, vel camelorum.

914 *Tacentem*] Exsecta lingua.

Debilem] Effuso tot sanguine.

915 *Turbine*] Turbo orationis, pro magna facundia, quæ instar turbinis fertur. Quicquid impetu fit, modo turbinis fieri dicitur. Seneca in Troade, 'Sparsæ tot urbes, turbinis vasti modo.' Turbines faciunt venti infensi et frigidi. 'Turbo calamitatum' dicitur a Sidonio.

917 *Vividum*] Ardentem. Plaut. in Aul. 'Si ignis vivet, tu extinguere.'

919 *Hos paratus*] Hanc sacrificiorum structuram et pompam.

922 *Insolentius*] Superbius, pervicacius.

924 *Effare*] Quod ad orationis initium.

Perora] Quod ad finem.

Dissere] Quod ad ipsa argumenta. Totum artificium partibus complectitur; estque congeries verborum, ut insultet martyri acerbius. Imperat id, quod facere elinguatus non potest: id permittit, quod nunquam fieri posse persuasum habet, neque si posset, fieri vellet. Quis enim unquam verba sine lingua formavit, aut quis læsis omnibus vocis organis, diserte locutus est?

926 *Alto corde suspirans*] Qui lingua nequit, gemitu clamat ad dominum, et qui linguam amisit, Deo inspirante adhuc loquitur.

928 *Christum*] Præclara sententia et miraculis confirmata. Locuti sunt infantes, et elinguati, cum confessio pro Christi nomine necessaria fuit. Perscitum est, quod Rufino respondet Hieronymus: 'Mori pro veritate possum, tacere non possum.' Item quod Theodosio Imperat. Ambrosius: 'Mori possum, cedere non possum.' Ne cedant autem aut taceant Christiani, Sp. Dei et animum infirmis addit, et loquendi instrumenta præbet linguam non habentibus.

929 *Quo organo*] Quo instrumento; pluribus enim ad vocem formandam opus est, pulmonibus, arteria, faucibus, palato, lingua, dentibus, ore, labiis.

930 *Ipse*] Sp. Sanctus; qui ore et corde piorum ipse locutus, nec subjectione eguit sapiens, nec instrumentis omnipotens.

931 *Vis vocis*] Ad vocem pertinent motus, spiritus, sonus, enunciatio, articulatio, loquela. Quarum rerum effectores sunt, pulmo videlicet motus: arteria, spiritus: concavum oris, soni: palatum, pronunciationis: dentes, articulationis; loquelæ, ipsa lingua: unde et paulo post 'sermonis moderatrix, et magistra' appellabitur, 'obstetrix sermonis' a nescio quo veterum appellatur. Quod hic de voce dicitur, idem Œdipus in Tragœdia dicit de auribus: 'Utinam quidem rescindere has quirem vias, Manibusque adactis omne, quo voces meant, Aditusque verbis tramite angusto patet, Eruore possem.'

Vis] Claritas et intelligentia.

Expressa] Emissa, edita.

932 *Torta*] Circumacta, versata. Concavum oris testudini comparat.

933 *Repercussos*] Propter reflexionem duplicatos.

934 *Temperetur*] Moderatione, ne mugitus aut barritus fiant, ut sunt brutorum.

Dentium] Ordo dentium per similitudinem pecten dicitur.

935 *Agendis*] Perficiendis.

Mobile] Propter flexibilitatem, ut sit celeris, expedita, volubilis.

936 *Si mandet idem*] Sensus est: Si vellet Deus sine lingua, aut aliis quibusdam instrumentis nos loqui, minime dubium est, quin id fieret. Nam qui rem aliquam facit artifex, eandem valet mutare suo arbitratu: qui legem fert, potest eam abrogare, eadem potentia. Quod igitur potest opifex aut manuarius in officina, quod Imperator aut prætor in Civitate vel curia, id negas posse efficere Deum omnium rerum conditorem et primum artificem?

Fistulas] Per quas meat spiritus.

937 *Flatu*] Qui æqualitatem et dulcedinem efficeret.

Concinentes] Aptes, sibi invicem respondentes.

938 *Ut verba*] Sensus est: Si Deus verba formare cuperet in nostris faucibus, ut in fistulis format sonos; item si formare eadem in oris hiatu, ut in cymbalis concentum efficit; fieret sermo hominis sine lingua, propter auctorem ipsum, qui statuit et potest omnia. Itaque quod ego non loquor elinguatus, ne caussam quæras, sed effectum admireris, et credas Deum nostrum esse vere Deum, qui omnia, quæ cogitat, constituit: quæ vult, potest: quæ placent, efficit.

Meatibus] Per quos vox fertur naturaliter, et formatur artificiose.

939 *Cymbalis*] Quibusvis instrumentis.

940 *Nunc*] In enunciando labra modo claudendo comprimuntur, modo aperiendo hiant.

941 *Naturæ statum*] Qualis a conditore ordinatus est.

942 *Cui facta*] A quo facta est.

Formæ] Effigies ea, quæ rei cujusque conditæ propria est.

943 *Factor*] Ποιητὴς conditor, creator.

944 *Positas leges*] Tam naturæ, quam voluntatis; non quod Deus ipse sit mutabilis, sed quod ei serviant res conditæ, etiam extra ordinem naturalem.

947 *Fluctus*] Sic Amœnus: 'It mare per medium Dominus, fluctusque liquentes.' Ita Prudentius: 'Ambulat per stagna ponti, summa calcat fluctuum, Mobilis liquor profundi pendulam præstat viam.' Nota est historia de Christo, per mare eunte, cum ad se Petrum accerseret, quam, excepto Luca, reliqui scribunt Evangelistæ.

948 *Natura fluxa*] I. e. instabilis mobilisque unda fit calcabilis, et (ut Varro loquitur) statua.

950 *Fert vestigia*] Fuit enim ille ὑδατόστρωτος, ut Græci vocant.

953 *Percitum*] Citatum, celerem.

954 *Audientiam*] Pro auditu, actus pro sensu, ἀκοὴ ἀντὶ τῆς ἀκροάσεως.

955 *Cæcis*] Non loquitur de iis solum, qui visum aliquando amiserunt, sed etiam de iis, qui nunquam viderunt, et lucis hujus usu ab ipso vitæ exordio caruerunt. Miracula Christus frequentia edidit, ut muti loquerentur, surdi audirent, viderent cæci, claudi ambularent, eaque fore testimonia præsentiæ Christi, Isaias scripsit, Johannes Baptista repetiit.

956 *Amens*] Vere mente caret, qui aperta non considerat, testata non credit.

Fabulosa] Ficta, inania, et, ut mox dicet, non fidelia, οὐκ ἀξιόπιστα.

959 *Habes*] Utitur ea probandi ratione, qua cæcus ille apud Johan. cap. v. coram Pharisæorum concilio utitur, qui simpliciter testatur, 'Visum a Christo se accepisse,' et totum

concilium a sensu ad miracula rejicit.

960 *Probatis*] Sensus est: Si doctrinæ de Deo non credis, crede ejus potentiæ, qui jam te esse victum necesse est ut fateare. Miraculum ante oculos positum negari non potest. Idem hic accidit tyranno, quod Pharaoni et Pharisæis, et quod omnibus impiis, qui miraculis magis indurantur, et signis veritatis manifestis fiunt cæciores.

962 *Timorque*] Affectus diversi, quorum alter sollicitum facit propter miraculum, alter insanum, propter incredulitatem. Impii quod vident, non credunt: quod tenent, id nesciunt.

963 *Vigilet anne somniet*] Proverbialis sermo, de eo, qui stupore ingenti perculsus neque putat videre, quod videt, et abesse ab iis rebus existimat, quibus interest.

964 *Ostenti genus*] Ostenti nomine comprehenditur et monstrum et prodigium, cum videlicet quid evenit et præter naturam et præter consuetudinem, quod semper aliquid triste portendit.

965 *Frangit*] Quia timere cogitur propter rem portentosam.

Armat] Quia in suo proposito immani cupit pertendere.

966 *Mentis effrenæ*] Quæ ei et consilium ademerat, et rationem everterat, quibus quasi frenis temperatur animus hominis.

967 *Furoris tela*] Metaphoricæ dicuntur, tela furoris, immensa vindictæ cupiditas et ejus exsequendi cogitata violentia.

968 *Sævus*] Ideo sævus, quia innocentem argueret.

971 *Ferrum*] Instrumentum, quo usus fuerit fallace, hebete, obtuso.

973 *Vulnus breve*] Non profundum, non noxium.

974 *Sauciata parte*] Lingua tacta, non exsecta.

976 *Vocis harm.*] Concentum et sermonem.

Probe] Sine læsione, sine impedimento.

977 *Vacuo specu*] Inani concavo, συνωνυμία.

980 *Echo*] Vocis imitatio, seu (ut scite Horatius) 'vocis imago.'

983 *Curiosum*] Exploratorem, adverbialiter pro, curiose circumfer.

984 *Haustus patentes*] Totam oris cavitatem et circumferentiam.

985 *Quod regat*] Quod moderetur vocem.

986 *Forassem*] Vulnerassem, trajecissem.

Levi] Irrito vel impenetrabili.

989 *Nam cum*] Sublata caussa, tollitur effectus.

In vitium cadit] Minuitur aut violatur.

994 *Fragosa*] Illiterata et insuavis, strepera atque horrida, qualis solet esse quadrupedum.

Inconditus] Sine aliqua varietate. Quod in cibis condimentum, id in voce varietas.

999 *Suggerat*] *Suggillet* ignota hic significatione ponitur; unde Nebrissensis legendum putat, *verba suggerat*, h. e. subjiciat.

1000 *Mutus*] Hoc, quia τῶν ἀδυνάτων est, modo proverbii usurpari potest.

1003 *Vesaniam*] Vesania, magna est insania. Vesanus est, qui victus argumentis, fractus miraculis, credere tamen pervicaciter detrectat: ut ex hoc loco definire possimus.

1007 *Meus*] De meo ore fusus, atque emissus. Sumit occasionem disputandi de sacrificiis gentilium, in quibus non tantum sanguinem bestiarum effundebant, sed ne suis quidem parcebant corporibus sacrificuli, ut paulo post dicetur.

1009 *Pagane*] Contumeliosa vox, et civiliter contra præfectum Urbi, et Ecclesiastice in eum qui alienus est a sacra Dei militia. Pagani olim non militabant, sed aliis militantibus, ipsi servabant domi, qualis est in exercitu Thrasonis Sannio.

Vestri] A vobis immolari soliti.

1010 *Litata cæde*] Venia Deorum per cædem impetrata. Ita Virg. Æn. IV. 'Sacrisque litatis Indulge hospitio.' Ostendit religionis vanæ et ridiculæ turpitudinem a modo sacrificii, ab habitu Pontificis, a ritu cæremoniarum, a vulgi cæcitate. Loquitur nunc de sacro illo piaculari, quod Romæ fiebat Plutoni et Proserpinæ, in campo Terentino, juxta Tiberim: quia scrobium meminit, quæ Diis inferis effodiebantur. De iisdem Statius Theb. IV. 'largos novies tellure cavata Inclinat Bacchi latices.' In his sacris pedum viginti altitudine scrobes fodiebantur, in quas sacerdos demittebatur, vittis, infulis, corona aurea, toga serica insignitus. Astabat taurus ingens, (alii bovem furvum fuisse scribunt,) cornibus inauratus, et sertis floreis circa collum redimitus. Imposita illi fossæ erant tabulata, plena undique foraminum: super ea hastis belua conficiebatur a Flamine multis ictibus, ut plus sanguinis erumperet: qui sanguis non pateris aut capeduncnlis (sicut in aliis sacrificiis) excipiebatur, sed in fossam per asserum rimas et foramina copiosus defluebat. Quem Pontifex in scrobe absconditus, membris captans omnibus, auribus, ore, oculis, naribusque hauriens, quod corpore non poterat, toga excipiebat, sanguinem deglutiens quamplurimum, reliquo faciem et vestes perluebat, dum superne Flamines et lac et mel et vinum invergerent. Ex eo specu tandem emergens, cruore inebriatus Pontifex, ita ut tabo oblitus erat, se in populi conspectum dabat; quem multitudo universa procul observans, salutabat nutib. solennibus, et veneratione cernua; et hoc modo inferos placatos et propitios existimabant. Hæc sacra fiebant mensibus Septembri, Octobri, Novembri, singulis semel, sed noctibus tribus continuis.

1011 *Sub terram scrobe*] I. e. scrobe subterranea, quas scrobes Græci scholiastæ βόθρους καὶ μέγαρα, Prudentius specus et cavernas, alii antra nominant τῶν θεῶν ὑποχθονίων. Talia fuerunt Romæ in campo Martio, et sub monte Palatino, quæ sacra Plutoni et Censo fiebant. Talia fuisse nympharum Nereidum et Hydriadum, scribit Porphyrius in Homerum.

1013 *Mire infulatus*] Τὸ ἔχειν describit multipliciter, ab ornamentorum varietate. Infulæ dependent, vittæ nectuntur, coronæ hærent, cinctus fulcit, vestis ambit. Addit et precipum, ut coronæ aureæ, vestitui sericum. Addit modum, cum inquit, 'Mergitur;' quia ea sacra in luce et ante vulgi oculos facere, piaculum erat.

1015 *Cinctu Gabino*] Qualis e Gabiis sumptus est, quo aut majestatis caussa reges utebantur, aut religionis sacerdotes.

1016 *Pulpita rimosa*] Asseres perforatos.

1017 *Rari*] Dehiscentis.

Pegmatis] Πῆγμα seu pagmentum, quo aliquid alteri conjungitur. Pegmata sunt tabulata, quæ vel per urbem, vel per theatra circumferebantur, in quibus erant collocatæ thensæ, aut fercula, aut statuæ: ita facta, ut verterentur, cum quid occultandum videretur. Plin. lib. XXXIII. 'Caius princeps in circo pegma duxit:' ubi de ejusmodi tabulatis loquitur. Cicero ad Att. IV. 'Nihil venustius, quam illa tua pegmata:' ubi loquitur de ornamentis parietum.

1018 *Aream*] Tabulæ superficiem.

1019 *Acumine*] Instrumentis acutis.

1020 *Frequens hiatibus*] Rimas, foramina, hiatus eadem ponit significatione: ultimum tamen juvat epitheto, 'minutis hiatibus.' Eadem varietate utitur in verbis scindunt, terebrant, perforant, propter instrumentorum diversitatem. Ostendit, vias ad defluxum sanguinis plurimas patuisse.

1021 *Taurus*] Itaque Virg. Georg. II. 'maxima taurus Victima.' Corpora in sacrificiis oportebat esse egregia, tam viribus, quam pulchritudine.

1022 *Sertis*] Quæ aut cornibus erant imposita, aut de collo victimæ dependebant. Cornua erant inducta auro; pili in collo aureis bracteolis effulgebant.

1028 *Amplum*] Venabuli quantitas e vulneris magnitudine.

1029 *Ferventis*] De recenti cæde adhuc calidi.

Texta pontis] Texta pontis, pro pontem textum, antique: ut, 'Rupta viarum,' pro viæ ruptæ; 'Densa silvarum,' pro silvis densis; Poëtica et historica phrasis. Ita mox dicet, 'et profunda sanguinis.'

1030 *Vaporum*] Propter fumum et spumas, quas emittit. Oratio crescit verbis: unda, flumen, æstuarium.

1031 *Mille rimarum*] Plurium foraminum.

1032 *Imber*] Cruor more imbris; sunt enim hic aliqua ὑπερβολικά.

Tabidum] Resolutum, stillantem.

1033 *Defossus*] In fossa latens, in scrobes demissus, sub terra absconditus.

1034 *Turpe*] Inquinatum tabo. Malim adverbium esse, et legi in parenthesi, per indignationem.

1035 *Putrefactus*] Quasi pure taboque contaminatus, et squallidus. Utitur prima sententiæ locupletandæ ratione: toti enim subjiciuntur partes, capiti videlicet os, genæ, nares, labra, barba, aures, oculi, lingua, palatum.

1040 *Cruorem atrum*] Periphrasis tabi, h. e. corrupti sanguinis. Cruor, proprie sanguis a recenti fluens vulnere: et cruor sacer, qui de victimarum corporibus effluit.

1042 *Compage ab illa*] Ab illo tabulato, vel pulpito, fossæ superne imposito.

1045 *Amictus ebrios*] Largo sanguine imbutos.

1046 *Contagiis*] Sordibus, quales contagiorum esse solet. Alii legunt, *contactibus*.

1047 *Recentis piaculi*] I. e. sacrificii modo peracti.

1048 *Eminus*] Accedere propius religio non sinebat.

1049 *Vilis*] Quia bestiæ.

1051 *Hecatomben*] Quam Asclepiades fortasse Antiochiæ sacrificaverat. Immolabantur centum victimæ propter totidem hostes occisos, unde festa sunt ἑκατοντοφόνια. Fiebant hæc sacra Marti, post bellum, grati animi caussa: aut quietis temporibus Jovi et Apollini, mali avertendi gratia.

1052 *Centena animalia*] Quoniam non semper unius generis animantia erant, (ut est apud Capitolinum in Maximo et Balbino,) prudenter nullius exprimere nomen voluit.

1054 *Augures*] Fatidici, divinatores, species pro genere. Hi per sanguinem cumulatum, quasi natantes in aliquo gurgite, incedebant.

1056 *Pingue*] Quia præstantissima quæque corpora mactabantur.

1057 *Maximorum*] Erat hecatombe, ut dictum est: erat chiliombe, cum mille victimæ cæderentur.

1058 *Eviscerata*] E visceribus extracta.

Crudos] Cruentos, cruore conspersos.

1059 *Sunt sacra*] Invehitur nove argumento in gentiles, qui non contenti mactandis animalibus, in sua ipsorum corpora sæviebant. Cybelis sacerdotes amputabant sibi virilia. Bellonæ se vulnerabant cultellis, Isidis patiebantur notas sibi ferro candente inuri. Hanc tribus nominibus unam fuisse Deam tradidit Apuleius.

Excidiitis] Eviratis, ut Catullus loquitur.

1061 *Fanaticus*] Sacro furore correptus.

1063 *Furere*] Discurrere hac illac, et locum quietis non invenire. Furere

est mentis, rotari corporis: furoris idem meminit Catullus, rotationis Minucius. Inter sacerdotes Cybelis erant præcipui, appellati μητραγύρται, Phryx homo, et Phrygia femina, qui furibundis et anhelantibus similes, circumstrepentibus tibiis atque tympanis, simulacrum Deæ per vicos ferebant, et Deæ nomine stipem petebant, ut liquet ex Halicarnassæo. Fiebat id singulis mensibus semel, unde δώδεκα σελήνων sacra Cybeles ab Euripide dicta sunt.

1065 *Cælum*] De hac re Minucius: 'De Cybele' (inquit) 'Dyndimena pudet dicere, quæ adulterum suum infeliciter placitum, quoniam et ipsa deformis et vetula, et Deorum multorum mater, ad stuprum illicere non peterat, exsecuit, ut Deum scilicet faceret Eunuchum. Propter hanc fabulam Galli eam et semiviri sui corporis supplicio colunt. Hæc jam non sunt sacra, tormenta sunt.' Hæc ille.

1068 *Semivir*] Qui sibi virilitatem ademit.

1069 *Revulsa*] Abrupta, abscissa.

Masc. germ.] Augustinus de C. D. lib. VII. ait: 'Abscissos Deum matri servire, ut intelligamus eos, qui semine indigeant, terram sequi oportere, quæ Deum mater nuncupatur.'

1070 *Effluente*] Copioso, abundante.

Auctam] Plenam, ebriam. Lucretius μυθολογικῶς inquit eos, qui lædant matrem, dignas esse, ut virilitate priventur, nec vivum unquam generent. Eodem modo D. Hieronymus ait: 'mereri cæcitatis supplicium, qui parentum vultus visu torvo aspexerint.' Qua quis parte peccat, ea juste punitur, ut dictum est.

1071 *Uterque sexus*] Quia nec viri manent, nec sunt feminæ.

1074 *Felix*] Ideo, quia Deorum mater. Hic ponitur ironice, quæ mutilationes hominum suam putat beatitudinem.

Imberbes] Politis, acutis, per metalepsim.

1075 *Novaculis*] Alii scribunt id factum esse acuto silice, ut Catullus.

1076 *Sphragitidas*] Σφραγὶς est signum aut nota impressa: vel memoriæ causa, ut fit annulo, vel religionis, ut fit ferro ignito.

1078 *Igniverint*] Igne cadentes fecerint.

1080 *Stigmarit*] Percusserit, signaverit, ἐστιγμάτισε. Victor. lib. III. 'Ac famulos omnes, quo jussum est, stigmate signat.'

1081 *Functum*] Mortuum.

1082 *Pompa*] Propter apparatum, et comites, et ministros.

1085 *Tegitur metallo*] Auro aut argento includitur, et, quasi pars corporis sacra, post mortem asservatur.

1087 *Hac lege*] Hac necessitate.

Cultores suos] Dii, quos servare deberent, hos mutilant: quos sanare, ignibus et ferro invadunt: nec id alienis, sed suis faciunt cultoribus. O Deorum crudelitatem! o hominum tales colentium insaniam!

1088 *Dæmon*] Cujus munus proprium est nocere: et cujus lusus est deformare contumeliis, et excruciare tormentis.

1091 *Noster iste sanguis*] Sanguis, quem pro Christo profundimus, non manu nostra funditur, sed vestro furore; nec nostra culpa aut crimine, sed vestra tyrannide.

1094 *Incruente vivimus*] Nos (inquit) Christiani nemini nocemus, sed affecti injuriis aut pœnis macerati perferimus, et per patientiam, Dei beneficio, victoriam tandem reportamus: incenso potius tyrannorum dolore aut odio, quam fracta aut imminuta nostra constantia.

1096 *Sed jam silebo*] Providens vitæ terminum, orationem concludit, juxta illud ad Galat. 'Vivo jam non ego, sed vivit in me Christus.'

Debitus] Omni scilicet carni. 'De-

bemur morti nos nostraque,' inquit etiam Horatius.

1097 *Finis malorum*] Mors quidem omnium malorum finis est, sed post mortem demum vere vivunt homines pii.

Passionis gloria] Mors martyrum gloriosa et coram Deo preciosa est. De corona justitiæ Paulus: de corona gloriæ atque immortalitatis Petrus.

1098 *Improbe*] Injuste, impie; quia non punior ut maleficus, sed ut Christianus: non ut fur aut sicarius, sed ut innocens, etiam coram tribunali tuo.

1099 *Torquere*] Mora et dilatione, quod factum fuit in catasta, in stipite, in rogo.

Secare] Varietate cruciatuum, quod factum fuit plumbatis, ungulis, mucronibus, furca, scapello.

1100 *Cedas victus*] Victos vincere, mortuos vivere, hoc tantum in regno Ecclesiæ accidit, propter illum qui vicit mundum, mortem, diabolum.

1101 *Tortor*] Per tortores intelligit milites: per sectores, chirurgum: per peremtoris manum, turbam lictorum. Unum stare contra multos, etiam in armis gloriam meretur.

1104 *Silere*] Quod invidiose hic dicit de optimo viro, hoc sermone vulgari dicitur περὶ στόματος ἀχαλίνου.

1105 *Tubam*] Vocis instrumentum quod tubæ instar personat.

1108 *Elidit*] Verbum proprium, cum quis strangulatus perit.

1110 *Anima*] Epiphonema elegans. quamvis corpus sepelitur aut abjicitur, anima tamen ad sedes cælestes, in tabernacula æterna (ut scriptura loquitur) transfertur.

Vinculis] Corpus quasi vinculum et carcer quidem animæ habetur.

1111 *Intimasse*] Studiose significasse, certo denunciavisse. Liv. 'Intimasse fertur filio, ut milites scriberet,' pro, occulte ad eum detulisse.

Principi] Galerio Imperatori, cujus vitæ exitus propter effusum sanguinem Christianum tristissimus fuit: nam a vermibus corrosus et consumtis genitalibus se manu interfecit.

1112 *Ord. volum.*] Quia uno libro tanta atrocitas scribi vix potuit.

1114 *In fasces*] Per fasces nunc intelligit scytalas et latercula, quæ in aulis Imperatorum solebant convoluta aut deposita asservari.

1115 *Chartulis vivacibus*] Principes olim injurias et crimina in chartas referebant, quod de Domitiano et Commodo legitur, ut ea vel in reis punirent, vel vindicarent in eorum posteris. Naturæ tyrannicæ sunt illorum etiam adolescentum, qui objurgati correptive a parentibus aut magistris, tempus annotant: cujus ego jam nullius recordor, quin aut hodie miser sit, aut miser perierit.

1116 *Illas sed*] Intercidunt monumenta aut tempore aut eversionibus urbium, aut hominum incuria, aut suo quodam genio infelice.

1117 *Fuligo fuscat*] Cum non curantur.

Pulvis] Cum non tractantur.

1119 *Inscripta*] Christianorum virtus et memoria nunquam extinguitur aut deletur. Et de loco ne quis dubitet, inquit Isaias XLIX. 'Ego non obliviscar tui, ecce in manibus descripsi te.'

1120 *Obsolescit*] Hic liber a Paulo ad Philippenses et a Johanne in Apocalypsi vitæ liber appellatur, qui non minuitur, non corrumpitur, non esse desinit.

1121 *Excepit*] Non poëtice fictum, hoc est, delectationis gratia, sed vera narratio est viri rerum divinarum scientissimi. Nam Angelos Dei nobis adesse tanquam custodes, comites, defensores, spectatores, sacræ historiæ testantur, et experiuntur pii homines. Pulcherrime ait, quod angelus et verba exceperit martyris et signaverit cruciatus, et vulnera di-

mensus sit, et sanguinis guttulas numerarit: 'gemitus enim piorum esse notos, et lacrimulas collectas asservari,' David ait: et 'capillos piorum, ne quis moveatur aut decidat, sine voluntate Dei,' Christus ipse confirmat.

1123 *Verba*] Quæ exceptu facilia sunt.

1124 *Pingens vulnera*] Quod fieri arte aut diligentia humana in corpore tantopere lacerato non potest. Enumerat partes corporis, quæ vulnera et ictus acceperunt: tum depingit graphice vulnerum quantitatem, ad excitandam fidem in nobis, quod Deo simus curæ, qui nec sanguinis guttulas, nec fletuum lacrimulas, quas Angelorum ministerio colligit, ignorare potest.

1129 *Quæ vis doloris*] Quæ magnitudo cruciatuum.

Qui aegm. modus] Quæ multitudo plagarum.

1131 *Regestis*] Regestum nomen est trapezitarum, qui sua mercimonia consignata habent, datique et accepti tabulas studiose asservant.

1134 *Libramine æquo*] Cum nulli delicto ampiius venia patebit, nulli merito merces digna negabitur.

Malorum pondera] Gravissima et inaudita supplicia.

1135 *Præm. copias*] Lætissima et sempiterna gaudia.

Comparabit] Expendet, distribuet, per metalepsin.

1136 *Vellem sinister*] Ista sententia, si tua est, Prudenti, vir clarissime, contraria est doctrinæ Propheticæ. Ita enim de Christo Isaias: 'Ejus livore sanati sumus,' cap. LIII. Idem Christi nomine loquitur, cum ait: 'Ego torcular calcavi solus,' cap. LXIII. Contraria item doctrinæ Apostolicæ. Sic enim Petrus in Actis: 'Huic omnes Prophetæ ferunt testimonium, quod remissionem peccatorum accepturus sit per nomen ejus, quisquis crediderit in eum.' Sic Johannes scribit: 'Sanguis Christ emundat nos ab omni peccato.' Itaque ut agnus dexter sis, agnus ille efficit immaculatus, 'qui tollit peccata mundi,' quique tua delicta suis curavit, sustulit, purgavit vulneribus: cui soli Regi et Redemptori nostro, cum Patre et Spiritu Sancto, sit gloria, laus, et gratiarum actio omnibus temporibus. Amen.